LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MARYLAND
1813
SCHOOL OF MEDICINE

John
Crawford,
M.D.

Mymbeen

Ivan

ARS MEDENDI:

SIVE,

DOSES et VIRES

Medicamentorum omnium tam Galenicorum quam Chemicorum in Pharmacopœia Collegii Regalis Medicorum Londinenſis, impreſſa Anno Dom. 1746.

ORDINE ALPHABETICO EXARATÆ,

ATQUE

INDICE MORBORUM ACCOMMODATÆ.

Cura et Opera
Medici in Comitatu Staffordiæ.

Vive, Vale, Siquid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

LONDINI:

Impenſis JACOBI WAUGH in vico dicto Lombard-Street; et GULIELMI FENNER Pater-noſter-row.
M.DCC.LX.

16263

UNIVERSITY OF ...
LIBRARY

Crawford

Præfatio Lectori Benevolo.

SCholiaſtes olim ſub Auſpicio D. Hermanni Boerhaave M. D. Lugduni Batavorum, &c. hujus Academiæ Illuſtriſſimæ Profeſſoris, nec non D. Richardi Mead M. D. in Noſocomio Divi Thomæ Londini.

Viri hi revera ornatiſſimi digniſſimi, meritiſſimi doctiſſimi, et honorificentiſſimi extitere Artis Apollineæ luminaria refulgentia, ſatis æſtimari, revereri, venerari, et coli nequeunt, omnes laudes æquant ſuperantque, eapropter calamus mediocris hominis ſubſiſtat, amoveaturque a Tabula, huic officio impar.

Quandoquidem ad Polyandrian abiere, nullus diffido quin utrique inter Beatos jam divinitus relegantur et recenſeantur.

Poſteaquam, longa Annorum ſerie Medicinæ operam navaverim, Opuſculum hoc minime ad privatum Queſtum (qui ex re tantilla nullus eſſe poteſt,) ſed ad bonum Medicinæ Tyronum ex animo ſuſcepi, iiſque Scholium hocce, quale quale fuerit, in Pharmacopœiam Collegii Regalis Medicorum Londinen-

ſem, Orbi terrarum præcellentiſſimam præ ſtantiſſimamque, ad omnes medendi intentiones accommodatum, nec ope ſumma Pharmacopœiæ cujuſmodicunque indigentem, in lucem attuli. partim ab Auctoribus probatis, partim ab expertis Medicis, partimque e Gazophylacio proprio excerpſi; ſelegi, in unum faſciculum collegi, congeſſi & conſtruxi; ſine fuco et fallaciis; ſine coloribus Rhetoricis, candidè, ingenuè, fideliter, honeſtè, propono potiſſimum et in totum offero. D. D. D. Q.

Quibus hoc minus arriſerit, gratiſſimus veniam concedo latinitate terſiori poliendi, addendi retrahendi, augendi minuendi, alterandi et emendandi ad libitum.

Ob longam a Prælo diſtantiam, inopiamque frequentioris inſpectus, Vos officioſe rogo, ſiquidem ex incuria vel incogitantia citra voluntatem meam in hoc irrepſerint mendæ; ut illas pró inſita humanitate veſtra corrigere velitis.

Avetote Amici benevoli, hæc æqui bonique, quæ exhibentur conſulite, Votis aſpirat Deus optimus maximus et a Capite ad Calcem uſque bene cæpta ſecundet. Vos interim hoc libello inſigniter vivo ab Authore fruimini. V. D. A.

Dabam ex Ædibus noſtr isVI. Non. Maii. A. D. 1758.

Library of the University ... School of Medicine

ARS MEDENDI, &c.

PONDERA.

N. B. Ubicunque Litera P. concurrit, Pondus denotat et litera M. menſuram vel Vaſa capacitatis.

I. PONDERUM in Magna Britannia uſitatorum ſunt duo genera diſparia: Species ponderis prima vocatur Pondus Trojæ, qua utuntur Aurifabri et Argentifabri in Mercatura Auri, et argenti: cum hoc Pondere omnia Compoſita Medicamenta, Confectiones, Electuaria Gemmæ, &c. penduntur et veneunt.

Altera Species denominatur pondus Avoirdupois, quod plurimum adhibetur ad Bonafere omnigena pendenda, quæ venalia proſtant in Officina, vel in foro.

Libra Pharmacopœiæ Londini eſt pondus Aurifabrorum, et Argentifabrorum modo ſequenti diviſum.

Libra Gr. Λίτρα eſt ponderis, et menſuræ nomen, cujus ſignum eſt, l. vel lb; continent Uncias xij. Drachmas 96, vel Scrupulos 288.

Uncia Gr. Ουγγία, cujus ſignum eſt ℥i; eſt duodecima pars libræ; continent drachmas 8, vel Scrupulos 24.

Drachma Gr. Δράχμη eſt octava pars unciæ, habet Scrupulos 3, cujus ſignum eſt ʒi, vel ℈iij, ſeu gr. 60.

Scrupulus Gr. Γράμμα, cujus ſignum eſt ℈, vel gr. xx. eſt tertia pars Drachmæ, et vigeſſima quarta pars Unciæ.

Granum Gr. Σιτάριον æquale eſt grano uni Aurifabrorum et Argentifabrorum, cujus ſignum eſt Gr. i.

Libra Trojæ minor eſt libra Avoirdupois, et continent grana, 5760.

Libra Avoirdupois continent grana 7000.

Uncia autem et drachma Trojæ ſunt majores Uncia et Drachma Avoirdupois.

Uncia Trojæ continent Grana, 480, quæ multiplicata per 12 numerum Unciarum in Libra una Trojæ, faciunt numerum Granorum contentorum in libra una Trojani ponderis, 5760.

Uncia una Avoirdupois continent Grana, 437.

Drachma una Trojæ continent Grana, 60.

Drachma

Drachma una Avoirdupois continent aliquanto minus quam Grana, 28.

Ab hac ponderum diſcrepantia, magna oritur in Praxi Pharmaciæ confuſio. Seplaſiarii et Aromatopolæ vendunt per pondus Avoirdupois: Pharmacopolæ non generaliter ſervarunt ulla pondera accommodata ad libram Trojæ majora quam ʒij, atqui pro ſuper abundantia hujus ponderis ultimi, utuntur pondere Avoirdupois.

Hinc patet in omnibus Compoſitis, ubi ingredientia nonnulla præſcribuntur libratim, et alia unciatim, pondera ſumpta eſſe in falſâ proportione ſibi invicem; Idemque accidit cum ingredientia ulla præſcribuntur in minori denominatione quam Uncia, perinde ac hæ ſubdiviſiones a Pharmacopolis uſitatæ formantur ad Unciam diverſam.

Uncia una Trojæ major eſt $\frac{1}{6}$ (i. e. ℈iv. in unaquaque Uncia) quam Uncia Avoirdupois; unde Ceratum Mercuriale; Emplaſtrum commune cum Mercurio; et Emplaſtrum ex Ammoniaco cum Mercurio Pharmacopœiæ novæ impreſſæ A. D. 1746. Unumquodque compoſitum haberet Mercurii ana ℥ii. ſs. loco ℥iij. Et Unguentum Cæruleum fortius, et mitius ſupradictæ Pharmacopœiæ poſſiderent Mercurii, ana ℥x. loco, ℥xij.

Emplaſtrum Mercuriale Pharmacopœiæ nuperæ impreſſæ A. D. 1724. retineret Mercurii, ℥vi. ʒv. et ℈i. loco ℥viij. ſubducendo ℈32. vel ℥i. ʒij, et ℈ij. quæ eſt una ſexta

pars in Argenti vivi, ℥viij. Inſuper his, omnia Medicamenta compoſita ſi conficerentur ad pondus Avoirdupois, continerent $\frac{1}{6}$ minus, quam ſi componerentur juxta pondus Trojæ, prout parari debent. Hic error taliter prævalebat, ut in nonnullis priorum Pharmacopœiarum editionibus reciperetur, nunc autem fauſte amovetur. Nonnulli aiunt quod Uncia Avoirdupois levior et minor eſt Uncia Trojana fere $\frac{1}{12}$ Nam ℥L. Trojæ æquales ſunt ℥Lvi. Avoirdupois ponderis. Alii dicunt quod Uncia Avoirdupois minor eſt $\frac{1}{16}$. alii aiunt quod minor eſt Uncia Trojana circiter $\frac{1}{16}$.

Avoirdupois autem libra vel ℥xvi. gravior et ponderoſior eſt libra Trojana; Avoirdupois enim libræ xiv. æquales ſunt Trojæ libris xvij.

Et tota ſumma Avoirdupois libræ vel ℥xvi. pendit ℥xiv. et denarios xij. Trojani ponderis; vel ℥xiv. ʒiv. ℈ii. et gr. viij.

II. Hiſce vero ſomniis repudiatis adeamus Geo. Agricolam, qui in Tractatu ejus diſerto de Ponderibus et Menſuris p. 339. Ait Libram Unciarum xii. eſſe Libram medicam et alteram Unciarum xvi. Libram Civilem: atque ita inquit de utriſque, quod Medica, et Civilis libra, numero non gravitate Unciarum differunt, ſecunda ita appellari videtur, ob pondus plenius graviuſque. Hinc Corallarium ſequens deducatur, et dilucidetur. Libra Trojæ æque tripartitur, et Pars unaquæque

que continent ana ℥iv. vel grana, 1920. quæ tres partes vel Summæ unitæ conſtituunt libram Trojæ, quæ poſſidet ℥xij. vel grana 5760. Quartò hiſce demum addendo conſimilem ſummam nimirum, ℥iv. vel grana, 1920 hinc ortum trahit nec aliunde libra Civilis, ſeu Zygoſtatica, vel Avoirdupois æque Quadripartita. Quæ pendit ℥xvi. vel grana, 7680. et ab hujuſcemodi additamento, vel coagmento primitus conſtitiſſe videtur Libra Avoirdupois. Cui diſſentiunt nonnulli; hic enim locat limitatque ultimum terminum Libræ Avoirdupois ad grana, 6912. Ille ultimam metam Libræ Avoirdupois ponit, coercet, refrænat, vel figit ad grana, 7000. Unde hæc diſcrepantia ingruat inter Authores, ignoro; In quantum hariolari vel augurari poſſim Diſpari ponderi Gentilitio cum primis Ægyptio computo et calculo vario veriſimillime aſcribatur.

Utinam ex æquo et bono me penes eſſet has dirimere lites, hoſque reconciliare et redintigrare Authores; Fides autem penes erit Auctores adhuc, quos refellere nedum redarguere valui, et hiſce conditionibus ſine Palæſtram ingredi nefas eſſet.

III. Pondus Trojæ alias dividitur a Romanis.

Semi denarius vel Obolus continent gr. xii. cujus gr. i. eſt duodecima pars.

Denarius i. continent gr. xxiv. vel ℈i. et gr. iv. cujus gr. i. eſt pars vigeſſima quarta.

De-

Denarius i. & ¼ continent gr. xxx. ſeu ℈iſs. vel ʒſs.

Denarii, ij. continent gr. 48. vel ℈ij. et gr. viij. quæ eſt pars una decima Unciæ.

Denarii, ij. et ½ continent gr. 60. ſeu ℈iij. vel ʒi.

Denarii, iij. continent gr. 72. vel ℈iij. et gr. xii. vel ʒi. et gr. xii.

Denarii, iv. continent gr. 96. ſeu ℈iv. et gr. xvi. vel ʒi. ℈i. et gr. xvi.

Denarii, v. continent gr. 120. ſeu ℈vi. vel ʒij.

Denarii, x. continent gr. 240. ſeu ℈xij. vel ʒiv. vel ℥ſs.

Denarii, xij. continent gr. 288. vel ʒiv. ℈ij. et grana viij.

Denarii, xx. continent gr. 480. (quibus æqui-pondia ſunt, ℈xxiv. ſeu ʒviij. vel ℥i.) et Grana multiplicando prædicta per 12 numerum Unciarum in libra una Trojæ, producuntur Grana ut antea, Nimirum, 5760.

Granum i. pondus eſt Trojæ minimum, Græce nominatur *ὁ κόκκος* vel *τὸ κοκκίον*, Pilula vel Granum, ut *τὰ κοκκία βηχικὰ*, pilulæ quæ tuſſi medentur. Alex. Trall. Hinc Medici vocarunt pilulas. Gr. *κοκκὶα*, quod granorum magnitudine fere ſint, et rotundæ granorum vel baccarum ſeu acinorum inſtar, quarum ſingulæ ſoleniter pependerunt, gr. i. vel plura. Ut *τὰ κοκκία κόχα*, pilulæ purgantes abunde humores defluentes; Quæ magna ex parte conſtiterunt ex Opio, ſeu for-

fortiſſimis Emeticis vel Catharticis, ut Scammonio, Colocynthide, &c. idcirco rare pependerunt ultra granum unicum pro Doſi i. alterativè pro occaſione ſumendæ: hinc denominari poſſint Pilulæ Granatæ, vel Pilulæ grani unius. Vid. Scholii hujus p.

Δικόκκος gr. ij. facit Chalcum.

Τρικόκκος gr. iij.

Τετράκοκκος gr. iv. facit κηράτιον, ſeu ſiliquam, i. e. a Caract, vel Carat, &c.

Δοδεκάκοκκος gr. xij. facit Obolum Gr. ὀβολόν.

Εικοσικόκκος gr. xx. facit Scrupulum vel tertiam Drachmæ partem, &c.

V. Menſuræ, et vaſa capacitatis.

Menſuræ vulgares Vinoſæ ſequentes adhibentur in Pharmacia.

Congius continet Pintas vel libras, 8. cujus ſignum eſt Cong. i. vel pint. viij.

Libra vel Pinta vinaria continet Uncias, 16: cujus ſignum eſt pint. i. vel ℥xvi.

Uncia continet Drachmas, 8. cujus ſignum eſt ℥i. vel ʒviij.

Menſuræ Vini leviores et minores ſunt quam Menſuræ Cereviſiæ fortis et tenuis. Nam Congii iv. Menſuræ Cereviſiæ faciunt fere Congios v. Menſuræ vinoſæ. Et menſura vinoſa Anglica obſervat hanc proportionem, ut circiter, iv. ad v.

Cochleare, i. in Pharmacopœia Londini denotat Menſuram ℥ſs, at in Pharmacopœia Eden-

Edenburgi in Syrupis Menſuram, ℥ſs. verum in Aquis diſtillatis pondus ʒiij.

VI. Medicamentorum Doſes maximæ in hoc tractatu memoratæ calculantur præcipue Adultis naturaliter temperiei fortis; Ergo neceſſe habeatur, Regulam quandam generalem in medium proferre qualiter proportionatæ ſint ætatibus diverſis.

Puta Doſin pro Adulto, Annorum 21, eſſe ʒi. hinc exhiberi poſſint cuidam ab Anno 14 ad 21 $\frac{2}{3}$ vel ℈ij.—ab Anno 7. ad 14 $\frac{1}{2}$ vel ʒſs.—ab Anno 4. ad 7 $\frac{1}{3}$ vel ℈i. ſeu Quadrienni, $\frac{1}{4}$ vel gr. xv. Trienni $\frac{1}{6}$ ſeu ℈ſs. vel gr. x.—Bienni $\frac{1}{8}$ vel gr. vij. ſs. Infanti Annicu-lo, $\frac{1}{12}$ vel gr. v. ſeu dentur modo in hoc opere multoties infra memorato.

VII. Pinax Poſographicus, vel Tabula Poſographica, Doſibus quorundam Medicamentorum præſcribendis inſerviens; In nonnullis ad amuſſim uſque, in aliis quam proxime Ingredientium Mercurialium, Opiatorum, Purgantium, &c. quantitates calculantur. Æthiopis Mineralis Doſis, ʒi. bis in die mane, et veſperi. Antimonii præparati Doſis, ʒſs. bis in die, m. et v. Aquæ Calcis magis Comp. Doſis ℥iv. ter, quaterve de die. Balſami Sulphuris, ad Guttas, x.

Camphoræ Doſis, ad ℈i.

Caſtoris Doſis ʒſs.

Ceratum Mercuriale continent Mercurii prope $\frac{1}{5}$ totius.

Cha-

Chalybis Saccharati Doſis ad Coch. minimum vel a ℈i. ad ʒſs.

Cinnabaris Antimonii Doſis ad ʒſs. bis in die.

Confectionis Paulinæ gr. xxxij. continent Opii gr. i.

Decocti albi Doſis pint. ij. in die.

Electarii e Scammonio Doſis ʒi. ſs. continent gr. xv.

Electarii e Scordio Doſis ʒiij. continent Opii gr. i.

Elixir Aloes Dos. Coch. i. parvum ſemel vel bis de die.

Elixir Paregorici ℥ſs. continent Opii circiter gr. i.

Elixir Vitrioli dulcis Doſis ʒſs. ad ʒi. bis in die.

Emplaſtrum ex Ammoniaco cum Merc. cont. Merc. ⅕ totius.

Emplaſtrum commune cum Mercurio cont. ⅓ Merc. totius.

Hieræ Picræ gr. L. continent Aloes gr. XL.

Jalapii Radicis Doſis ad ℈ij.

Infuſi Amari ſimplicis. Dos. ad ℥iij. mane jejuno, et veſperi.

Ipecacuannhæ Doſis ad ℈ij.

Julepi e Camphora Dos. ad Coch. i. tertia vel quarta quaque hora.

Julepi e Moſcho Dos. Coch. [illegible] de die.

Lactis Ammoniaci Doſi[illegible] die.

Mannæ Doſis ℥ij.

Mercurii Emetici Dos. a gr. iij. ad vi. vel vii. in Conſ. Roſarum.

Mercurii Saccharati Dos. ad gr. ij. vel iij. ad gr. x. vel ad ℈i.

Mithridatii ſive Conf. Damocratis ℥ſs. continent Opii gr. i.

Moſchi Doſis ad gr. xv.

Olei C. C. diſtillati Doſis ad guttas x.

Olei Juniperi diſtillati Doſis ad guttas xx.

Olei Terebynthinæ diſtillatæ ad gutt. xl. bis in die.

Olibani Doſis ad ℈i. bis in die.

Philonii Londinenſis gr. xxxvi. continent Opii. gr. i.

Pilularum ex Colocynth. cum Aloe Dos. a ℈i. ad ℈ij. harum. Pilularum ʒſs. continent Aloes prope gr. viij. Scammon. gr. viij. et Colocynthid. gr. iv.

Pilularum ex Colocynth. ſimpliciorum ʒſs. continent Scam. ℈ſs. fere, et Colocynth. ℈ſs. Syr. e Spina et Ol. Cariophill. ℈ſs.

Pilularum Ecphracticarum Doſis a ℈i. ad ʒſs.

Pilularum Gummoſarum Doſis ad ℈i. bis in die.

Pilularum Mercurial. Doſis ad ʒſs. ſingulis alternis diebus harum gr. xviij. continent Merc. crudi gr. xv.

Pilularum Rufi gr. xxx. continent Aloes gr. xii.

Pilu-

Pilularum Saponacearum ℈ſs. continent Opii prope gr. i.

Pilularum e Styrace gr. v. et ¼ continent Opii gr. i.

Pulveris Antilyſſi Doſis ad ʒi. ſs.

Pulveris e Bolo Comp. cum Opio gr. XLV. continet Opii gr. i.

Pulveris Contrayervæ Comp. Dos. ad ʒſs.

Pulveris Scammonii Comp. gr. vii. continent Scam. gr. iv.

Pulveris Sena Comp. gr. xxi. continent Senæ gr. viij. Pulveris Cryſtallorum Tartari gr. viij. et Scammon. gr. ij.

Pulveris e Succino Comp. gr. XL. continent Opii gr. i.

Rhabarbari Doſis ad ℈ij.

Salis Cathartici Glauberi Doſis ad ℥i.

Saponis albi Hiſpanici Doſis ℥i. in die.

Scammonii Doſi gr. ij. vel iij. tantummodo concedit Geoffroy et extrema doſis pro Adultis eſt gr. xij. alii nimis audaces dant ℈i.

Sinapis Seminis integri, i. e. ſine contuſione Dos. Coch. i.

Specierum e Scordio cum Opio gr. XLV. continent Opii gr. i.

Spiritus Lavendulæ comp. Dos. ad gutt. xxx. bis terve in die.

Spiritus Nitri dulcis Doſis ad ʒi.

Spiritus Succini Doſis ad ʒſs.

Stanni pulverati Doſis ad ʒij. bis in die.

Succi

Succi Scorbutici Doſis ad ℥iv. bis in die.

Syrupi e Meconio ſive Diacodii Doſis ad ℥i.

Tartari Emetici Doſis ad gr. vii.

Theriacæ Andromachi ʒi. et ¼ vel gr. LXXV. continet Opii gr. i.

Tincturæ Antimonii Doſis gutt. XL. bis in die.

Tincturæ Cantharidum Dos. a gutt. XV. ad gutt. XX. bis in die.

Tincturæ Caſtorei Dos. ad gutt. 40. bis terve de die.

Tincturæ Corticis Peruviani ſimp. Dos. Coch. largum ex Cyatho Vini generoſi aliquoties de die repetend. vel Doſis Cochlearia ij. bis in die.

Tincturæ Fuliginis Doſis ad gutt. XXX. bis terve de die.

Tincturæ Martis in Spiritu Salis Dos. a gutt. X. ad XXX. vel XL. bis in die.

Tincturæ Melampodii Doſis ad Cochleare i.

Tincturæ Myrrhæ Doſis ad gutt. XL. bis in die.

Tincturæ Rhabarbari vinoſæ Dos. ad Coch. ij. vel iij.

Tincturæ Roſarum Doſis ℥iv. bis terve in die.

Tincturæ Sacræ Doſis ad Cochl. ij.

Tincturæ Senæ Dos. ad Coch. i. vel ii. nocte ſuperiori, et Cochl. ij. vel iij. mane ſequenti.

Tinc-

Tincturæ Thebaicæ Doſis a gutt. xv. ad xxv.

Valerianæ Silveſtris pulv. in ſubſtantia Dos. ℈ſs. bis terve de die.

Vini Crocei Dos. a ℈i. ad ℈iij. vel ultra.

Vini Ipecacuanhæ Doſis ad ℥iſs.

Unguentum Cæruleum fortius continent Merc. ⅓ totius.

Unguentum Cæruleum mitius continent Merc. prope ⅕ totius.

Unguenti e Mercurio præcipitato albo ℨij. continent Mercurii præcipitat. alb. gr. v.

Cæterorum Doſin videſis in opere ſubſequenti, perge nunc ad Pharmacopœiæ Medicamenta cætera ut Acetum deſtillatum, Acetum Scilliticum, Æruginem, Æthiopem mineralem, &c.

Numerus immediate ſequens Titulum Medicamentorum, denotat Paginam Pharmacopœiæ Londinenſis ubinam reperiantur.

Aggredior jam jamque Medicamenta ipſius Pharmacopœiæ noviſſimæ, et primo Acetum deſtillatum, deinceps cætera Medicamenta ordine Alphabetico connitar, Vires eorum annectendo.

Acetum Deſtillatum, vel Spiritus Aceti. p. 44. *Pharm. Lond.*

Aptius vocatur Acetum deſtillatum quam Spiritus Aceti, quoniam in Aceto deſtillando, phlegma primo aſcendit, acido ponderoſiori

reſidente; quum in Spiritibus deſtillandis, primo Spiritus exit, Aqua remanente.

Vires eaſdem poſſidet ac Acetum ipſum, aſt in minori doſi porrigendum, utpote potentiores; interne ſumi debet tepidum cum Vehiculo, Syrupo quovis convenienti, Sacharove Dos. Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16. Ann. ʒij. Juveni 30. Ann. ℥ſs.

Acetum deſtillatum quo dephlegmatius redditur, eo magis fluida incraſſat et coagulat; hoc vero omnium maxime efficiet quod vocitatur Concentratum, vel reductum ad maximas Vires per diverſas operationes chemicas, et loco diſſolvendi, revera ſanguinem coagulabit, quodnon efficit mere aciditatis ratione, verum ob auſteritatem vel potentiam conſtringentem, qua liquorem premit determinative, quocum miſcetur, ad formam ſolidam.

Acetum deſtillatum ſudores movet cum aliis mixtum, liquorem præbet Alexipharmicum in Febribus malignis magni uſus. Inſuper inſervit mixturis ad faciliorem diſſolutionem pulverum additorum. Dos. a ʒi. ad ℥ſs. Le. Mort. Chem. Medicophyſic. p. 118. 119. datur aliquoties Cochl. ſs. cum potionibus cardiacis ad putrefactionem reſiſtendum.

Si Aquæ commiſceatur, hoc oxycratum interne ſumptum hæmorrhagias ſiſtit et externe applicatum Inflammationes ſedat. Lemery Chem. p. 406.

Acetum

Acetum Vini.

Acetum Vini eſt liquor acidus, penetrans, antiſepticus, ſaponaceus, quippe ex Sale et Oleo conſtat, pinguis, unctuoſus, cum omni Alkali effervescens, refrigerans, ebrietati reſiſtens; Soporoſos, debiles, languidos, nauſeabundos egregie excitans; corruptioni Alkalinæ ſummum Remedium externum et internum, Antiphlogiſticum, Antipeſtilentiale, ad Coch. ij. quovis mane; in Apoplecticis et Lethargicis morbis præſens Remedium acidum, incidens phlegma et vicidos glutinoſos humoros expectorans, abſtergens, reſolvens, attenuans, ſtimulans; inter ſudorifera in Peſte ſummum, et diureticum egregium. Commendatur in morſu animalium venenatorum, etiam Canis Rabidi, interne et externe; ſuſcitat languidos, Apoplecticos, Lethargicos a nimia Opii doſi; efficacius quam Odor. Sp. C. C. Salis Ammoniaci, &c. Linteolum in hoc immergendo, applicandoque ſtricte Ori et Naribus raro fallit in Syncope, vel etiam in Paroxyſmis convulſivis, et Hyſtericis; Tepefactum, naribus inflatum, vel Spongia ori et naribus admotum ſeu intruſum, ſternutationem immodicam ſupprimit. Si Vino Ebrius ſumat Aceti Coch. i. vel ij. protinus ſuſcitabitur, et ſuæ mentis erit. Sanguis in corpore humano coagulatur a materie acida et

non Alkalina; omnia enim acida, dempto Aceto, experientia ipſum coagulant e Vena emiſſum, et e contra omnia Alkalina eundem ſolvunt.

Unde patet Hippocratem recte præſcripſiſſe Acetum in Febribus ardentibus, omnibuſque morbis a lentore oriundis Sanguinis, vel ubi ejus diſſolutio et dilutio exigantur. Si Aqua diluatur ſitim vehementiſſimam extinguit, aliis liquoribus incaſſum uſurpatis. Vix quicquam magis attenuat et incidit, quam Acetum cum Melle excoctum, et cum Aquæ portione debita dilutum. Hinc patet multiplex Aceti uſus in Febribus acutis ardentibus; phlegmonis ubi Succi et Sanguis nimis craſſi, in peſte variolis, morbillis, Scorbuto a ſtatu fluidorum alkaleſcente, ubi in putredinem tendunt. Hoc modo cum Melle præparatum, et calidum epotum utile eſt Diaphoreticum et plurimum commendatur a Diaſcoride et Theophraſto in multis morbis acutis, ſpeciatim in Pleuritide, peripneumonia, in Phthiſi et aliis Tabis ſpeciebus, vel corporis purulentia, in Hypochondriacis, &c. Boerhaave Chem. M. S. p. 66. chem. impreſſ. praxis. p. 144. 146. 147.

Acetum purum.

Acetum purum putum aſtringit, et reficit, ea lege ut mediocris quantitas ſumatur; ergo appetitum excitat digeſtionem adjuvat, et Bilis

lis ardorem temperat. Optimum eſt in Conſtitutionibus calidis, climatibus calidiſſimis, et tempeſtatibus anni maxime fervidis, in quantum rarefactionem humorum immodicam prævenit, morboſque multos repullulaſcentes, et effecta mala Aeris inclementis reſcindit. Interdum Singultum curat, Vomitum ſiſtit, prodeſt Anginis, quando autem nimis copioſe exhibetur, nocet Stomacho et inteſtinis, nervos debilitat, et tremorem membrorum inducit; obeſt macilentis, gracilibus, melancholicis, et paroxyſmis Hyſtericis obnoxiis.

Utile eſt Venenis animalibus et Ovi putridi, venenis vegetabilibus, vel mineralibus uti Euphorbii, Hellebori albi, Croci vel Hepatis Antimonii, &c. quæ in hocce coquendo, Vim ſuam deleteriam et coroſivam amittunt, et innoxia corpori fiunt. Acetum tepidum vomitionem ſupprimit imo a Croco vel Hepate, Antimonii ad ℥iij. vel iv. Saccharo ſimilive edulcoratum tepidumque ſumptum. Boerhaave Chem. impreſſ. praxi. pag. 209. 309.

Acidum vegetabile mitius eſt, minus ſtimulans, Renes minus afficiens et ſecretiones urinarias promovens, quam Acida Mineralia ut Vitrioli, Nitri, et Salis vulgaris, quæ inſtanter ſanguinem coagulant. In Febribus nonnullis ubi Urina pallida et inſipida eſt, Acida vegetabilia urinam reddunt debiti coloris cito et qualitatis; Mineralia acida, Spiri-

tus Nitri ſpeciatim cum ſpiritu vinoſo combinatus eundem edunt effectum.

Acetum bilioſos humores in Ventriculum ſuffuſos corrigit, mitigatque; Acidum naturale reſtituit, et tonum laxatum firmat: atque ideo probati uſus eſt quando colluvies amaricans nauſeam, bradupepſiam, Vomitum, aut Diarhæam infert. Riverius in Capite de Coctione læſa, ſingularem refert Hiſtoriam de ſeipſo, quod alvi fluxum per 4 Menſes paſſus, tandem intra paucos dies ab uſu Aceti integre liberatus erat. Ille quidem pituitam et melancholiam cauſatur, deinceps (ut opinor) a dejectionibus, quæ (ob humorum acredinem ramenta Inteſtinorum abradentem) pituitoſa ſpecie ſpectabantur; cum revera ad Bilem acerrimam copioſius ſuffuſam totum malum fuerit rectius referendum.

Aceto ſi Nitrum immittatur ebullitio accidit, ſin vero ſeſe quis laverit eo, Sordes auſert, detergit, et mundior redditur, verum oportet nos nitro noſtrati addere quartam partem cinerum clavellatorum, ut ita invicem mixta Nitro veterum ratione ſimilia reddantur. Barckhauſen Ratiocin. chem. compendium p. 28. & 31.

Acetum extrinſecus Scabiem, pruritum, herpetem, &c. ſanat, ut et Eryſipelas, phlegmonam, Ulcera putrida interne et externe Epithemate, Fomento, Balneo, Clyſtere, Gargariſmate; Dalei pharmacolog. 471. Reſolvit Cutim, cartilagines, corrodit oſſa, dentes,

tes, Corallium in laminas ſive raſuras, et Ferrum in rubiginem ſive crocum. Boerhaave, Theor. Chem. impreſſ. p. 349. 350. Ingreditur Emp. Veſicatorium, Liniment. Tripharmac. Unguent. Tripharmacum.

Acetum Scilliticum. p. 81.

Cum Radice Scillarum ſiccatarum paratum perinde eſt ac ſi cum ſcillis recentibus conficeretur; Scillas enim exiccando, earum partes aqueæ evaporantur, quæ additione Aceti reſtituuntur ab Aqua ejuſdem. Rad. Scillæ recentis ℔i. non æquivalet Rad. ſiccat. ℥iij. Acetum nonnulli opinantur correctorium eſſe Scillarum, i. e. virtutem earum diminuere: hoc autem ab experientia non liquido conſtat, aciditas liquoris ſolum pungentem amaritudinem Radicis aliquanto minus perceptibilem reddit.

Acetum ſcilliticum potenter ſtimulat, aperit, attenuat, et incidit ſuccos tenaces hinc frequenter fælici eventu adhibetur in morbis pectoris, et mucilagine pulmonum, a lento, craſſo, viſcido phlegmate, vel pituita Bronchia opplente, et ſpeciatim in promovenda urina Hydropicorum, in Catarrhis ſuffocativis, in paroxyſmis humidi Aſthmatis, ad expectorationem magnopere augendam; valet etiam adverſus cachexiam, Icterum, Febres intermittentes Quartanas, &c. Dos. hujus

 medi-

medicamenti eſt a ℨi, ad ℥ſs, ubi cruditates in primis viis abundant, in initio dari poſſit major ab ℥i. ad ℥iij. pro vomitorio, ad eas vomitu evacuandas.

Convenientiſſime exhibeatur una cum Aqua Cinnamomi, vel Aquis aliis congruis, quæ nauſeam præveniunt, quam alioquin etiam parvæ Doſes excitarent.

Quando Aquæ Cinnamoni commiſceatur, raro Vomitum ciet, ſed deorſum operatur et potenter per Urinam. Omnibus pulmonum obſtructionibus et infarctionibus, cum deterſivis et expectorantibus, amovendis vix quicquam efficacius. Vomitum movet cum ſucceſſu in phthiſicis et Aſthmaticis, melius quam Oxymel Scilliticum; in Oxymel autem ſcilliticum ſæpe paratur.

Phthiſicos ab omnibus deploratos hoc medicamento ſanitati reſtitutos novimus. Epilepſiam, vel morbum comitialem incipientem et novum perfecte diſcutit. ad podagras præterea, Articulorum Morbos, Jecoris, Lieniſque duritias vehementer facit. Woeckeri antidotarium ſpeciale. Lib. 2. Cap. 6. p. 392. Galenus.

Confert Epilepſiæ, Melancholicis, Vertigini, Hyſtericis, ſive Matricis præfocationi, paralyſi vel Nervis infirmis. prodeſt aceſcentibus cibis, iiſque qui jejuni vomunt; percuſſis, aut ab alto præcipitatis, quorum Sanguis coagulatur, Renum vitiis, cavendum autem exulceratis: Salutare eſt Stomacho, laterumque

que doloribus, Johannis Manardi Annotationes in Compoſita Meſues. p. 581. Lin. 40.

Gingivas nimis laxas collutione ſtringit, firmatque; Dentes vacillantes figit et ſtabilit; putredines Oris, et graves halitus tollit: Vocem expedit, et limpidam canoramque reddit; datur Stomacho debili, digeſtioni imbecilli, Hyſtericis, Inſanis, morbis Iſchiadicis, Melancholicis, Epilepticis vel Comitialibus, Vertiginoſis, mente captis: Datur quotidie jejunis ſorbendum inter initia exiguum, paulatim ad augendo, ad Cyathum uſque: nonnulli binos dant Cyathos, aut largius. Utile eſt contra cruditates, et ciborum corruptiones: item iis qui revomunt Cibum; prodeſt Lienoſis, Aquæ Intercuti, Ictero vel Morbo Regio, difficili Urinæ, torminoſis, inflationibus, horroribus longis, et vulſis. Menſes pellit. Dioſcorides a Johanne Ruellio, p. 416. 417.

Parum mane ſorbeat jejunus, poſtea multum deambulans. Zwelferi animadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam, p. 429.

Ærugo. p. 22.

Rubigo eſt viridis Cupri, ſal vel Vitriolum Veneris; raro vel nuſquam utuntur Noſtrates ob conſequentias nimis periculoſas. Externe eſt Eſcharoticum mite, detergit et exiccat ulcera antiqua, carnem fungoſam vulnerum abſumit,

abſumit, et Callos exeſt. Ingreditur Mel Ægyptiacum. p. 206. et Unguentum Baſilicum viride p. 482. Interne Doſis a gr. ½ ad gr. ij. Emeticum eſt immediatum in momento fere ipſo, quo exhibetur. Boerhaave de Poteſtatibus medicamentorum.

Ærugo vix continet ullum Metallum præter Cuprum. Pro occaſione brevi valde prodeſt Venenis in Stomachum ingeſtis ut Emeticum egregium.

Vero granum unicum virtutis adeo ſingularis eſt, ut vim ſuam exerit ſimul ac ſumitur, quum alia Emetica in Stomacho diu dormitant, creantia, nauſeas, anxietates, &c. priuſquam ſuos edunt effectus. Multum approbatur in Conditionibus Chronicis, et Hydropicis, juxta quod legimus Medicum celebratum curaſſe Hydropem Caroli quinti mero cupri uſu. Quando vis ejus vomitiva expenditur in corpore, per ſuum Sulphur agit, quod naturæ valde penetrantis, eximie narcoticæ, et anodynæ eſt. Bolus Emeticus fiat cum Ærugin. gr. i. et Conſ. Roſar. q. s.

In tali caſu ubi per ſuperiora ſubito movendum (quemadmodum poſt aſſumpta venena, &c.) præſentiſſimum eſt Remedium, neque a veneno ejus tantopere metuendum, cum vehementior actio ejus facile compeſci poſſit, per exhibita Alkalina, quæ deſtruunt plane operationem.

Chemici plurimi multum laudant Medicamentum ex Cupro paratum, propter virtutem, quam

quam ipſi attribuunt, Specificam, uti Paracelſus, Helmontius, Boylæus, &c. quod occaſionem dedit Domino Boerhaave plurimis modis inquirendi in tale præparatum, verum nunquam ex eo aliquid obtinere potuit, quod tantis reſpondeat promiſſis: omne vero quod deprehendit, hoc fuit, quod ſcilicet præſens purgans, præſens Emeticum, præſens Cauſticum, prætereaque nihil.

Tinctura cærulea Cupri, quam frequenter in praxi ejus Boerhaave præſcripſit.

℞. Limatur. Cupri. gr. x. Spirit. volatil. Oleos. vel Spirit. vol. Aromat. ʒvi. f. tinctura, cujus capiat. gutt. xii. ter de die vacuo Stomacho ex Syr. Quinq. Rad. vel Syr. ex Alth. ℥ſs. Qua curantur Morbi multi ſpeciatim Hydrops, in quo caſu vis ejus eximie attenuans, aperiens, ſtimulans, calefaciens, ſudorifica, diuretica, ſolvens et exiccans, mirifica ſæpe deprehenſa fuit, ſi detur ter quaterve de die ad gutt. xxx, una cum Vehiculo quovis non acido, tunc enim temporis vomitum non movet; verum ſi occurrat acido in Corpore mutat naturam ejus, et inde fit Emeticum.

Homini peſſima Aſcitide laboranti, exhibuit hanc Tinctur. ad ʒſs. unde tanta ipſi ſubſecuta fuit diureſis, ut integras amphoras impleverit, Urina autem ejus reddebatur plane putrida, brevique temporis ſpatio liberatus a malo fuit. Aliis vero exhibita, vomitum excitavit, nocuitque, in quibus ſcil. Acidum prædomina-

dominabatur, quod Alkali abſorpto, coit cum venere in Vitriolum Vomitorium. Obeſt Hydropi, quando aſtipulatur Hepati ſcirrhoſo, viſceribus inſanis, vel ſimilibus, et nunquam effectum bonum ex hoc obſervare potuit; licet alias, medicamento præpotenti. Vermes etiam interimit, phlegma ſecum abducendo ubinam nidificantur; Lipothymiam curat, Rhachitidem, et Epilepſiam, ac ſi, ut frequenter Infantibus accidit, oriatur a Vermibus in corpore, viſcidove phlegmate in Stomacho.

Ordinariis in Caſibus adhiberi poſſit a gutt. xij. ad gutt. xxiv. ter quaterve de die. Hoc modo ita tractari, et dari poſſit Infantibus in Minoribus doſibus, mire etiam efficax eſt in curandis illis morbis, quibus ſpeciatim ſubjiciuntur. Magni emolumenti eſt in morbis ab acida, debili, frigida, phlegmatica cauſa oriundis, ſi gutt. iij. ſumantur quavis Aurora in Cyatho Hydromellis, et Doſis ſingulis diebus duplicetur uſque ad gutt. xxiv. Univerſim cum Salibus acidis, vel Maſculis viridem, cum Alkalinis, vel Salibus fœmininis, cæruleam dat ſolutionem: ultima ſemper eſt minus cauſtica, minuſque Emetica.

In Chirurgia eſt Cauſticum alkalinum metallicum, cujus effectus ſunt promptiſſime adurere, et in veram Eſcharam attactu convertere, unde ad extirpandas Verrucas parvas, &c. ſi gutta ejus repetitis applicetur vicibus, mox cadent.

Æthi-

Æthiops Mineralis. p. 58.

Specificum eſt contra Vermes, ad quod propoſitum valde efficax eſt. Dos. a gr. xv. ad ℈ij. vel ʒi. mane et veſperi repetend. vel Dos. Infanti 6. Ann. gr. vij. Adoleſ. 16. Ann. gr. xv. Juven. 30. Ann. ʒſs. Datur in Hydrope, Lue Venerea Prurita, Scabie, Impetigine, vel Lepra Grecorum, Scrophulis, et Ulceribus Vetuſtis; prodeſt Aſthmati, Epilepſiæ, Ictero in Conſ. Roſar. Commendatur adverſus Hæmorrhoidum, Arthritidis, et Rheumatiſmi dolores. Rariſſime vel nuſquam Salivationem excitat, Diaphoreſin potentiſſimum promovet et Diureſin; alvum laxat generatim, et nonnunquam per Sedem purgat; eſt optimum Medicamentum ad Inteſtina depuranda, ſi aliis purgantibus admiſceatur.

Æthiops eſt tutum Alterans, Infantibus tutiſſime concedatur in vermes, omnimodis cruditatibus et acrimoniis humorum eſt uſui, in ſcabie et morbis cutaneis exhibetur in pulvere per ſe vel in Bolo. Æthiops et omnia quæ componuntur cum Sulphure quando in forma pulveris præſcribuntur, ſumi debent ex Syrupo, vel pulpa, quoniam difficile commiſcentur Subſtantiis liquidioribus fundum petendo. Color hujus niger optime mentitur cum prunis, vel quovis hujus generis, uti Miva Cydoniorum. Durantibus externis Linimentis

mentis Mercurialibus in Scabie, interne Mercurialia ſulphurata ſumi debent uti Æthiops, vel Cinnabaris Antimonii, quæ curam accelerant ubi topica hæc Linimenta applicantur. Poſtquam liquefiant unctuoſa et refrixerint, immiſceatur Mercurius ſuper Tegulam. Sulphura vulgaria efficaciam Mercurialium præparationum obtundunt, adeo ut non operabuntur niſi in locis determinatis, uti in Salivationibus demonſtrabile eſt, quæ minuuntur medicamentis Sulphureis.

Pulvis in Scabie, &c. pro Doſibus x.

℞. Æthiop. Mineral. Antimon. crud. ana ʒij. Cretæ albæ ʒvi. m. f. pulv. ſumat ʒi. ter in die in Scabie inveterata quin etiam Lumbricis; ſic et in Gonorrhæa adjeci pulveri dicto Rob. Juniperi q. ſ. vel in ejus defectu Rob. Baccar. Samb. et nonnihil Balſ. Copaivæ. ſæpe ſæpius expertus ſum, egregias hunc mihi præſtitiſſe vires in morbis dictis, Veneris incantamentis, &c. Barchuſen. Pyroſophia, p. 199.

Alumen Uſtum. p. 40.

Exiccatum eſt & non uſtum, Eſcharoticum eſt, abſumit carnem ſuperfluam, quam parum indurat adeo non multi æſtimatur in illa intentione.

Alumen eſt Sal. artificialis e certis Mineralibus productus calcinando et Aeri exponendo, poſtea alumen elixatur cum Aqua et maceratur

ceratur cum Urina et herba Kali calcinata, hinc Alumen eſt minerale, vegetabile, et animale concretum.

Medicamentum eſt valde potens, Aſtringens, et taliter vulgo externe applicatur, etiamque interne non frequenter exhibetur a gr. i. ad xv. vel xx. et ultra aliquando. vel Aluminis crudi Dos. Infanti 6. Ann. gr. iv. Adoleſcen. 16. Ann. gr. xij. Juveni 30. Ann. ℈i. Commode ſumi queat conjunctim cum Reſinaceis ſubſtantiis, præſertim Sanguine Draconis. Dr. Thomſon in Tentam: medic: Edenburgi ſpondet effectum bonum Pulveris hujus.

℞. Aluminis in crucibulo calcinat. Reſin. Sang. Dracon. ana. p. æq. Reſina liquefiat vel pulveriſetur, et Alumen pulveriſat. cum ea agitetur. Aſſerit ſe nunquam reperiſſe quodvis medicamentum, licet varia tentavit, cui tantopere fidem fecit ac huic, in Hæmorrhagiis uterinis, utrum ad corrigendum reditum nimis frequentem Menſium, vel eorum nimium fluxum ſiſtendum; ad profluvia prægnantium cohibenda, ut et Lochia poſt puerperium moderanda; in Hæmorrhagiis intenſis dedit ʒſs. quavis hora dimidia, quæ raro fefellit ante ʒiij. vel ʒiv. exhiberentur; in Fluore albo felici eventu præſcribitur; optime ſumatur alumen in parvulis doſibus frequenter repetitis, in magna Doſi Stomacho nauſeam facit, prima exhibitione, purgativum

vum eſt, et poſtea violentam inducit viſcerum conſtipationem.

Sanguis Draconis hujus pulveris ingrediens, condenſat, ſiccat, et aſtringit; leviter incraſſat fluida, et mediocriter ſolida roborat. prodeſt fluori albo, Gonorrhæis, Dyſenteriis & Hæmorrhagiis omnibus; etiamque ulceribus internis a ℈ſs. ad ℈i. Externe exiccat Ulcera, ſanat vulnera, figit Dentes vacillantes, et gingivas laxas firmat; ingreditur Emp. Roborans.

Solutiones Aluminis Lac coagulant, mutant colorem cæruleum ſuccorum vegetabilium in rubrum vel purpureum, et infuſionem Gallarum in turbidum vel albidum; addendo hiſce ſolutionibus Salia Alkalina fixa, terra Aluminis præcipitatur, et acidum ejus ſeſe unit cum Alkali in ſalem neutralem ſimilarem Tartaro Vitriolato.

Antimonium. p. 22.

A Chemiſtis nominatur plumbum nigrum, philoſophicum, Balneum Regis et Reginæ, Saturnus, Stibium, Lupus, omne in omnibus, &c.

Antimonium crudum in pulverem ſubtiliſſimum reſolutum, nullas purgativas, nec emeticas habet virtutes; ſin valde ubertim ſumatur, inteſtina leniter ſtimulat; Remedium eximium habetur ad depurandum Sanguinem Equo-

Equorum et pecorum. Fruſtulatim vel craſſe contuſum Cereviſiſque diæteticis additum vires quam parciſſime iis communicare videtur, ſeu nihil amplius quam lapis vulgaris in ſubſtan. ℥i. ſumptum, nihil agit niſi ratione ponderis. Boerhaave, Chem.

Abſorbens et egregie alterans eſt in Scabie; externe uſurpatur ad denigrandos capillos capitis, ſuperciliorum, et palpebrarum, in Collyriis adverſus fluxiones, inflammationes, et exulcerationes Oculorum, et in mundificandis et detergendis ulceribus. Ob nigrum colorem viſui injucundum, optime confici poſſit in Electarium cum Miva Cydoniorum, Extract. Glycyrrhizæ, et Syrupo quovis proprio.

Interne ut plurimum adhibetur ad ʒi. vel ij. ſubtiliſſime lævigatum, ſine nauſeam excitando, niſi a ſuccis acidis in Stomacho Emeticum evadat, viſciditates fluidorum ſolvit, obſtructiones aperit; a nonnullis laudatur ut Remedium tutum in Morbis cutaneis, Phthiſi, et Epilepſia; Fertur curaſſe Rheumatiſmum, et pareſin vel paralyſin, quæ Colicam ſæpe ſuccedit, et interdum poſt Salivationem accedit. Nonnulli inchoant cum gr. iij. augent uſque ad ʒſs. et Dos. gradatim imminuunt eodem modo; licet in Aqua quam diutiſſime coquatur, nullas ipſi impertit virtutes. Geoffroy et alii.

Intrinſecus uſurpatum nullas pene violentas exercet operationes, nec ſeceſſus nec vomitus excitabit, ut ut in Subſtantia ad ʒi. uſque ſu-

matur; ſed ſi vel vino, vel Saccharo, vel alii cuipiam acri humori immixtum cuivis ebibendum porrigitur, vel ſi et idem, cui exhibetur, in primis viis magna acidi ſcateret mole, purgationes utrinque tam ſupernas, quam infernas excitaret, alioquin nil mali ex ejus uſu pertimeſcendum eſt; ſi illud cum Sacchari ana in Lozengas, vel morſulos, vel tabellas funditur, tunc ex ejus uſu, ejuſmodi ſymptomata non raro exoriuntur; ſunt ergo hæ Tabellæ valde utiles iis, qui morbo chronico laborant; leniter enim humorem peccantem educunt, obſtructioneſque Viſcerum tollunt, ſi quotidie ad ℥i. vel ℥iſs. ſumantur. Barkhuſen pyroſophia p. 204. et Synopſis Pharmaciæ. p. 136.

Ratio actionis eſt, quod hic magis aptum redditur vires ſuas liquidis noſtris communicare, et in ea agere, quod fieri videtur per attenuationem, et proprietatum ejus quandam ſeparationem. Boer. Chem. M. S. p. 190.

Æthiops Antimonialis paratur modo ſequenti.

℞. Merc. viv. purificat. Antim. crud. ſubtiliſſime pulv. ana. q. v. triturentur ſimul uſque dum unientur.

Fertur eſſe Medicamentum inſigniter efficax in Venereis conditionibus inveteratis, in tumoribus cancroſis, Scorbuticis, et Scrophuloſis morbis, obſtructionibus Glandularum obſtinatis, morbiſque aliis diverſis chronicis, qui vim medicamentorum vulgarium eludunt.

Gr.

Gr. pauca in initio exhibeantur; Doſeſque gradatim augeantur ad ℈i. vel ultra pro modo operandi. Perſpirationem promovendo agit præſertim: in conſtitutionibus nonnullis purgans evadit, in aliis, ſi doſis ſit nimis aucta, Emeticum fit.

Alii loco Antimonii crudi triturant Merc. vivum cum Sulphure Antimonii aurato vel Sulphure Antimonii præcipitato.

Aquæ.

Aquæ diſtillatæ e plantis, ſi quas vires habent, eas ratione olei et ſalis volatilis admixti habent. Aquæ igitur diſtillatæ, dictis principiis carentes, aquæ primigeniæ ſeu Elemento aquæ ſunt ſimiles.

Aquæ ſimplices ſtillatitiæ perraro niſi ab imperita plebe, per ſe, ſed vehiculi loco potiſſimum uſurpari ſolent, ad Hauſtus, et Julepa, quæ auxiliantur Spiritibus ægri ſuſcitandis. Hauſtus raro præſcribuntur niſi doſin determinari neceſſum ſit, ut in Vomitoriis, Catharticis, et potionibus ſomniferis; tum Aquæ hæ ab ℥i. ad ij. vel iij. præſertim exhibeantur. Julepa componuntur cum Aq. ſimplic. ℥vi. vij. vel viij. Aq. Spirit. ℥ij. vel ijſs. et Syrup, ℥i.

Aquæ ſpirituoſæ ſtillatitiæ vel compoſitæ raro per ſe ſumuntur, tumque ad Cochl. i. ij.

 iij.

iij. vel. iv. tantum pro vice una ad epotandum porriguntur.

Aqua Alexeteria Simplex. p. 65.

Hæc Aqua ſatis elegans eſt quatenus ad ſaporem et odorem; licet perpauci tales virtutes expectant quales titulus ejus innuit; pro re nata uſurpatur ut vehiculum Medicamentorum Alexipharmicorum, vel in Julepis ſuperbibendis huic intentioni coincidentibus; generaliter autem hæc aqua per ſe exigui effectus eſſe opinatur.

Hujuſcemodi Aquæ moliuntur maxime in omnes Febres ubi humorum Malignitas adſit, vel morbus ad putredinem tendat, vel ubi Diaphoreſis promoveri debet. In Febribus autem putridis, quando Sanguis a Statu naturali recedit vel revera videtur Tabum eſſe ſolum, ſi forte improviſo e vena dematur; in hac conditione aquæ acidulæ ſunt optimæ, quæ comparari poſſint cum Aceto, Succo limonum vel Elixir Vitrioli. Sin valde vires dejiciantur, et circulatio valde langueſcat, in hoc ſtatu præter Veſicatoria, addi oportet Alexipharmica generoſa.

Aqua Alexeteria ſpirituoſa cum Aceto eſt præſtantiſſima hujus ſortis, Julepis commiſcenda adverſus peſtem, et Febres ardentes, ſudorem concitans et malignitatem depellens: Bolis

Bolis cum Radice contrayervæ, croco, &c. nequaquam omiſſis.

Angelicæ Folia, quæ ingrediuntur tres haſce Aquas Alexeterias, ſunt Stomachica, cardiaca ſudorifera Vulneraria, et Alexipharmica; prohibentur eſſe antidota adverſus morbos malignos, venena, et peſtem ipſam. Radix et Semen præferuntur, Radices macerentur in Aceto, Naribus vel admoveantur, vel maſticentur, vel linguæ ſubdentur, vel Acetum jejuno hauriatur Stomacho. Rad. pulveriſat. ʒi. ſumi queat Cyatho Vini generoſi. Sem. pulveriſat. dentur a ʒſs. ad ʒij.

Aqua Alexeteria Spirituoſa. p. 69.

Hæc eſt Aqua jucunda ſatis: Alexipharmica, Cardiaca et Stomachica habetur; prodeſt indigeſtioni, ventri inflato, Colicæ a cauſa frigida et in hiſce intentionibus frequenter uſurpatur in Julepis, &c.

Aqua Alexeteria Spirituoſa cum Aceto. p. 69.

Loco Aquæ Theriacalis datur, Diluatur pro re nata cum Aqua Alexeteria ſimplici. Virtutes ut ſupra ſed potentiores. Dos. ab ℥ſs. ad ℥i. vel iv. Alexipharmica, Sudorifica, et Diaphoretica, cardiaca, carminativa, partium eſt tenuium, prodeſt Nauſeæ, et vomendi

proclivitati; Febribus putridis etiam diuturnis, malignis morbis, ipſaque Peſte confert; vitioſos humores per Urinam expurgat, et attenuat.

Aqua Aluminoſa Bateana per coctionem. *p.* 132.

Ad Ulcera, vulnera, Impetigines, Lichenes, Fiſtulas, cutaneas eruptiones, in quavis corporis parte, &c. lavanda ter quaterve de die calide; mundat, et ſanat. Uſus eſt in Angina, et Columella laxata.

Interdum in uſu eſt ut Collyrium, et Injectio in Gonorrhæa, in fluore albo, quando cum virulentia non ſociantur.

Alumen ingreditur hanc Aquam et Aquam vitriolicam cæruleam. Vid. vires Aluminis Schol. p. 26. 457.

Aqua Anethi Sem. *p.* 65.

Hæc Aqua interdum locum obtinet ut Baſis Juleporum carminativorum; quatenus ad ſaporem ſimilis eſt Aquæ Carui ſem. minus autem congrua. Vires habet ſeminis Anethi, quod nervinum eſt, flatulentias et tormina lenit, alvum ſiſtit, ſingultui vomituique medetur; Colicam a cauſa frigida, ab atonia fibrarum, et humorum viſciditate ſedat. Di-

geſtionem adjuvat, ſi modo a craſſis acribus ſuccis Stomachi membranis adhærentibus, et eundem vellicantibus oritur cruditas; urinam et menſes promovet, Renes et Uterum emundat; Lac auget Nutricum reddendo Chylum magis fluidum, et anodynam habet virtutem. Dos. Sem. ʒi.

Aqua Aniſi Seminum compoſita. p. 70.

Carminativa, ſudorifica et diuretica, Alexipharmica et Antipeſtilens eſt ab Angelica; Pulmonibus et Ventriculo conducit. Dos. Infanti 6. Ann. ℈i. Adoleſcent. 16. Ann. ʒiſs. Juveni 30. ℥ſs. Aqua eſt elegans et vires habet ſeminis, quod Raucedini, Aſthmati, Tuſſi Reſpirationi difficili, doloribus pectoris pungentibus, a crudis tenacibus, et viſcidis humoribus, ſuccurrit; vocatur a nonnullis Pulmonum anima; digeſtionem a Stomachi cruditatibus, Colicam, ſingultum, Capitis dolorem, diarrhæas, coagulationem Lactis in Nutricibus, et Infantium tormina a craſſo phlegmate, adjuvat.

Aqua Aurantiorum ſimp. Corticum. p. 65.

Valde debilis, diluens in febribus, aliiſque morbis ubi Stomacho, et Palato cito fit nauſea. Cardiaca Sudorifera, carminativa et Sto-

machica, doloribus Cholicis, ventriculi cruditatibus, febribus intermittentibus occurrit. Dos. ad ℥ij. et ultra. Aquæ Cardiacæ, præſertim ſi earum uſus diu continuetur, debent leviter impregnari ſapore quovis quantumvis congruo. Hæc et Aqua N. M. congruunt in Febribus mixtæ. Herbæ Aromaticæ plus Olei præbent ſiccatæ quam virides; e contra tamen Cortices Aurantiorum et Limonum plus olei (et conſequenter Saporis, odoris, et virtutis) præbent recentes et virides quam Siccatæ.

Aqua Aurantiorum Corticum Spirituoſa. p. 70.

Bona eſt Aqua cardiaca, Aromatica, Stomachica et Carminativa; præſcribitur in Julepis ut adjutorium in frigidis, pituitoſis, et flatulentis Morbis. Virtutes ut ſupra ſed potentiores. Dos. Infant. 6 Ann. ℈i. Adoleſcent. 16 Ann. ʒiſs. Juveni 30. ℥ſs.

Aqua Calcis magis compoſita. p. 80. *per macerationem frigidam.*

In omnibus hiſce Aquis compoſitis, Articuli additi inſerviunt malo ſapori Aquarum Calcis minuendo, ipſas reddendo magis gratas tam Palato, quam Stomacho, eodem tempore promovendo ipſarum efficaciam, præcipue quando adverſus morbos cutaneos, impuritates

San-

Sanguinis et ſuccorum moliuntur. Sumi queant ad eandem quantitatem ac Aqua Calcis ſimplex, ab ℥iv. ad ℥viij. ter quaterve de die, et aliquandiu continuetur; æger durante earum uſu moderate calidus ſervetur.

Aqua hac diu in Noſocomiis uſi fuerunt noſtris ſub titulo Aquæ liberantis, in Scorbuto, pruritu, cutanea immúnditie, Diabete: exiccat, abſorbet, et edulcorat. Dos. ℔ſs. omni nocte et mane per longum tempus; prodeſt pruritui, affectibus omnibus Venereis a Salivatione, &c.

Aqua Calcis minus compoſita, per macerationem frigidam. p. 80.

Aqua Calcis magis compoſita, vel Aqua Calcis minus compoſita tuto interne concedatur ad ℥iv. bis terve de die horis medicis, in ulceribus obſtinatis internis et externis, laudatur plurimum in ſanandis pulmonibus, amandando Sanguinis particulas acres per meatus urinarias, unde tota Maſſa corrigitur, ulceraque facilius curantur; commendatur a Dr. Moreton in curandis tumoribus Scrophuloſis a morbillis ortum ducentibus. Geoffroy per Douglas tranſl. p. 66. 67.

Aqua Calcis ſimplex. p. 80. *per Infuſionem.*

Vocabatur olim Aqua Benedicta Bateana. Generaliter eximium habetur medicamentum ad Sanguinem edulcorandum, et ipſum balſamicum reddendum; multum valet epota in Faciei rubore et puſtulis, in Strumis, Aſthmate humido, hydrope, catarrhis, Empyemate, Tumoribus aquoſis ſcroti, &c. profluvio albo, Arthritide vaga vel Rheumatiſmo. In diabete curanda optime audit. Efficax eſt in Scorbuto obſtinatiſſimo. Dos. vulgaris ab ℥i. ad ij. iij. iv. v. vi. vel viij. bis terve quaterve de die; aliquandiu ſint Doſes continuatæ.

Multis morbis obſtinatis prodeſſe dicitur, Dyſenteriis, doloribus Rheumaticis, &c. uſurpari convenit in curſu Decocti Lignorum, et in omnibus hujus intentionis. Acrimoniam humorum ſalſam, qualis eſt in ſale marino ac foſſili, et ſalitis pleriſque, mire curat. In Diabete mutat Urinam limpidam et pallidam, in colorem magis rubrum, unde indicatur poteſtas lixivii calcis vivæ ad reſeranda et attenuanda ſalia implicata et obvoluta ſuccis viſcidis Scorbuticorum quorundam. Multum laudatur ad emundanda, exiccandaque ulcera omnia fæda, vetuſta, ſanioſa, vel cum affluxu humorum, tam ejus uſus internus, quam externus frequenter lavando.

Uſui

Uſui etiam externo inſervit ad eruptiones cutaneas, ambuſta, humores Scrophuloſos, qui morbillis ſuccedunt, gangrænas, eryſipelata, fiſtulas, Scabiem, applicando ſæpe de die cum Linteis calidis, et annuente medico, cum paululo Sacchari Saturni.

Boerhaave animadvertit, quod emolumenti eſt prudens ejus applicatio, ubi Corpora abundant Aqua acida, vel phlegmate. Corrigit extricatque ſalia fixa muriatica ſanguinis, ea alterando, atterendo, amandando et e corpore eliminando, unde eximium Remedium ſit in hac Scorbuti ſpecie, producta potiſſimum a ſupradicta cauſa; in illa autem inflammatorii Scorbuti ſpecie, quæ a putredine provenit ab acri Oleo et ſale alkalino, ſumme nocet et deſtruit ejus uſus. Cæteroquin ait quod ſpeciatim convenit Chronicis morbis acidis Regionis Borealis, Scorbuticis frigidis, phlegmaticis, humidis, corpulentis, et torpidis vel languidis conſtitutionibus; Fluori albo, nonnullis fluxibus, fæminarum imbecillitatibus aliiſque morbis a debilitate et laxitate ſolidorum oriundis; Uterum et vaſa ſeminalia peculiarius roborat; e contra valde perniciosum eſt, et deſtruit graciles, macilentos, hecticos, ſanguineos, vegetos, ſtrenuos, calidos, bilioſos habitus, vel Phthiſi propenſos, &c. quoniam in hiſce conditionibus ſalia ſui juris facit, ipſoſque humores determinat ad ſtatum putredinis, cui antea nimium proclives fuerunt a morbi natura.

In

In Climate Meridionali, Lixivium Calcis vivæ infauſtum et lethale fuit medicamentum adverſus morbos chronicos, Scorbutum, &c. Quoniam incolæ Franciæ, Italiæ, et Regionum Auſtralium ſunt natura valde vividi et agiles, eorum Succi proculdubio valde fluidi, et conſequenter eorum Salia attenuantur vel minutim confringuntur, unde lixivium Calcis vivæ, quod eadem ipſiſſima effecta producit in Corpore, non poteſt quin iis incommodum ſit.

Cavendum eſt ne nimis copioſe calidis bilioſis conſtitutionibus exhibeatur, ubi æger multum emaciatur, vel appetitus proſternitur, vel tempore criticarum ſeu periodicarum evacuationum. Generaliter urinam promovet, et diaphoreſin; plerumque alvum conſtipat, cui occurrendum cum idoneis medicamentis quando moleſtiam faceſſit, eam nimis aſtringendo.

Aquam Calcis ex teſtis cochlearum et oſtreorum paratam prætulit Whytt illi Aquæ ex Calce Lapidis vulgaris calcarii confectæ, priorum experientia comprobavit miracula perficere in Calculo humano ſolvendo, quum Pintæ iij. indies ſumantur cum Saponis Aloneſis. ℥i. et aliquandiu continuentur: Si Sapo in forma Pilularum ſumatur dividendus eſt in doſes No. iij. Dos. maxima diluculo jejuno deglutienda, ſecunda doſis hora undecima ante meridiana, et tertia doſis hora quinta pomeridiana; unicuique doſi Hauſtus largus Aquæ

Aquæ Calcis ſuperbibatur, cujus Reſiduum paſtibus ebibatur. Sin æger Saponem ſumere reſpuat, quantitates copioſiores Aquæ Calcis per ſe exhauriat, cum minori ejus quantitate in initio incipiens, Virtutes Aquæ Calcis per ſe duntaxat ſumptas ſpondere haud veretur Dr. Mead; per menſes continuari debet, atqui ſi calculus ſit magnus per Annos.

Calx viva corroſiva et cauſtica eſt, ideo interne nunquam uſurpatur per ſe: Calx extincta et uda non corrodit, potenter autem exiccat, qua intentione ulceribus obſtinatis applicatur, et Aqua Calcis ſimp. eo vel per ſe; vel cum Mercurii corroſivi albi ʒſs. et Aq. Calcis pint. i. f. Aq. Phagedenica, quæ proſpero eventu carnem ſuperfluam vel fungoſam abſumit; ac cum Sp. Vini, et interdum cum Spiritu Vitrioli forti immiſta gangrænæ progreſſum impedit, Aq. Calcis ſimp. cæruleo colore tincta cum vitriolo Cupri, et oleo Roſarum vel Olivarum intime commiſta, efficit clarum illud Linimentum ad Ambuſta, quod impraegnatum ſolutione Sacchari Saturni uſque dum lacteſcit, applicatur ea forma Scabiei, impetigini, pſoræ ulceribus fædis, et Eryſipelati. Geoffroy.

Aqua Cardamomi ſeminum. p. 70.

Aqua eſt grata cardiaca, nervina, carminativa. Doſis Infant. 6. Ann. ℈i. Adoleſcenti. 16.

16. Ann. ʒiſs. Juven. 30. Ann. ℥ſs. per ſe uti licet vel cum vehiculo idoneo.

Semina Cardamomi minoris ſunt Cardiaca, Stomachica, digeſtionem adjuvant, Cerebrum roborant, urinam et menſes promovent, et a nonnullis commendantur ad Vertiginem, et Apoplexiam præveniendum. Doſis in Subſtantia a ℈ſs. ad ℈i. in Infuſo ℥ſs.

Aqua, et Spiritus Vini rectificatus Virtutes ſeminum per infuſionem extrahunt, et per diſtillationem elevant; hac differentia, quod Tinctura, et Spiritus diſtillatus multo gratiores ſunt quam Infuſum et Aqua diſtillata: Infuſum aqueum turbidum et mucilagineum eſt; Tinctura in ſpiritu parata eſt limpida et tranſparens.

Aqua Carui Seminum. p. 70.

Cardiaca, Carminativa, Stomachica, et Diuretica eſt: ſervando multum odoris amittit, idem facit cum Aqua Cardamomi, et doſis eadem; Seminum in ſubſtantia Dos. a ℈i. ad ʒi.

Aqua Caſtorei. p. 66.

Sumitur ab ℥i. ad ℥iſs. et ultra: in ſubſtantia magis prodeſt. Dos. Infant. 6. Ann. gr. iv. Adoleſcenti 16. Ann. gr. xv. Juveni 30.

Ann.

Ann. ʒſs. ſervando odorem amittit. Vires ut fere Caſtorei habet, quod Cephalicum eſt. Nervoſo generi conducit, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſi, vertigini, Lethargo præſertim, paſſionibus Hyſtericis, Colicæ torminibus, Menſibus obſtructis, doloribus poſt puerperium, ſpaſmis, et convulſionibus: anodynum eſt; Opii virulentiam corrigit.

In diſtillatione multum Odoris impertit aquæ, nullum autem Sp. Vin. rectificato.

Aqua Cinnamomi ſimplex. p. 66.

Cephalica et Cardiaca eſt, ſanguinem et Spiritus reficit roboratque; ſine vel cum alterius Aquæ cordialis additione, in Syncope et animi deliquio, &c. inſignis. Aqua hæc cum aqua hordeata et Oxymel. Scillitic. ana. cochleatim ſumpta mirifice ſolet prodeſſe in Aſthmate.

Aqua Cinnamomi Spirituoſa. p. 71.

Optima Cardiaca eſt, et uſitatiſſima Aquarum Spirituoſarum. Cortex Peruvianus interdum in Stomacho non morabitur, ſed Vomitu vel dejectione ejicitur, in quo caſu retinetur hanc Aquam ſumendo. Doſis Infanti. 6. Ann. ℈i. Adoleſcenti 16. Ann. ʒiſs. Juven. 30. Ann. ℥ſs. et ultra. Multo minus ef-

ficax

ficax in Diarrhæa quam decoctum vel extractum ejuſdem. Vis ejus præcipue Aſtringens in Cortice quærenda eſt. Si Aquæ Cinnamomi, Menthæ, &c. diutius quam par eſt diſtillationi committantur, aciditas impertitur, quæ oleum aquæ corrumpit, rancidam reddit Aquam, minuſque conſervabilem, vel vomitivam qualitatem communicat, a quo acido Cuprei Alembici particulis metallicis imprægnatur; coloris virentis fit et Emeticum; Diarrhæam aliquando producit. Cui vomitioni et Diarrhææ ab Aquis non genuinis nimis diu diſtillatis, nil fælicius ſuccurrit quam hauſtus largi Lactis, vel Hydromellis, vel Enemata eorundem liquorum injecta. Vid. Schol. p.

Aqua Fœniculi Seminum. p. 66.

Olim vocabatur Aqua Fœniculi vulgaris. Thoracica eſt, ventriculo corroborando, flatibus diſcutiendis, tuſſi mitigandæ optime conducit. Colicis doloribus ſuccurrit, ventriculi concoctionem adjuvat, et Ventris tormina ſedat. Notiſſima eſt aqua et familiariſſima plebeis pro Infantibus. Dos. ℥ſs. cum Saccharo; Hæc Aqua eſt ſatis grata.

Aqua

Aqua Fortis. p. 46.

Menſtruum ſat famoſum in Chemia exiſtit, præſertim in Metallurgia, et Arte Tinctoria. Inſervit ſeparationibus Argenti ab Auro, ut et calcinationibus Mercurii; corroſionibus diverſorum Metallorum et Mineralium, unde varii Croci, et flores Metallici.

Siquando effluvia Aquæ fortis, vel Spiritus Vitrioli fortis pulmones evadant, unde oriuntur Peripneumoniæ atroces ſæpe et Aſthmata, pulmonicum optimum eſt vapor Urinæ putrefactæ directe in os patulum receptus, a quo vapore ipſum acidum pulmones infeſtans, convertitur in ſalem volatilem innocuum. Solvit Argentum, Martem, Mercurium, Venerem, diciturque ab Aurifabris Aqua ſeparatoria vulgo. cum omnibus Metallis ſeſe jungit, dempto Auro et Jove.

Aqua Fortis compoſita. p. 46.

Olim vocabatur Aqua Regia, et Lavacrum Minerale Solis, utilis præcipue Sulphureis mineralibus, ut Antimonio, et Auro ſolvendis; parando Mercurio corroſivo rubro, quod acidum marinum in hoc liquore compoſito reddit magis Scintillans, et viſui pulchrius, quam confectum cum acido Nitri ſolum.

SCHOOL OF MEDICINE

Aqua Hordeata. p. 76. per decoctionem.

Diluens Febricitantium potus eſt, Sitim tollens, fervores mitigans, pulmones demulcens, urinam movens, in fibra rigida et in Phthiſi pulmonali relaxans; in æſtu febrili, tuſſi, &c. exhibetur. Refrigerat, abſtergit, humectat, lenit, diureſin promovet, humorum acrimoniam mitigat, et obtundit; emollit et lubricat in Colicis et Nephriticis doloribus; et ſanguinis effervescentiam compeſcit.

Aqua Juniperi compoſita. p. 71.

Bona eſt Aqua Cardiaca et Carminativa per ſe; Urinam et ſudores movet, flatus diſcutit, ſaburram Renum ejicit, arenulas pellit, calculoſis confert, menſes ciet, prodeſt in Hydrope, Colica, &c. Dos. Coch. iij. vel iv. vel ℥i. ij. vel. iij. bis terve de die: commiſta cum æquali circiter quantitate Rob. Juniperi baccarum, vel Rob. baccarum ſambuci utile eſt Medicamentum in Catarrhis, vel frigore ſuſcepto; in Stomachi vel Inteſtinorum debilitate; in Dyſuria, vel meiendi difficultate.

Quando ſabulum, lapillus vel cauſa obſtruens a Renibus ſeparatur, olea mollia expreſſa, vel ſubſtantiæ oleoſæ ut Aq. Junip. comp.

cum

cum Syrupo quovis diuretico ſumi tuto poſſit, ut ſtimulans et meatus relaxans.

Aqua Menthæ piperitidis ſimplex. p. 66.

Valde elegans et utilis hæc Aqua, Coch. i. vel ij. pro vice una ſumpta ſufficiunt, multumque ſnbveniunt flatulentæ Colicæ frigidæ; nauſeam, vomendi enixus, et alvi fluxus tollit; Stomachica eſt et Sudorifera, in calculo Renum et Veſicæ biliariæ æſtimatur. Si ter cohobetur, Remedium eſt celeberrimum in Hyſtericis, cholera morbo, materie arthritica in Viſcera delata ad ℥ſs. quavis hora repetita uſque dum cura efficiatur, et plurimum laudatur a Sydenhamo ad hæc propoſita. Hæc Aqua a nonnullis vocatur Aqua Colica; Dos. ℥ij. vel iij. in Julepo cochleatim ſumi poſſit; nonnulli ſubſtituunt infuſum ſimplex Foliorum, quod non multum differt ab Aqua deſtillata.

Aqua Menthæ piperitidis ſpirituoſa. p. 71.

Virtutes ut ſupra; uſui eſt in flatulentis Colicis frigidis et morbis ſimilibus, quibus ſæpe numero multopere ſubvenit confeſtim; non æque prægnans eſt virtutibus Menthæ piperitidis, ac Aqua Menthæ piperitidis ſimplex, licet herbæ eadem quantitas in ambabus adhibeatur.

Aqua Menthæ vulgaris ſimplex. p. 67.

Stomachica et Sudorifera eſt, flatus diſcutit, ventriculum roborat et aſtringit, ſingultum et vomitum ſiſtit, Infantum torminibus ſuccurrit. Dos. per ſe a. ʒi. ad ℥ſs. ℥i. vel ij.

Aqua Menthæ vulgaris ſpirituoſa. p. 72.

Hæc Aqua debilior eſt viribus Menthæ, quam Aqua Menthæ vulg. ſimplex; nihilominus ſi Spiritus fuerit probus, Medicamentum fit valde elegans carminativum, in Stomachi debilitate, vomitus proclivitate, ſimilibuſque; multis præparationibus magis elaboratis præfertur. Ubi morbus cum ardore vel inflammatione non ſit comitatus, Aquæ hujus ℥ſs. frequenter ſolamen tulit; ſi diluatur cum Aquæ fontanæ quantitate convenienti, valde Medicinalis et efficax erit. Poſt uſum prævium purgantium, Gonorrhæa inveterata, et fluor albus fæliciter amoventur ſolum uſu hujus Aquæ Menthæ vulgaris ſpirituoſæ in debita quantitate adhibitæ; prodeſt atrabilariis Hyſtericis.

Aqua Nucis Moſchatæ. p. 72.

Cardiaca et Cephalica eſt, omni nervoſo generi convenit Balſamica vi; concoctionem adjuvat, Stomachum corroborat, flatus diſcutit, Aquæ Aurantiorum ſimplici commiſta perbene convenit febribus.

Doſis Infanti 6. Ann. ℈i. Adoleſcenti 16. Ann. ʒiſs. Juveni 30. Ann. ℥ſs. et ultra.

Aqua Piperis Jamaicenſis. p. 67.

Aqua diſtillata valde elegans, nuperque frequentioris eſt uſus; odorem et ſaporem pimentæ, vel piperis nigri integre poſſidet, et officinalis præparatio ſola eſt in quam piper Jamaicenſe ingreditur. Quoſcunque humores pituitoſos reſolvit et attenuat, frigidis affectibus ſummopere occurrit, coctionem adjuvat; mediante ſale volatili acri aromatico et Oleo tenui ſpiritus animales torpidos excitat, colicis et iliacis, Scorbuticiſque opitulatur. Dos. ℥i. et ultra.

Aqua Pulegii ſimplex. p. 67.

Aperit, attenuat, diſcutit, ſtimulat et expectorat, carminativa eſt, Menſtruas evacua-

tiones promovet, multum valet in Pleuritide, Ictero, Partu difficili, ſecundinis retentis, paralyſi, nauſea, et ventris torminibus, Hydrope, calculis et urinis pellendis, Pulmonum infarctionibus, pertuſſibus obſtinatis, Catarrhis inveteratis, et Raucedine cum Saccharo Cryſtallino. Dos. ℥i. vel ij.

Aqua Pulegii ſpirituoſa. p. 72.

Virtutes ut ſupra. Dos. Infanti 6. Ann. ℈i. Adoleſcenti 16. Ann. ʒiſs. Juveni 30. Ann. ℥ſs. et ultra in uſum ſæpe venit ut Carminativa et Hyſterica.

Aqua Raphani compoſita. p. 72.

Incidit, attenuat, calculum pellit, et menſes ciet. Antiſcorbutica, Nephritica et Diuretica eſt: valet in Ictero, cachexia, et Hydrope; Doſis ab ℥ſs. ad ℥iij. vel ℥iv. niſi immediate a diſtillatione; quoniam adeo calida et pungens eſt, ut difficile ſumi queat niſi cum diluentibus. Aqua eſt turbida et lacteſcens, ſi bona. Antiſcorbutica et diuretica magis efficacia ſunt in infuſione cum Aqua fervente in vaſe clauſo. Huic adde guttas aliquot Spiritus ſalis marini, in calculo Renum et Veſicæ.

Aqua Roſarum Damaſcenarum. p. 67.

Refrigerat, humectat, Cardiaca et Cephalica eſt: uſus in Julepis, Emulſionibus, Potiunculis. Doſis pro re nata ad ℥i. vel ij. in Julepo cum Saccharo. In Syncope conducit, ſomnum inducit, Spiritus et Cerebrum recreat. Hæmoptoſi, Hæmorrhoidibus, Gonorrhæis, aliiſque fluxibus confert. Dos. ℥vi. Applicatur ad oculos inflammatos rubros. Ex reſiduo poſt diſtillationem paratur Syr. Roſar. ſolut. ad p. 102.

Aqua Sapphirina, p. 132. *per Infuſionem.*

In hac Aqua Medicamentoſa, Aqua Calcis exiccat, Sal ammoniacus ſumme reſolvit, et Tinctura e Cupro vehementer corrodit. Debilior, minus cauſtica, et minus Emetica eſt quam Aqua vitriolica cærulea ſequens; et ab invicem parum differunt quoad virtutes. Ratione ſalis acris ventriculum irritat ſubmovetque; inde nauſea provenit, atque vomitus propter ſulphur Metallicum Cupri, quod aperitur ab urinoſis et Alkalinis, unde Tinctura adepta eſt valde cærulea.

Externe adhibetur in Maculis et Membranulis Oculorum, inſtillando gutt. ij. iij. vel iv. pro vice in oculos, quorum fluxionibus,

 puſtulis,

puſtulis, ſuffuſionibus, et ulceribus omnibus medetur. Collyrium eſt cærulei amœni coloris; aliquando cum Aqua Roſarum permiſcetur. Etmuller affirmat quod Pterygium oculorum curat; Frequenter adhibita, detergit ulcera fœda, et obſtinata; hinc Verrucæ extirpantur; ſæpe humectando pennulam et tangendo eas, decident; e Syringa injicitur in ulcera ſordida a Chirurgis.

Adhibetur Lotionibus et Fomentis, ad tumores Oedematoſos et Arthriticos diſſolvendos, ad abſumendam carnem gangrænæ putridam, ad Gonorrhæam ſiſtendam (poſt uſum aliorum) Ulcera detergenda, et exiccanda. Geoffroy.

Tinctura Veneris externe valet in Cancro exulcerato extinguendo, ut et gangræna delenda; inſervire poteſt in oculorum affectibus, ut lippitudinibus, ulceribuſque, ſed præſtat ab ea abſtinere. Anatomicis inſervit ad demonſtranda vaſa capillaria, ſi per Syringam injiciatur. Le Mort. Chem. Leydens. p. 207. Chem. Medico-phyſic. p. 228. et alibi.

Huic Tincturæ, et Aquæ Sapphirinæ, præfertur Tinctura Cupri alkalina, in morbis modo dictis. Schol. p. 27. Quæ Antepileptica, Antapoplectica, Antihyſterica eſt, et obſtructiones reſerat, ſi competenti Doſi cuipiam propinetur in liquore non acido convenienti, ut Syr. ex Althæa Syr. Pectoral. ℥ſs. vel paululo Hydromellis, Aquave Juniperi compoſita a gutt. ij. ad v. vel x.

et ultra ter quaterve de die. In Hydrope, reſpiratione difficili, Aſthmate, &c. prodeſt; vermes omnigenos in corpore deſtruit; Gonorrhææ conducit; exiccat ulcera omnimoda antiqua, ſanioſa, lacunoſa, madentia, ſtillantia, ubi mitia corroſiva talia exigantur; carnem fungoſam abſumit, oculorum vitiis ſuccurrit, ſi cum Aqua Roſarum permiſceatur. Boer. chem. paſſim.

Tincturæ Doſis Infanti 6. Ann. gutt. v. Adoleſcenti 16. Ann. gutt. xv. Juveni. 30. Ann. ʒſs. Barchuſen Synopſis Pharmaciæ, p. 198. ſub Tinctura Veneris.

Aqua Sulphurata, p. 54. per Fumigationem.

Olim vocabatur Gas Sulphuris, refrigerat in Febribus, putredinem arcet, Epilepſiæ prodeſt, cum conveniente liquore exhibita. ſumatur ad Coch. i. vel ultra in Thea, et aliis liquoribus, in Morbis pectoris, Dyſpnœa, Aſthmate, &c. Aqua ſulphurata eſt Aqua acidis fumi Sulphuris impregnata. Quomodo autem differt ab Aqua acidulata cum ſpiritu Sulphuris, hariolari nequeo; perinde atque Spiritus Sulphuris ipſe nihil eſt præter fumos Sulphuris condenſatos. Volatilitas hujus Aquæ perit aliquandiu ſervando.

Aqua Vitriolica cærulea, p. 132. *per coctionem.*

Olim vocabatur Aqua Styptica Sydenhami; multo fortior eſt quam Aqua vitriolica camphorata ſequens; ſanguinem confeſtim coagulat, et hæmorrhagiam e Vulneribus ſiſtit, lavando, vel intingendo linteamina duplicata, triplicata, vel quadruplicata in hac Aqua, applicanda arteriæ ſanguinem fundenti, vel trunco membri poſt amputationem, cum ligatura convenienti; Vulnera ſunt circumligandа. Sydenhamus hanc Aquam adhibet ad hæmorrhagiam Narium ſiſtendam; qua hirqui ſolent illiniri, atque ſi nimis ſit fortis, diluatur Aqua fontana, vel Aqua Roſarum.

Aqua Vitriolica Camphorata, p. 133. *per ſolutionem.*

Olim vocabatur Aqua Styptica camphorata, et Aqua vitriolica ophthalmica. Hæc eſt debilior ſolutio Vitrioli, quam Aqua Vitriolica cærulea: Camphora hanc Aquam reddit diſcutientem; bonum ingrediens eſt in Collyriis ad Ophthalmiam, ad inflammationem oculorum mitigandam, ad humores craſſos acres potenter attenuandos, qui Rheumatis cauſæ ſunt: tum ad vulnera, tum ad alias hæ-

hæmorrhagias frequenter et quidem utiliter hanc Aquam novi uſurpatam. Geoffroy.

Lippitudini rubedinive oculorum ſuccurrit, ubi aliquantiſper Glandulæ quoque Lachrymales exudant Lachrymas juſtis ſalſiores, ipſi tenerrimæ oculorum ſtructuræ valdopere infeſtantes, et mordicantes. Hac Aqua tepefacta foveantur quævis ulcera; fluxiones ſiſtit, mundificat, roborat; Dentes figit, Gingivas firmat, putredinem earum arcet; Ignem ſacrum ſive Eryſipelas, et manus ſcabioſas curat, prægreſſis venæ ſectione et Catharticis. In Epiphora, &c. mira præſtat; in Narium hæmorrhagiis turundam hac aqua imbutam ad Naris ſummitatem intrudendam per ſe, aut pulvere Colcotharis vitrioli conſperſam ad ſummam rubedinem calcinati, multum prodeſſe expertus ſum. Vitriolum album, hanc Aquam, ut et Aquam Aluminoſam Bateanam ingreditur, p. 38.

Vitrioli albi acutæ prominentiæ ſi in fibrillas Narium impingant, copioſam mucedinem eliminant: quapropter a circumforaneis errhini loco ad educendos Capiti infenſos humores ſæpe ſæpius adhibetur. Mitius vitriolo viridi vel Martiali; et Vitriolum viride mitius eſt vitriolo cæruleo vel venereo.

Vitriolum album aqua tepida depuratum, filtratum et inſpiſſatum ad ſiccitatem, tuto exhibeatur adultis ad ʒi. in vermibus, ſi diluatur pulmentario, vel jure carnium. ad vomitum excitandum fit utile a gr. v. vel vi. ad

℈i.

℈i. vel ʒi. in vehiculo convenienti vel cereviſia calida, in qua more ſalium integre liqueſcit; a Paracelſo aliiſque Chemiſtis, æſtimatur vomitorium egregium, miteque Hydragogum ad ʒi. et ad ℈iv. non ſolum ad Stomachum emundandum, quinetiam ad eum et inteſtina roboranda, ab aſtrictione ejus, unde eventu bono in Diarrhæis, et Dyſenteriis concedatur. Cito vomitum excitat in ipſo momento quo deglutitur, et citum eſt remedium ad Venena in ſtomachum ingeſta. Hæc ſolutio Vitrioli albi in aqua, eſt Gilla vitrioli, quod verbum eſt Arabicum, quo ſignificatur Sal, qui pro ſale vitrioli Emetico habetur.

Vitriolum quodcunque vomitum movet, ſed interea potentius Venereum, quam Martiale; externe detergit et mundificat potenter. Græce nominatur *χαλκανθον* ex *χαλκος*, æs, et *ἀνθος*. flos, ſeu Æris flos.

Vitrioli ſolutio vertit Tincturam Heliotropii in colorem languido-purpureum; Syrupum Violarum in ſubviridem; coagulat Lac; non autem mutat Solutionem Mercurii corroſivi ſublimati. Quando commiſcetur ſolutioni Salis Tartari, vel Aquæ Calcis, color fit parum ſubflaveſcens, et communicat nigram vel ſubobſcuro-purpuream tincturam Gallarum infuſo, quod revera peculiare eſt Vitriolo.

Ar-

Argentum vivum purificatum, p. 58. *vel Hydrargyrum, Græce,* ὑδράργυρος, *quaſi, aqueum Argentum, vel Mercurius crudus; cum Calce viva, cineribus clavellatis, vel Limatura Chalybis, obtinetur Mercurius puriſſimus.*

Mercurius crudus ſagaciter adminiſtratus proculdubio eximium eſt medicamentum; per ſedem, ſudorem vel diaphoreſin interne ſumptum, et unctione applicatum, operatur; aperit poros, vaſa minuta, et glandularum ductus; humores coagulatos reſolvit, nimis craſſos, glutinoſos et viſcidos atterit, attenuatque, præſertim Lentorem Lymphæ et Seri; diſſipat concretiones etiam in remotiſſimis corporis partibus. Quibus rationibus ſingularis eſt momenti in Tumoribus, Glandulis tumidis, Splene Schirrhoſo, Meſenterio, Hepate, Gangliis, tumoribus Strumoſis, aliiſque hujuſmodi morbis. Fluidorum acrimoniam obtundit; hinc mira præſtat in tumoribus Venereis, Bubonibus, Ulceribus, Puſtulis cutaneis, Scabie, pruritu, aliiſque cutis affectibus; Remediis univerſalibus generis præparatorii, præcipue Evacuantium, non ſolum præegreſſis, ſed uſum Mercurii concomitantibus. Antequam Mercurii uſus in quavis forma aggrediatur, ſanguis adimendus eſt ad minuendam Vaſo-

Vaſorum plenitudinem, Balneo calido utendum, medicamentis diluentibus, quo humores magis fluidi, et fibræ ſolidæ molliores reddantur; purgandum eſt, quo exitus aperiatur moleculis ſuccorum in corpore mucoſis jam liquefactis et diſſolutis ab uſu Mercurii. Dein æger collocandus eſt in loco calido, ne perſpiratio inſenſibilis inhibeatur, quæ levi exercitatione promovenda eſt. Fr. Geoffroy tranſlat. per Douglas, p. 121. 122. 123.

Nulla forſan Mercurii præparatio pluris valet in deſtruendis vermibus quam Argentum vivum indies mane aliquandiu jejuno ſtomacho ab ℥ſs. ad ℥ij. ſumptum; cavendum autem eſt ne frigus contrahatur, quod interdum ſalivationem levem ciet, licet rariſſime. Boerh. de poteſtatib. Medicament. Brown. Le Clerc. ad p. 411. ait ſe conceſſiſſe Merc. crud. ℥ij. vel ℥iij. ultrave in vermibus, paſſione Iliaca; atque Infantibus majoribus ʒij. tuto concedantur. Matthiolus refert quod nonnullæ mulieres gravidæ ſumpſerunt Merc. ad ℔i. ad abortum procurandum, aſt fruſtraneo eventu.

Argent. vivi ℔i, decoq. in Aq. pint. vi. hor. i. liquor hic limpidus datur tam pueris quam adultis, atque nihil ponderis amittit ab hac coctione. Geoffroy.

Argentum vivum purificatum conceditur pueris a gr. ij. ad gr. xx. cum ſucceſſu. Utitur in Arthritide, Hydrope, Aſcite, Aſthmate, plurimiſque aliis morbis chronicis cum optimo eventu;

eventu; huic praxi autem oppugnant Boerhaave, et alii, in Aſthmate, morbiſque pulmonum, et inquiunt quod vires huic attributæ in hoſce morbos non operam ſuam pollicentur.

1. Vis Mercurii crudi pendet ab ejus ſoliditate, homogeneitate (quæ ſibi in omnibus partibus ſimilis eſt) diviſibilitate ſumma, mobilitate, et aptitudine ad penetrandum omnes meatus. 2. Hinc ejus actio, dum crudus fluit in corpore humano, etiam excipitur ubi vaſa anguſtiſſima, hoc eſt, in ſolidis minimis, ergo ſæpe ad Glandulas. Hinc omnis generis morbos curare poteſt, qui conſiſtunt in materie viſcida ad capillaria vaſa; atque hæc ratio eſt cur Mercurius in ſanandis omnis generis ulceribus pulmonum phthiſicis nihil plane efficere valeat: quia ſcilicet vaſa pulmonum minima licet, nimis tamen patula ſunt quam ut determinari eorum actio queat, ubi in Glandulis fit.

Ejus vero acidi facti Vis eſt duplex, 1. Stimulans, quam a pondere Mercurio naturali habet. 2. Corroſiva, quam a natura Salium accipit additorum; Hinc ejus Vis in fluida eſt, illa ſummopere dividere, liquefacere, hoc eſt putrefacere, nam revera quando vehementer agit Mercurius dulcis, &c. inter ſalivandum, totum corpus in Cadaver quaſi convertit, uti fætor demonſtrat cadaveroſus, quando agere incipit.

Virtus

Virtus chemica et medicinalis aſcribitur magnæ ejus ſpecificæ gravitati, et velocitati, etiam particulari exilitati et configurationi partium ejus; per momentum quarum proprietatum, neceſſario ſolvet cohæſiones præternaturales omnium liquorum ſibi obvias; ſpeciatim liquorum circulantium in minimis canalibus magis viſcidorum et tenacium, eoſque magis fluxiles et tenues reddet vel ſecretiones facilius protrudet. Hac ratione magis penetrat, diſſolvitque Sanguinis et Succorum texturam, vel obſtructiones in corpore potentius aperit quam ullum aliud medicamentum. Qua de cauſa tam cito humores putrefacit, ut inter ſalivandum obſervamus, perrumpendo enim fluidorum texturam, et aliquoties pariter ſolidorum, ea ita attenuat et reſolvit ut graveolentia reddat. Quicquid enim animalia fluida reſolvit, neceſſario illis diſſentaneum conciliabit odorem; veruntamen odor fœtidus ex ſalivatione oriundus, infectioni morbi, et Mercurio nequaquam attribuendus, quaſi Mercurius poteſtatem habuerit virus fluitandi, et ſalivam male odoratam e corpore educendi. Boerhaave Chem. M. S. et impreſſ.

Mercurius crudus non acidus eſt. Boer. Theor, Chemiæ. acidum autem quodcunque in corpore imbibit: quin etiam internecionem minatur, immo et affert omnis generis Vermibus, pediculis, &c. inſectis. Barchuſen pyros. p. 179.

Mer-

Mercurii actio ſive virtutes, vel vires generales; ex Tractatu Franciſci Geoffroy tranſlat. per Doug. p. 237.

Mercurius non agit ut acidum, vel Alkalinum, quandoquidem eadem producit Effecta, utrum commiſceatur ſalibus acidis, vel per ſe in ſanguinem ingeratur abſolute crudus ſine commixtione, quemadmodum per Frictionem et Fumigationem. Neque Virus venereale acidum eſt, ſaliva enim affectorum hoc morbo nulla aciditatis ſigna demonſtrat, ſed e contra Alkalinæ naturæ, Syrupum Violarum viridem reddendo: non igitur cenſendum eſt mercurium agere ut abſorbens, vel Alkali, partes acidas Virus hujus Venerei involvendo, alia enim abſorbentia huic intentioni melius ſatisfacerent. Probabilius eſt, omnem Mercurii Vim et energiam hiſce qualitatibus conſtare, viz. magna ejus diviſibilitate, gravitate, et figura Sphærica particularum ejus, qua ad intimos corporis receſſus penetrare valet, inter omnes Sanguinis et ſeri partes ſeſe inſinuare, ac omnes concretiones ſibi occurrentes dividere; non ſolum præveniendo earum mutuum contactum, ſed earum fluiditatem magis augendo, parvam Sphæram ſolidam gravem inter ſingulas duas moleculas majores ſuccorum interponendo. Porro cum Moleculæ hæ orificium Vaſorum minimorum ſtagnant cum Globulis Mercurii interjectis, perfecte viribus ſolidorum et fluidorum circulantium abjectantur; hinc adeo

comminuuntur, et minutim partiuntur, ut per minimas canaliculas trajici poſſint. Siquando corporis Emunctoria animadvertimus Lympham craſſam vel viſcidam tranſmittendi capacia, omnia reducuntur ad Glandulas ſalivales et inteſtinales: Illæ enim Renum et Cutis tranſitum tenuioribus Lymphæ partibus ſolum dant, ob vaſorum exilitatem, ex quibus componuntur; hinc patet Medicamenta Diuretica et Sudorifera ſufficientem effectum nequaquam edere in Morbis venereis queant, quoniam per poros et canales Renum et Cutis partes ſubtiliores trajiciendo, craſſiores et viſcidiores in corpore remanſerint indiſſolubiles.

Glandulæ autem ſalivales et inteſtinales has partes magis concretas ſegregandi habent poteſtatem. Itaque Mercurio aſſumpto, ambo vel alterutrum Emunctoriorum horum Lympham hanc viſcidam, prout in majori vel minori quantitate in corpore ſcateat, tranſmittunt. Excretio hæc fit copioſiſſime a Glandulis ſalivalibus plerunque, propterea quod exquiſitiſſime ſenſitivæ ſunt. Sin Lympha evacuanda Glandulas inteſtinales acerrime irritat ſtimulatque, per has traducitur; adeo ut Lymphæ determinatio ex ambobus vel alterutris horum Emunctoriorum ab acrimonia ejus dependet; hac ratione fit, quod cum Glandularum inteſtinalium irritatio a medicamento cathartico plurimum augeatur, Excretio hac via præcipue fit, et Salivatio

im-

imminuitur, vel omnino ſupprimitur. Mercurius crudus conceditur in magna quantitate in paſſione Iliaca, nempe ad ℔ij. vel ℔iij. cum Olei ℔ſs. valetque ſæpiſſime in amovendis obſtructionibus et Fæcibus detrudendis; ſin obſtructio valde compacta et concreta fuerit, Mercuriuſque diu in Inteſtinis remanſerit, hac mora noceat tantum pondere ejus magno. Geoffroy.

Mercuriius ſaccharatus fit modo ſequenti.

℞. Merc. puriſſim. Sacch. Cryſtallin. rub. ana. ℥ſs. Ol. Junip. Eſſential. gutt. xvi. probe terantur in Mortario vitreo, donec in partes inviſibiles abeat Mercurius. Dos. hujus medicamenti a gr. ij. vel iij. ad gr. x. vel ℈i. ut alterativum ad vermes. Cautius adhiberi debet quam Æthiops Mineralis ob metum Salivationis: ab additione Olei Mercurius totaliter diſſolvitur in Aqua abſque ulla ejus ſeparatione.

Vel Mercurius Saccharatus concedi poteſt a ℈i. ad ʒi. ad eadem propoſita.

Nonnulli utuntur Cingulis ex Goſſipio confectis cum Mercurio albumine Ovi conquaſſato, uſque dum ambo in ſpumam convertantur; Cingula illita a Goſſipio imbibuntur; quæ geſtentur circa medium adverſus Morbos cutaneos; hoc autem caute admovendum.

Argentum vivum pleriſque Metallis intime commiſceatur, Antimonio, Cupro, et Marte vel ferro exceptis; et eſt ponderoſiſſimum

omnium Metallorum, dempto Auro, quod ad Mercurium eſt, ut 4. ad 3.

Solutio Mercurii in Spiritu Nitri, Sero Sanguinis affuſa, coagulat illum plus quam ullum adhuc aliud.

Aſa fœtida. p. 26.

Vide ſub Gummi. Schol.

Aurum muſivum. p. 58.

Nomen ejus recipit ab aureo micante colore, potius autem inſignari poteſt Titulo Florum Jovialium; Calx enim eſt Stanni fere et preterea nihil, reducibilis in formam metallicam priſtinam per fluxus proprios, et color aureus micans hujus præparati probabiliter portioni minutæ Sulphuris ei adhærentis debetur. Aurum muſivum invenitur ſub materia ſublimata, cum ſordibus quibuſdam in fundo. Hoc Medicamentum impræſentiarum parvi, licet olim multi, æſtimabatur, in Hyſtericis, et Hypochondriacis conditionibus, Febribus malignis, et morbis venereis; commendatum fuit in hiſce ultimis, quoniam mercuriale ſupponitur; nulla autem Mercurii pars retinetur in hac præparatione. Ingredientia volatilia, Sal Ammoniacus, Sulphur, et Mercurius vivus, in hoc proceſſu ſublimantur, partim

partim evadunt, partimque in Scorias formantur; Sulphur et Argentum ſimul uniuntur in Cinnabarim. Stannum per ſe calcinatum prope tantum ponderis obtinet, quantum in Aurum muſivum confectum. Dos. a gr. x. ad xxx. vel ultra, vel Dos. Infanti 6. Ann. gr. vi. Adoleſcen. 16. Ann. ℈i. Juven. 30. Ann. ℈ij.

Axungia porcina. p. 23. *Axungia viperina. p.* 23. *Sevum Ovillum. p.* 23.

Omnes adipes in genere craſſis ſuis particulis ferociam humorum temperant, obtundunt acres humores, emolliunt, maturant, relaxant ſolida, mitigant dolores et inflammationes, tenſiones et rigiditates partium, quibus applicantur, et perſpirationem præveniunt: hæc effecta, cum eorum conſequentiis, expectari poſſint in majori vel minori gradu, a pinguedinibus vel adipibus cujuſcunque generis.

Axungia porcina plurimi uſus exiſtit in Ceratis et Unguentis inde conficiendis: ingreditur Ceratum Mercuriale, Unguentum Cæruleum fortius, Unguentum cæruleum mitius, Unguentum ad Veſicatoria, Unguentum ſimplex, &c.

Axungia Viperina remedium eſt demorſis a Viperis, parti affectæ axungiam applicando: ingreditur Ung. Tutiæ.

Balſamum Guaiacinum. p. 93.

Olim vocabatur Balſamum Polychreſtum. Virtutes omnes Guaiaci, et Balſami peruviani poſſidet. Hoc Medicamentum magnæ eſt efficaciæ, et propoſitis multis obſtinatis chronicis utile; habitum calefacit, Stomachum, et Inteſtina, aliaque Viſcera debilia, et Syſtema nervoſum roborat, flatulentias expellit, colicam ſedat, et dolorem alvi ſiccæ; perſpirationem inſenſibilem, et circulationem promovet, viſcidos humores attenuat; hinc uſus eſt in nonnullis Aſthmatibus, aliiſque morbis a debilitate et laxitate ſolidorum oriundis, et ab inertia ſuccorum. Emolumenti in morbis eſt Rheumaticis, Scorbuticis, et Scrophuloſis, ſpeciatim ubi patiens frigidi phlegmatici eſt temperamenti; necnon in Gonorrhœis, in debili laxo ſolidorum ſtatu, in omnibus Venereis, Scrophuloſis conditionibus, Ulcerationibus Urethræ, Pulmonum, Renum, viſcerumque aliorum defectibus et corruptelis, Aſthmate, Tuſſi, Phthiſi, Fluore albo, doloribus nephriticis, Menſium obſtructionibus, Ictero, Scorbuto, Elephantiaſi, et Gonorrhœa inveterata. Doſis ut alterativum. gutt. xx. vel xxx. bis terve de die in vehiculo quovis idoneo. Doſis ut Catharticum a gutt. LXX. ad LXXX. vel ad Cochl. i. vel ℥ſs. In Vehiculo aquoſo

lac-

lacteſcit; in quovis autem liquore adhiberi queat.

Uſus eſt in Hydrope, Catarrhis, aliiſque morbis a phlegmate, aut flatibus oriundis: Nervos calfacit, et Spiritus reficit. Optimum eſt medicamentum ob facilitatem parandi et aſſumendi; omnibus ſcopis Potuum lignoſorum reſpondet; exiccat, diſſipat, detergit, ſanat, omnes humores acres ſuperfluos e corpore per tranſpirationem inſenſibilem, aut ſudorem amandat, Dyſenteriam amovet: Groſſam viſcidam materiem incidit, attenuat, detergit, obſtructiones Hepatis, Splenis, aliarumque partium aperit, humores frigidos diſſipat. Mire ſuccurrit Arthritidi omnis generis, Chiragræ, gonagræ, podagræ, Iſchiadi; curat omnes morbos a reſolutione nervorum, Paralyſin ſublevat, et Stuporem.

Specificum eſt in Lue venerea, cum famulitio ejus, Puſtulis, Tuberculis, ulceribus, et doloribus, ſine corporis nocumento, vel Virium proſtratione.

Dr. James, in Pharm. Lond. p. 682. ait ſe parum emolumenti ex Balſamo Guaiacino obſervaſſe; multo autem melius proſit, correſpondeatque propoſitis, quando miſcetur et conjunctim exhibetur cum Elixir Aloes, et in doſibus parvulis ſumitur ut alterativum.

Externe uſurpatur ad vulnera, et ulcera quævis emundanda, et nonnunquam adverſus dolores Rheumaticos, Paralyſin, Nervorum et tendinum contracturas et puncturas.

Tumores omnes frigidos duros diſcutit, vel ad ſuppurationem ducit; ulcerum malignorum progreſſum impedit, exiccat, cicatricat; curat vulnera omnigena.

Balſamum Locatelli. p. 124.

Incraſſat, reſtringit, ſanat, valet contra Raucedinem, Hæmoptoen, calculos Renum aut Veſicæ, atque Phthiſin ipſam, ſi nondum fuerit confirmata. Contuſionibus internis, Hæmorrhagiis internis, et dyſenteriis, eroſionibus, vulneribus, et ulceribus Pulmonum, Renum, Inteſtinorum, Sabulo, meiendi difficultati vel Dyſuriæ, Tuſſibus a Pulmonum Tuberculis vel ulceribus oriundis, omnibus defectibus internis, utrum ſedes ſit in pectore, an in quavis alia corporis parte, ſuccurrit.

Antipleuriticum eſt adverſus peripneumoniam, et Empyema, Bechicum et expectorans ad Tuſſim. Medicamentum eximium eſt, ut Balſamicum et vulnerarium internum. Intrinſecus commode adhibeatur una cum Conſervæ Roſarum duplo circiter pondere à ℈ij. ad ʒij. vel ſumatur in vino hiſpanico calido; vel cum ſaccharo, ſyrupo balſamico, vel conſerva Cynoſbati, vel melle floribus ſulphuris commiſto.

Externe uſui eſt ad vulnera recentia, ulceraque detergenda et incarnanda; valet ad ambuſta, inflammationes, &c. pro externo autem

uſu

uſu multo meliora medicamina cuivis propoſito occurrunt.

Santalum rubrum Balſami Locatelli ingrediens guſtu eſt aſperum, parum aſtringens, ſudoriferum. Geoffroy, Ray Hiſt. ait, quod refrigerat, et aſtringit; unde convenit hoc genus ſantali adverſus ardores, alioſque morbos calidos.

Terebinthina Argentoratenſis hoc Balſamum ingreditur.

Balſamum Succini. *p.* 49.

Eſt Oleum craſſius Succini, quod externe applicatur in Nervorum et Tendinum puncturis, in doloribus Rheumaticis, et membris paralyticis; in Gonorrhœis vetuſtis; interne, ubi fruſtra adhibentur Balſama Terebinthinata optima, in Hyſterica paſſione ſub naribus linitur, admiſcetur aliquando Oleis, Unguentis, et Emplaſtris.

Balſamum Sulphuris Barbadenſe. *p.* 54.

Cum pice liquida Barbadenſi confectum Arthritidi vagæ maximo eſt ſolamini; Expectorans, et Sudoriferum, prodeſt Tuſſibus, ambuſtis, inflammationibus, capiti depili ſquamis obducto, ulceribus capitis manantibus, et

et

et Achoribus, favo, Tineis. (vel ſi per ſe) Emeticis et Catharticis præmiſſis.

Balſamum Sulphuris ſimplex. p. 54.

Nonnulli aiunt quod eximium eſt ad ulcera interna et externa medicamentum. Dos. gutt. xx. vel ultra. Externe ſuccurrit pruritui, ſcabiei, et multis aliis cutis defædationibus, eam reddendo mollem et planam. Boyleus dicit quod interne prodeſt Tuſſibus; et externe contuſionibus, Tumoribus, et artuum contracturis inveteratis, multoque melius eſt quam ullum aliud Unguentum qualecunque: inſuper curavit ægrum mictu cruento laborantem, qui pro derelicto habebatur. Dos. Infanti 6. Ann. gutt. ij. Adoleſc. 16. Ann. ℈ſs. Juven. 30. Ann. ℈i. medicamenta ex Sulphure parata ulceribus applicata nigrorem ſæpius inducunt.

Boerhaave nullatenus hac approbat ut medicamentum internum; quod acrimonia ejus, indigeſta et calida unctuoſitas infirmis Pulmonibus, Stomacho et Viſceribus languidis obeſt. porro, revera incongrui valde ſaporis eſt; ranciditate quadam inflammatoria dotatur; linguam et fauces faſtidioſe adeo imprimit, feritque, ut difficile aboleri et amoliri queat. Quinetiam Oleum Olivarum, quocum hoc Balſamum conficitur, molis adeo craſſæ eſt, ut Pulmonum obſtructiones creare poſſit;

poſſit; et frequenter expertus eſt, hoc Balſamo in phthiſicis conditionibus dato, a morbo jam exuccum corpus torrefieri, ſitim, febrim, aliaque ſymptomata augeri, continuari, protrahi, et appetitum depravari; ideo parce et caute uti debeas diligenter effecta ejus obſervans.

Veruntamen ut Medicamentum externum proculdubio plurimi emolumenti eſt in pallidis, frigidis, aquoſis temperamentis; in mucoſis, ſanioſis, purulentis emanantibus ulceribus, vulneribus, fiſtulis, &c. quorum Vaſa nimis dilatata perpetuum pus et Ichorem ſtillant, idcirco Vaſa Lymphatica contrahenda et claudenda. Ab hinc fortean oritur internus hujus uſus in ſimilibus conditionibus, nimis feſtinanter concludendo, eadem produci effecta in iiſdem caſibus.

Quoniam Acidum in Sulphure contentum valde incommodum eſt Pulmonibus et Stomacho quorundam temperamentorum, pariendo ardorem Stomachi, dolorem et tormina; Chemiſtæ ut tutius et æque efficax pararent Medicamentum, operam dederunt ad mitigandum et inviſcandum acidum hunc ſalem, a præparatione, quæ Balſamum ſulphuris nominatur, cujus varia genera ſunt in aliis Pharmacopœis nominata ab oleis diverſis adhibitis.

Pari ratione ſuper allata Medici noſtrates præſcripſere Flores Sulphuris lotos in Nova Pharmacopœia.

Bal-

Balſamum Terebinthinæ. p. 38.

Non magni æſtimatur hoc Balſamum in praxi.

Balſamum Traumaticum. p. 94.

Ita denominatum a τρᾶυμα, vulnus, qu. vulnerarium. Eximium eſt remedium ad dolores Arthriticos mitigandos, ad Capitis dolores atroces, Nephriticos, Rheumaticos, alioſque inveteratos; Tumores frigidos diſcutit, egregium eſt Pectorale, mire ſuccurrit Tuſſibus ex frigore ſuſceptis; Aſthmati, ubi Bronchia viſcido oppleantur phlegmate; ſeri enim exudantis acrimoniam corrigit, infarctus pulmonum expedit, Tubercula cruda diſcutit, Fibrillarum tonum ſtabilit, vaſorumque rupturas reſarcit, et ubi adſit impacta materia cruda pulmonaris, et putredinatis, cum anhelitus fœtore, orthopnœa, Tuſſi ſicca, Thoracis, Lateriſve dolore pleuritico, Macie, Marcore, et Virium languore. Doſis eſt a gutt. xx. ad xxx. vel LX. bis, ter, quaterve de die, in Vino, vel quovis Vehiculo idoneo.

Diureticum, Sudoriferum, et ventrem ſolvit; Antiparalyticum, Antiſpaſmodicum eſt. Cachexiæ, chloritidi, colicæ conſert, et ubi

ex-

expectorantia exigantur; opem fert obſtructionibus, omnibus defectibus internis, et omnibus Pulmonum corruptelis ſpeciatim medetur; Raucedini, catarrhis, Tuſſi, &c. a defluxionibus titillantibus, ſiccando, et ſanando eroſiones ab acrimonia fluidorum.

Mulier, ex errore, cubitum itura pro dolore dorſi obſtinato ſumpſit hujus ℥ſs. unde in ſudorem profuſum conjiciebatur, et eodem tempore a dolore liberabatur ſine ullo malo eventu. Renes depurat, et Sabulum expellit.

Hæmoptoico cuidam a Caſu ex præcipitio, cum hæmorrhagia et acri pungente pulmonum dolore poſt venæ ſectionem et Catharſin, Egomet exhibui Balſ. Traumat. coch. minima iij. qualibus Theæ potatores utuntur, ex Aquæ calentis hauſtulo Syr. Balſ. edulcoratæ, quavis aurora per menſem, unde convaluit.

Balſamum Traumaticum medicamentum valde efficax eſt in imbecilitatibus ſeminalibus, in Gonorrhœis vetuſtis Sexuum amborum, in Fluore albo, Utero reſtaurando roborandoque; prodeſt Diarrhœis, Hæmorrhagiis, Dyſenteriis ex Juſculo pingui. Virtus ſanativa ejus ad remotiſſimas corporis partes extenditur, humorum noxiorum exitum per vaſa minima promovet.

Semper vero abſtinendum eſt ab ejus uſu, appropinquantibus Menſtruorum recurſibus.

Sumatur ex Aq. hordeat; Decoct. albo; Decoct. pectorali; Emulſ. commun; Vino Alo-

Alonens; Canariens; Malacens; Malvatico; Xerano; prout ægro magis arrideat; edulcoretur Syr. ex Althæa, Syr. Balſ. vel fiat Emulſio, Hauſtus vel Potio, modo ſequenti.

℞. Balſ. Traum. ʒi. ii. iij. vel iv. diſſolve in Vitello Ovi, adde Vin. alb. Hiſpanic. mont. ℥i. ij. vel iij. Syr. ex Althæa ℥ſs. vel ℥i. m. et cola.

Si mane et veſperi Potio hæc, vel ejuſdem portiuncula aliquandiu ſumatur, Fluorem album, Gonorrhœam, coercere, et Lumbaginem ejus comitem alleviare potis eſt.

Balſamum Traumaticum multum commendatur externe; emollit, maturat, ſuppurat, digerit, leniter detergit, incarnat, ſanat, curatque Vulnera, omnimoda Ulcera recentia interna et externa, Ulceraque etiam Cancroſi generis mira cum celeritate, Fiſtulas vetuſtas, et contuſiones in quacunque corporis parte; Odontalgiam mitigat, gingivas laxas flaccidas compingit et firmat, Scorbutum gingivarum prævenit vel curat; dentes vacillantes ſtabilit, denti dolenti cavo frigide applicando cum pluma, linteo carpto, goſſipio, hoc madefacto, inunctione, frictione, injectione, pro rei exigentia; non opus eſt Turundis ſpleniis, Emplaſtriſve, præſertim ſiquando imprimis hoc Balſamum adhibeatur. Amicum eſt Nervis, plurimum valet in Nervorum puncturis, hominum et equorum, &c. a clavo vel inſtrumento quovis acuto cuſpidato, inſtillando gutt. i. vel ij. in cavitatem a clavo factam, clavo,

&c.

&c. prius extractis: celebratur in nervorum diſtenſionibus, ſectionibuſque; Hæmorrhoidibus ſubſervit, partes affectas ſub lecti ingreſſum hocce inungendo. Balſamum traumaticum reor ſupra ſericum illitum emplaſtrum eſſe ipſiſſimum multoties uſurpatum inter Londinenſes in Aula ad inciſuras, plagas, cutis eroſiones impetigines, &c. quod cum ſaliva, vel frigide cum aqua vel vino madefactum applicari ſolebat. Suppleat locum Balſami Locatelli; Balſ. Succin; Balſ. Sulph. Barbaden; Balſ. Sulph. ſimp. et Balſ. Terebinthinæ.

Vulneraria et Balſamica virtus Aloes ingredientis in hoc Balſamo, reſidet præcipue in Reſina ejus; Hinc Aloe hepatica, quæ maxima eſt reſinoſa, majoris eſſet utilitatis quam Succotrina in externis applicationibus ad propoſita, quæ Titulus innuit.

Balſamum Tolutanum.

Balſamum Tolutanum, ingrediens celeberrimum Balſami Traumatici, defluit ex arbore generis Pini in Occidentali India Hiſpanica creſcentis. Eſt optimum Balſamum, odoris fragrantiſſimi, rubri aurei coloris, neque ſaporis guſtuſve ingrati, mediocris conſiſtentiæ quando ex arboribus inciſione elicitur non procul a Cartagena cum Sol calidiſſimus fuerit, ſervando autem ſolidæ evadit ſubſtantiæ, friabile

abile fit ſiccum, et durum, omnibus uſibus inſervit, quibus Balſamum Gileadenſe, apud Monardem ex Herm. Moll. Geograph. part. 2. Fol. 284.

Balſami Tolutani doſis ſecundum Geoffroy eſt a gr. vi. ad viij. concedi autem poteſt a ℈ſs. ad ʒſs. et ultra.

N. B. Balſama nativa per ſe, cum ad diuturnum uſum expetantur, debent minori doſi ſumi; ob eorum enim acrimoniam nonnihil aſperæ arteriæ pulmonibuſque infeſta ſunt.

Bezoar Lapis. p. 22.

Bezoar eſt verbum Arabicum, et ſignificat quodvis Medicamentum poteſtate expellendi Venena indutum.

Calx Antimonii. p. 63.

Vulgo vocatur Antimonium Diaphoreticum. Inutile fertur præparatum, a nonnullis, quibus egomet nullatenus aſſentior: potenter enim ſudorem copioſum excitat in ſufficiente quantitate ſumptum, et fælicioribus conſequentiis, quam ille a calidioribus diaphoreticis productus. Obſtructiones aperit, groſſos, viſcidos, denſos humores attenuat, ſolvit, et perſpirationem movet. Commodum

dum eſt omnibus Febribus malignis, pleuritidi, Eryſipelati, Rheumatiſmo, et morbis cutaneis, ad edulcorandum et defæcandum Sanguinem, Wilſon fidelis et ſincerus Chemiſta hoc commendat in Venereis morbis, Hydrope, Scorbuto, Febribus putridis et variolis; Dos. vulgo a ℈i. ad ʒſs. vel ʒi. immo ipſe dedit ℥ſs. pro doſi una bis terve de die optimo eventu, per dies diverſos aliquandiu repetendam. Si porrigatur ut alterativum, i. e. in doſibus adeo exiguis, ut primas vias non ſtimulet, eſt mitiſſimum hujus Mineralis Remedium; Quo uti licet pueris et conſtitutionibus tenerrimis, ubi ſtomachus et inteſtina facile afficiuntur.

N. B. Diaphoretica Antimonialia cum Saccharo, Vino, Cremore Tartari, et acidis commixta, ſicque ægrotanti cuipiam exhibita, ſolent nonnunquam ciere vomitum, Cardialgiamque; qualia ſymptomata neutiquam Antimonialibus ſolum ſed additamentis, nec non hominibus, acido in primis viis abundantibus, adſcribenda. Eadem debent animadverti in Mercurialium exhibitione, ut Mercurii ſaccharati, &c. p. 67.

Boerhaave aſſeverat Calcem Antimonii inertem, inſipidam, et effætam eſſe, ſine ullis viribus medicis ex obſervatione adhuc detectis; omnes amittit virtutes quas habuit ante loturam, et ſolummodo ſenſim agit, cum Catharticis commiſceatur; quorum virtutes revera excitat in dupla proportione, minoremque il-

lorum Dos. majori compenſat virtute abſque ullis ventris torminibus. V. gr. ℞. Rad. Jalap. ℈ſs. Antim. diaph. gr. iij. vel iv. Energiam æquabit Rad. Jalap. ℈i.

Calcis Antimonii lotiones diverſæ, ſi confundantur, filtrentur, et evaporentur ſuper igne lento uſque dum cuticula formetur, dein loco frigido ſeponantur, dant Cryſtallos vocatas Nitrum ſtibiatum, ex Sulphure Antimonii et Nitri conflagrantis conſtans; Medicamentum blandiſſimum (ſecundum Boerhaave) Aperiens, Sanguinem coagulatum ſolvens, Refrigerans, Diureticum, et Diaphoreticum; Hinc pleuritidi, anginis, pulmonum inflammationibus, Febris inflammatoriis, omni morbo inflammatorio ſubvenit, maxime vero ubi tendat ad ſuppurationem, ut in Morbillis, variolis, &c. ſi nempe detur pueris omni trihorio, a gr. v. ad x. vel xij. in liquore quovis apto: vel adultis, tuto et proſpero eventu dari poſſit acutis in morbis, a ʒſs. vel ʒi. ad ʒij. bis de die; nimiam puſtularum ſuppurationem minuit, leniter deobſtruit ſine ſtimulando, vel partes erodendo, vel corpus pondere ejus opprimendo, ut Calx Antimonii a parte metallica: quando igitur Chemiſtæ hoc lixivium vel loturas abjiciunt, medicamentum melius abjiciunt, et pejus reſervant.

Nitri ſtibiati loco, ſi Calx Antimonii vel Antimonium Diaphoreticum illotum ſubinde adhibeatur ad ʒſs. vel ʒi. eximium eſt medicamentum

camentum in morbis acutis; ejus vis medica pendet ab eo, quod eſt ſolubile in Antimonio, ſcilicet Nitro et Sulphure Antimonii unitis; vel ſumi poſſit ad gr. x. vel xij. quater quinquieſve de die cum vehiculo idoneo quovis, in Morbillis et Variolis, ad nimiam puſtularum ſuppurationem præveniendum; et ad morbos pleroſque antedictos valet.

Cancrorum apices nigri. p. 22. et Chelæ demuntur ex Cancro marino. (i. e. common Sea-Crab.)

Cancrorum apices nigri ingrediuntur pulverem Bezoardicum, Pulv. e Chelis cancr. compoſit. et pulv. Contrayervæ compoſitum. p. 22.

Cancrorum Chelæ.

Cancrorum Chelarum gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. xl. ingrediuntur Tabellas cardialgicas.

Cancrorum Oculi dicti. p. 22.

Horum gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. l. ingrediuntur pulverem Ari compoſitum, et ſunt concretiones duæ albæ calculoſæ, piſi circiter magnitudinem in capite, po-

tiuſve ſtomacho Cancri vel Aſtaci fluvialitis (i. e. Craw-Fiſh) repertæ utrinque una. Nullum habent ſaporem, odoremve: Simplicia hæc unice induuntur virtute abſorbendi, et deſtruendi aciditates in primis viis; proſunt in ardore et inflammatione ventriculi, vel in Stranguria, Dyſuria vel Meiendi difficultate, pleuritide, peripneumonia, Empyemate; Nephriticis doloribus ſuccurrunt; plurimi uſus in Gonorrhœa, acidoque infringendo; Oculi Cancrorum Sale Alkali inſtructi ſunt volatili: Dos. a ℈i. ad ʒi. vel Dos. Infanti 6. Ann. gr. iv. Adoleſcenti 16 Ann. ℈ſs. Juveni 30. Ann. ʒſs.

Tanta Gammaris, Cancris, Aſtacis, et Squillis ineſt edulcorandi vis, ut Aceti ipſius aculeos manifeſte obtundant, in ſtranguria acrimoniam mire tollant. Ideoque in Febre hectica, et exinde orta Atrophia, ubi Maſſa Sanguinis ſucco alibili, blando ſubdulci, et oleoſo privata, acris eſt, fervet et nutritionis penum nimis parcum, aut depravatum ſuppeditat, cancri fluviatiles in Juſcula parantur, et apprime ſunt utilia; aliquibus etiam prædicantur ad præcavendum abortum.

N. B. Cancrorum, Concharum, Lapidum, et Terrarum præparata, vel pulvis non debet vehiculo acido uſurpari.

Cataplaſma

Cataplaſma e Cymino. p. 152.

Olim Theriaca Londinenſis vocabatur: uſurpatur frequenter a Chirurgis ut Cataplaſma calidum, et efficax in doloribus pectoris, lateris, viſcerum; dolori pleuritico multum confert; penetrat et diſcutit. Mirum eſt quod refert Walleus, ſc. Butryum cum Cymino pectori exterius applicatum tam fortiter operari, ut æger ſaporem ejus in ore ſentiat.

Semina Cymini aliquibus ſunt odoris ingrati, quorum uſus ſuppleatur a ſeminibus Cari, vel Cardamomi minoris.

Semina Cymini ingrediuntur hoc catapl. Emp. e Cymin. Mell Solutiv. et Ol. e Cymino. Vid. Emp. e Cymino. p. 139.

Cataplaſma maturans. p. 153.

Calfacit et reſolvit; conficitur præſertim ad dolores et inflammationes tumorum leniendas, ad duritiem emolliendam, ad tumores digerendos, maturandos et ſuppurandos.

Cauſticum Antimoniale. p. 63.

Καυςικόν uſtivum, a κάιω uro qu. urendi vim habens; Subſtantia hæc glacialis et coagulata, olim vocabatur improprie Butyrum Antimonii, et per deliquium ſolutum, Oleum Antimonii, Cauſticum, Eſcharoticum vel Cathæreticum eſt præſentiſſimum. Eſcharam vel cruſtam citiſſime inducit, quæ eodem die, quo formatur, decidit. Externe habetur tantum a Chirurgis in carne ſupercreſcente abſumenda et depaſcenda, in tollendis excreſcentiis carnoſis, in ulceribus malignis, quæ cacoethea vocant; Membris amputandis, cancro, gangræna, Sphacelo, Fiſtulis, Anthrace, Abſceſſibus; ſedulam vero depoſcit manum; plumaceola pars affecta leviter inungitur; vel ulcus ſerpens circumducitur, ne ulterius ſerpere poſſit.

Virus eſt vehementiſſimum interne ſumptum; illico enim adurit et corrodit omnes partes tactu ejus.

Hoc nihil a Cauſtico Lunari habet ſingulare, cum in utroque omnis vis pendeat ab acido concentrato.

Ejuſmodi pollet viribus Mercurius corroſivus albus, et Mercurius corroſivus ruber.

Oleum Antimonii callos averruncat, ſimul atque verrucas: cancros parvos, tumores ſcirrhoſos, &c. tollit, eodem modo ac cauſticum

cum commune fortius; majori tamen cum inflammatione, quam a Cauſtico communi; Ulcera venerea aperit et emundat; uſui eſt in oſſibus carioſis, &c.

Cauſticum commune fortius. *p.* 43.

Olim vocabatur Lapis infernalis, ſive Septicus. Cum cutis quavis dē cauſa aperienda eſt, et Patiens Sectionem vel uſtionem per cauterium actuale ferre nolit, vel nequit, hoc utimur medicamento cauſtico; item ubi ſanguinem ſupprimere volumus e vaſorum eroſione erumpentem, cruſtam enim inducit, tanquam operculum parti, e qua ſanguis fluit. Penetrat altiſſime, nec modo cuticulam, ſed veram etiam cutim inſtar ignis adurit, erodendo per carnem vivam ad pus, Cruſta duriore inducta, quam Chirurgi vocant Eſcharam. Uſus eſt ad Abſceſſus aperiendos, et Fontanellas formandas eadem methodo; caute autem muniendum Emplaſtris defenſivis ſupra partem affectam collocandis, ne latius ſerpat medicamentum, quam intra foramen Emplaſtri eo inciſi et perfoſſi, atque Spleniis vel plagulis ter quater quinquieſve duplicandis, comprimendis, ſuperimponendis, ſtricte carni coercendis et colligandis. Uſus etiam eſt in excreſcentiis carnis ſeu morbis ab hyperſarcoſi natis, in polypo, tuberculis, verrucis, callis abſumendis et detrahendis, tumoribus variis,

 ozænis,

ozænis, ulceribus putridis, phagedænicis, malignis. Gangrænas ſiſtit deſperatiſſimas, et putridam carnem e viva ſeparat.

Cauſticum hoc præfertur illi ab Alkalinis Lixiviis præparato ſine calcis vivæ recentis additione in ſubſtantia; utpote minus liquet ſupra partem, cui applicatur, et non ulterius ſerpit quam ſtatutum eſt. Servando calcem in vaſe vitreo ſubere obturato per plures Menſes, aliquanto minuetur ejus acrimonia.

Cauſticum commune mitius. p. 43.

Ad eundem uſum ac ultimum paratur, debiliores autem ſunt hujus virtutes.

Cauſticum hoc, non obſtante uſu Calcis vivæ recentis, multo mitius eſt quam prius; acrimonia Salis hic celatur et operitur ab Oleo et ſevo in Sapone.

Cauſticum Lunare. p. 56.

Raro applicatur ubi Eſchara profunda exigatur, ut in Apoſtematibus, et Tumoribus aperiendis; quantitas enim neceſſaria his propoſitis, ab humiditate cutis liquefit, et ſerpit ultra limites intra quos operari deſignatur.

Cauſticum hoc eſt incomparabile ſecundum Boerhaave, ad conſumenda, erodenda, et exiccanda mala alias inſanabilia. Aperit

Apoſtemata

Apoſtemata et ſimilia, excedit omnia brevi inſtar ipſius ignis, quando corporis vivi humiditate ſolvitur; et ſine ſuppuratione inſervit abſumendis carnoſis excreſcentiis, cancris minoribus labiorum, vel etiam Naſi, Oculorum &c. ad quos ob difficultatem Situs, vel Metum ægrotorum accedere ſcindendo manus chirurgica nequit: Fæliciſſime et ſine incommodo adhibetur Fiſtulis pariter antiquis, ſtillantibus, mucoſis, putridis; nihil proficientibus reliquis omnibus, hoc cauſticum ſolum mira præſtat, ſi eo ſæpe tangatur locus affectus. Quod vero omnium pulcherrimum eſt, agit ſine magno dolore, nec ab ullo remedio alio pulchrior induitur cicatrix; hoc nempe nihil aliud eſt quam Spiritus Nitri igneus fixatus et unitus metallo Argenti, cum liquoribus noſtris commiſtus, qui de natura ſunt ſalis Ammoniaci, vertuntur in Aquam Regiam, tumque Argentum præcipitatur in pulverem, vices gerentem Coſmetici exiccantis, et in loco affecto hærentis. Leviſſimo ipſius tactu tollit Nævos, verrucas, carnem fungoſam, tumores præternaturales ſi non magnos; detergit ulcera fœda, mucoſa, emanantia maligna omnia, adeoque excellit in omnibus hiſce dictis reſpectibus ut inter Gallos ſolum audit Cauſticum. Et non poteſt magis carere hoc medicamento Chirurgus, quam Medicus Opio; Hinc eſt quod nonnulli, qui mirabiles ejus viderunt effectus, Lapidis Cœleſtis nomine donarint. Si interne

in

in hac forma daretur, extemplo ſummum fit venenum, itaque hoc modo ad uſum non habile; quando enim externe adhibetur, nudis vel immunitis digitis tractari nequit ſine corroſione carnis ipſius. Boerhaave ipſe cancrum labiorum parvulum, ſine dolore, hujus uſu triduo ſuſtulit; frequenti tactu nigreſcebat, dein a carne ambiente decidit.

Ceratum album. p. 150.

Lenit, reſolvit, anodynum eſt, Coſmeticum, Foveas Variolarum replet, acrimoniam tundit in omnibus mammarum Tumoribus a Lacte concreto, Oedematoſis, Scrophuloſis et excoriationibus nil huic æquale. A Linimento albo, et unguento albo differt ſolum, utpote craſſioris eſt conſiſtentiæ.

Ceratum Citrinum. p. 150.

Mediocriter ſuppurat et detergit: non aliter differt ab Unguento Baſilico flavo (cum quo conferatur) hoc, quam quod craſſioris et rigidioris eſt conſiſtentiæ, unde propoſitis nonnullis commodius redditur.

Cera-

Ceratum Epuloticum. p. 150.

Ab ἐπυλόω cicatricem infero. Lapis Calaminaris hoc ingreditur, quod acredinem humorum ad Ulcera delabentium mitigat, illiſque cicatricem obducit; acida abſorbet, exiccat in Herpete eruptiones impetiginoſas ſeri acris per poros cutaneos, et incarnat; maturat, digerit, detergit, ſanat ulcera. Magni æſtimatur, plurimum commendatur, et frequenter uſurpatur in omnibus ulcerationibus cutaneis, et excoriationibus tam hominum quam Infantium, in Veſicationibus, attritionibus, intertrigene, a Salinis acidis, vel acribus humoribus. Egregium eſt Ophthalmicum aſtringens, et in Collyriis adhibetur contra Ophthalmiam vel Oculorum inflammationes. Singulare eſt in Ambuſtis, præſertim ſi unguento Sambucino liquefiat, et ab initio ad finem uſus ejus continuetur. Magis valet quam Balſamum Locatelli, Linimentum Tripharmacum, Unguentum Baſilicum nigrum vel Tetrapharmacum, Unguentum Tripharmacum, Unguentum Tutiæ.

Qui plura deſiderat, Tractatum Turneri de morbis cutaueis adeat.

Ceratum

Ceratum Mercuriale. p. 151.

Continet Mercurii prope ⅕ totius: uſitatum eſt in pruritu, Lepra, et defædatione quavis cutanea, &c.

Chalybis Rubigo præparata. p. 55.

Chalybis Rubigo, potiuſve Ferri Rubigo, ut medicamentum omnibus præfertur Calcibus, vel Crocis igne forti paratis; Ventriculum roborat, appetitum reſtituit et reſtaurat, humores crudos digerit, colorem rubriorem reddit, Hæmorrhoides reſtringit, præſtat ſali ſeu vitriolo martis; Remedium eſt mirabile in Rachitide, in acido phlegmate, et Vermibus Infantium, operando ſine ulla perturbatione, ea lege ut primo purgentur cum Scammonio et Mercurio. Rubiginis ferri Doſis a gr. iv. vel v. ad gr. xx. vel xxx. Nonnulli ad ʒi. profecerunt ſemel biſve de' die, in forma Boli, pilularum, pulveris, vel Trochiſcorum: omnes autem hujus Metalli præparationes fæliciſſimo exitu adhibentur in parvis doſibus, quæ potius ſæpe repeti quam adaugeri debent.

Chalybs potiuſve Ferrum diverſis dotatum eſt viribus, tam aperiendi quam aſtringendi; ob ſalem alkalinum, acidum temperat et corrigit;

rigit; Sanguinem attenuat, obſtructiones aperit, et morbos chronicos inde ortos curat: ob terram Metallicam acida abſorbet, eorumque cuſpides obtundit, et ob ſalem acidum aſtringit, tollitque fluxus. Menſes promovet, obſtructiones pancreatis, Hepatis, Meſenterii, Splenis, et Viſcerum aliorum aperit; Hæmorrhagias uterinas ſiſtit, Diarrhœas et Dyſenterias curat, aſtringendo et roborando fibras laxas: Hinc Hypochondriacis, Hyſtericis, et Cachecticis ſuccurrit.

Geoffroy et Lemery aiunt quod ferrum longe Chalybi præfertur ad uſus medicinales et copioſius virtutes ſuas exerit, utpote laxioris eſt compagis, citiuſque a fluidis ſolvitur humanis. Limaturæ ferri ad Alcohol vel pulverem redactæ omnibus aliis præparationibus hujus Metalli præferuntur: Et Ferrum Saccharatum ſequens egregii eſt uſus.

℞. Limat. Ferri ℥i. Sach. puriſſ. ℥ij. Terantur in Mortario ſicco in pollinem ſubtiliſſimum. Dos. a ℈i. ad ʒſs. vel ʒi. ſemel biſve in die ad morbos pleroſque ſupradictos. Hoffman refert quod Chalybis rubiginem frequenter dedit eventu inſigni in obſtinatis Chloroticis conditionibus cum Cephalæa immani ſociatis, aliiſque ſymptomatibus violentis, cum Pimpinella, Radice Ari, Sale Tartari, Cinnamomi paululo et Saccharo, ſæpe maritatis.

Chalybis Rubigo præparata, permagno auxilio eſt iis, qui acido abundant in primis

viis,

viis, cujus generis ſunt Voraces, bulimia, appetentiave canina laborantes; ſed in anorexia, appetitu proſtrato, &c. quinetiam Viſcerum obſtructionibus pertinacibus, Pulveres Martiales plus damni quam commodi præſtant; exhibendæ ergo ſunt hujuſmodi ægrotantibus Tincturæ e Marte paratæ, vel Vinum Chalybeatum, aliaque facile diſſolubilia, nec ulteriore diſſolutione, ac ſeparatione indigentia. Barchuſen.

In exhibitione Chalybeatorum incipiendum eſt a minori quantitate, quæ ſenſim augenda eſt. Obſervabit interea Medicus, num Chalybem æger excernat necne; quod ex fæcum nigredine dignoſci queat: alias ſi non excernatur, quinto aut ſexto die Clyſtere, vel Eccoprotico alvum movebit: imo utiliter poterit Chalybeata purgantibus admiſcere, ut aperiat, et non in corpore ſubſiſtat. Full. Pharm. extemp. p. 158. ex Primros. de Morbis Mulier. p. 176.

Ferrum agendo operandoque ſolum ſua Stypticitate etiam aperit, et prout corpus humanum differenter diſponitur, diverſos et contrarios plane edit effectus, pro modificatione ſanguinis et ſeri tenuis, acris, ſalini, alkalini, acidi, craſſi, glutinoſi, viſcidi; ſanguinis et ſeri in magna vel parva quantitate; Fibrarum debilium, laxarum, vel nimis intenſarum et rigidarum, magiſque vel minus Elaſticarum, &c. Quæ omnia nimis prælonga hic ſcribenda. Obſervatu dignum eſt, quod præparati-

ones

ones Ferri aſtringentes ſæpe catharticæ et diureticæ evadunt; et Aperientia e Marte præparata crebro Fluxus ſupprimunt: ac præparationes utriuſque generis Fluxum menſtruum promovent, et Fluxus immoderatos ſiſtunt.

Siquis Vim aſtringentem ex Ferro expectaverit, ſibi conjungi Opium oportet, ni vana ſpe illudi velit.

Ferrum commodius præſcribitur per ſe in ſubſtantia, quam cum ſalibus impregnatum; cum ſalibus enim unitum non tam facile penetratur et diſſolvitur a Stomacho et inteſtinorum ſuccis, neque diffunditur in ſanguinem et in totum habitum, unde virtus ejus ubique exeratur. Ferrum et omnes præparationes ferri nocent Scirrhoſis, valde Scorbuticis, Hecticis, Melancholicis, Hydropicis vetuſtis, at non in initio Hydropis; item ubi ſanguis ſero nimis privatur, et vaſa nimis tenſa plus corrugantur actione Ferri, unde motio Oſcillatoria ſolidarum fibrarum diminuitur, et circulatio retardatur. Geoffroy et al. Authores.

Omnes Chalybis præparationes convenientiſſime exhiberi poſſint in forma Electarii, vel Boli, quoniam in formis liquidioribus viſu ſunt injucundæ, fundum petunt, et quantitas ſufficiens, numerum pilularum pro una Doſi excedit. In Electariis autem ubi quicquid acidum ſit, fermentant æque ac pulveres Teſtacei, ideoque in Electaria officinalia nequaquam ingrediuntur; uſurpentur autem in Electariis

tariis extemporaneis, ut et Conſervæ cum pulveribus Teſtaceis, in uſum preſentem.

Ferrum ſolvitur a minimis acidis ut et Alkalinis, etiamque Salinis; hinc nullum Metallum mutabilius ſolubiliuſque ferro in omni ſere Menſtruo.

Puer ab Acu deglutita, nil præter ſuccum Limonum cum Melle edulcoratum bibebat, unde fæces reddebantur nigræ, curabatur, et nil præterea ſenſit. Succus Citrorum idem præſtabit.

Ferrum minutum trajectum per flammam, flammam et Sulphur concipit in trajectu, quemadmodum hoc videre eſt officinis Fabrorum ferrariorum, dum Scil. fruſtum ferri magnum educatur, tum nempe ſcintillat et odorem ſpargit plane ſulphureum; hinc aqua extinctum dat Aquas Sulphuratas. Boerh. Chem. paſſim.

Vinum, Aquave in qua candens ferrum ſit extinctum, potu Cæliacis, Dyſentericis, et diſſolutis Stomacho auxiliatur. Dioſcord. mater. medic. a Ruellio interpret. p. 454.

Quædam obſervatu digna, de modo Chalybis ſumendi, et ubi proſit, noceatve.

De Chalybeatis mos obtinuit, ut dentur mane, et quarta pomeridiana; atque ad eorum operationem promovendam, injungatur Exercitium. Omnia vero non omnibus æque conveniunt. Aliquos enim obſervavi quibus hoc modo exhibita tumultus in Ventriculo,

Ructus,

Ructus, et Ægritudines concitarent; Horumque remedium erat, ut Patiens veſperi ſumeret, ſtatimque lecto et quieti ſe traderet; ita nil conturbationis, nil moleſtiæ exinde perciperet, ſed optime ferret. Fulleri Pharmacopœia Extemp. p. 61.

Multi decumbentes in lecto uſu Chalybis ſanati fuerunt; ut propterea non ſit neceſſe ſemper aſſumpta ſubſtantia Chalybis (quemadmodum communis eſt ſententia) corpus exercere. Claudinus de Ingreſſ. p. 401.

Chalybs roborat vaſa nimis laxa, inertia, flaccida; reſtituit vim Elaſticam diminutam; nocet autem iis, quorum Vaſa ſunt nimis conſtricta; in acutis verum Morbis, ubi vaſa nimis conſtringuntur, inducit Scirrhum immedicabilem, vel mortem.

Vim primorum Viſcerum auget, viz. augendo Vim contractilem eorum, unde fibræ magis rigidæ redduntur et aſtringuntur: dari autem debet eo modo et forma, ut non ſanguini commiſceatur; quoniam ipſum magnopere coagularet: debitis autem Catharticis intermiſſis, quo regimine in ſolida probe agit, et fibras corroborabit viſcerum in Virginum morbis, uti patet ex hoc, quod ab ejus uſu color pallidus Virginum cito vertitur in rubrum, et pulſus antea languidus evadit fere febrilis.

Uſus ejus autem locum obtinet, ubi viſcerum rigiditas debita deficiat, et ubi eſt magna Pituitæ copia: quinetiam ſi acidum abundet,

tunc ſumi poteſt in ſubſtantia, vel limatura; ſin iners, et nonM ucus acidus prædominet, Chalybs dari poteſt in Vino Rhenano, vel Aceto; alia præparata ſunt meræ nugæ.

Si acidum prædominet, dignoſci poteſt ex appetitu impropriorum et inſuetorum, eructationibus acidis, torminibus cum ſenſatione frigoris, eructationibus nidoroſis poſt acetum aſſumptum. Sin acidum non abundet, tum Chalybs per ſe in ſubſtantia excitat anxietates, Vomitus, Diarrhœas, et tormina, quod non diſſolvitur, verum agit ſolum ſtimulando. Boerhaave de poteſt Medicament.

Chalybs cum Sulphure præparatus. p. 55.

Si Chalybs cum Sulphure præparatus ſit nimis calcinatus, non æque efficax eſt ac Ferrum crudum. Boerhaave ait, quoad hujus præparationes medicinales, ſe ſemper expertum eſſe Ferrum crudum efficacius. Nam ferrum hoc modo calcinatum penitus deſtruitur; neque igne iterum in Metallum reduci poteſt, et Limaturæ ferri huic præparationi præſtant.

Chelæ Cancrorum præparatæ. p. 22.

Vide Cancrorum Chelæ Schol. p. 83.

Cinnabaris Antimonii. p. 64.

Specificum eſtimatur in Morbis Capitis et Nervorum, in Vertigine, Epilepſia, Spaſmis, convulſionibus; ſuccurrit etiam Febribus intermittentibus, continuis Malignis morbis contagioſis; aliiſque, ubi acidum auſterum Serum ad Sanguinem coagulandum tendit: operatur per perſpirationem et ſudorem; Valet in Lue venerea, podagra, paſſione Hyſterica, Morbillis, Variolis Rheumatiſmo, Sciatica, doloribus artuum et Paralyſi, Doſ. Infanti 6 ann. gr. v. Adoleſcenti 16 ann. ℈ſs. Juveni 30 ann. ℈i. vel. Doſ. a ℈i. ad ʒſs. in Pil. vel Bol. ultima Doſis dari poteſt bis de die.

Singulis propemodum morbis convulſivis eſt peculiare ſubſidium, præſertim ſi grano uni atque alteri Extracti Thebaici, Salibus volatilibus, quin et abſorbenti cuipiam Maritata fuerit, quibus nonnunquam additur Oleum Fuliginis, Succini.

Cinnabaris adhibetur cum Spermate Ceti in Aſtmate, Reſpiratione difficili, Orthopnœa, Incubo: quam Subtiliſſime ſupra porphyriten lævigetur in uſum Medicum, alioquin integra per alvum excerneretur; Ventriculus quippe tanta vi non pollet, ut illam diſſolveret, neque Venæ Lacteæ adeo uſque patulæ, ut in has niſi ſubtiliſſimum quid ſit, ingredi poſſet. Hoffmannus aliique opinantur

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
FOUNDED 1813
SCHOOL OF MEDICINE

quod Cinnabaris factitia huic æquivalet, ea lege ut genuina ſit.

Boerhaave ait quod Cinnabaris Antimonii vis medica explicata habetur ſub Æthiope minerali; nihil nempe præ ipſo Æthiope minerali habet peculiare, nec meretur nomen tanti arcani, ut a multis habetur. Æthiops ſublimatione fit Cinnabaris Antimonii, ſemperque producit eadem effecta ac Cinnab. Antim. factit.

Pulvis Antipyreticus vaſe clauſo aſſeverandus fiat modo ſequenti.

℞. Cinnab. Antim. vel Cinnab. factit. Sal. volat. C. C. ana ʒij. Cort. Peruv. ℥i. m. f. pulvis: Doſ. ʒi. ante paroxyſmi acceſſum.

Cinnabaris Antimonii eſt Mercurius Sulphure Antimonii ſublimatus, ſaliniſque particulis deſtitutus, a Reſiduô Cauſtici Antimonialis confecti; quæ Lixivio fortiſſimo cocta in duo principia reſolvitur, in Sulphur nempe quod lixivium abſorbet, et in Mercurium currentem in fundo ſubſidentem; Sulphur autem poteſt præcipitari affuſione magnæ quantitatis Aquæ vel etiam acido aliquo. Supra Porphyritem aqua capiti dicata (vel Spiritu Lavendulæ ſimplici, vel compoſito) atteritur; quo ſubtilior autem conteritur, eo rubicundior evadet; exiccata pulveribus ſpecifici Cephalici (ut Rad. Valerian. Sylveſt.) vel alterius compoſitionis deſideratæ commiſcetur; tum venuſte ſimul rubeſcunt: modo enim pulverata nec colorem venuſtum, nec vires magnas ſpargit.

N. B.

N. B. Cinnabaris colorem in conterendo exaltant Sales Alkalici, videlicet cum ei terendæ una vel altera gutta, Ex. gr. Lixivii Tartari, vel ſimilis rei addatur. Animadvertas autem, velim, ſi plus juſto ei affuderis, colorem tum ad flavedinem vergi. Acida autem aliter ac antedicta ſe habent ; hæc enim illi colorem obſcuriorem, virtuteſque minores conciliant.

Cinnabaris Factitia. p. 59.

Pictoribus in ſummo eſt uſu pro pigmento. Boerhaave ait quod fere eſt earundem virium ac Æthiops Mineralis antedictus ſed plus triplo fortior, iiſdem intentionibus inſervit, frequenter uſum obtinet in Lumbricis et Infantium convulſivis morbis apud nonnullos, in Aſthmate, variolis ad excitandum tranſpirationem : Olim magni æſtimabatur ut medicamentum in Cutaneis defædationibus, doloribus Arthriticis et Rheumaticis, Epilepſiis, aliiſque morbis ex acido oriundis : nuper autem bonam fere deperdidit famam : Iners enim et inefficax habetur ; valde mitis eſt, et nunquam ſalivationem ciet vel alia violenta Symptomata, qualitates ob quas olim laudabatur, præſertim Doſ. a ℈ſs. ad ʒſs. cum conſerva idonea : cavendum autem eſt ut genuine præparatur, quoniam ſæpe adulteratur cum Arſenico aliiſque rebus ob coloris gratiam.

Interdum adhibetur in Fumigationibus adverſus Ulcera venerea Naſi, oris, gutturis; hujus incenſæ ʒſs. fumo anhelitu attracto, ſalivationem vehementem produxit: effectum hoc nequaquam Cinnabari ut medicamento debetur; quando autem igneſcit non amplius eſt Mixtura mercurii et Sulphuri-, ſed Mercurius in fumum eſt reſolutus, et cum Volatili Vitriolico acido Sulphuris partim commixtus: in utriſque circumſtantiis, Minæra hæc, ut jam obſervatur, effecta valde potentia edidit. Lewis pharm. p. 331. 332.

Vel Fumigatio hoc modo fiat. Æger primo debite præparatus, locatur nudus in Hemicyclo, vel Hypocauſto, et fruſtis parvis hujus Cinnabaris ad ʒij. vel ʒiij. ſuper carbones ligneos candentes projectis, horum Vapor recipitur per cutis poros, patiens cito incaleſcit, exudatque plus minuſve pro viribus ejus. Operatio hæc repetitur quotidie vel alternis diebus, uſque dum gingivæ intumeſcant, ulcerent, et ſalivatio ad ſufficientem quantitatem excitetur et excernatur. Tractatus Franciſc. Geoffroy tranſlat. per Douglas, p. 232.

Coagulum Aluminoſum. p. 153. vel Collyrium Aluminoſum.

Quoniam determinatæ quantitates hujus compoſiti a Collegio non memorantur, Collyrium Aluminoſum hic ſubditur.

℞. Alumin.

R. Alumin. Rupei. ʒſs. vel ʒi. Albumin. Ovi. i. vel ij. ſimul agitentur in patina ſtannea, donec coagulata fuerint. Epithema hoc Aluminoſum refrigerat, aſtringit, exiccat, incraſſat, et defluxiones tenues in oculos reprimit, quos ſublevat inflammatos, nimis humidos, madidoſque; extenſum ſuper lini ſtupam, vel ſuper pannum linteum denſum; vel Linteola duplicata triplicatave, hocce imbuenda, et oculis applicanda ſub lecti ingreſſum; dolores autem aliquando excitat, quare ab ejus uſu abſtinendum, nihil enim oculis magis nocet, quam applicationes quæ dolorem inferunt; igitur bihorio vel trihorio avellendum, alias ab aſtringentia ejus potenti, humores retineret in oculis.

Vel frigide admoveatur Fronti, Temporibuſve ad capitis ardores, ad hæmorrhagiam, humorumve impetum et fluxiones in oculos ſiſtendas, mutando quoties exaruerit.

Vel extendatur ſuper chartam, et linteo apto alligetur ſuper genam affectam, odontalgiæ inſcribitur, et locum ſortitur ubi cauſa doloris non eſt Dens carioſus, ſed humor acris totam maxillam afficiens, humorum affluxum concitans et inflammationes inferens, potentiſſime enim repellit Catarrhos.

Adhibetur in affectibus Oculorum Rheumaticis; idque tum præſervationis, tum curationis ergo: Strictim enim adhærendo, carneoſque tubulos firmiter comprimendo et conſtringendo, humorum defluxum inhibet:

Namque ſciendum eſt, partes circa Oculos ita et fabrica, et ſitu conſtitui, ut quicquid humoris, aut e pericranio, aut muſculis vicinis depluit ad recipiendum aptæ ſint, imo (quod mirum, ſed) non inuſitatum eſt, ex Capitis contuſione lituram lividam ſub oculis reſidere et figi.

Si hoc Collyrium, ſive Frontinale, vi ſua aſtringente Vaſa adeo contrahat, ut in iis fluida obſtructa figat, aliorſum deriventur Venæſectione, Veſicatoriis, Catharticis, cucurbitis Veſicatoriis, et ſimilibus: Præcautiones autem hæ ex Riverio ſuperfluæ eſſe videntur, e contra enim augendo Robur et Vaſorum contractionem, applicationes hæ vires ſuppeditant Vaſis, quo fluidis reſiſtant. Præterea ſi deſiſtamus uſquedum quantitas fluidi obſtructi accumuletur et augeatur, incaſſum applicemus aſtringentia, quibus fluida magis condenſarentur, ut reſolvi nequirent.

Colcothar Vitrioli. p. 45.

Colcothar eſt Verbum Arabicum, per quod intelligitur Calx rubra, ſive Colcothar Vitrioli, quod nihil aliud eſt quam Vitriolum ad rubedinem calcinatum, vel Caput mortuum Vitrioli poſt diſtillationem Vitrioli relictum. Præparatum eſt ex ferro acquiſitum aſtringentiſſimi et auſteriſſimi ſaporis, a portiuncula Olei Vitrioli ponderoſioris adhuc ei adhærentis,

hærentis, non obſtante igne forti in hoc proceſſu agente, unde hujus ſumma vis ſtyptica reſpectu Vaſorum, et ſummopere coagulans reſpectu liquidorum humanorum. Coloris eſt ruberrimi cum Vitriolum fuerit viride: ſiſtit omnimodas Hæmorrhagias ſuper Goſſipion ori vaſis rupti applicatum, quod immediate corrugat; coagulat ſanguinem in contactu ejus, et partem roborat; hac ratione proſpere adhibetur in ulceribus ſanioſis, cum magno puris affluxu, vel in carne fungoſa, mixtum in proportione moderata cum aliis ingredientibus.

Si Colcothar calcinetur igne vehementiſſimo, fit ſanguinei coloris, et Stypticum eſt Famoſum vocatum Chalcanthum rubefactum. Maxime aſtringit et deſiccat; ſiſtendis Dyſenteris commiſtum aliis rebus, atque hæmorrhagiis graviſſimis imprimis conducit; et in evulſione Dentis, ubi fluxus Sanguinis accidat, utiliter applicari poteſt cum linteo, Terebinthina Cypria, vel vulgari ſubacta, et albumine Ovi.

Si Colçothar remanens a diſtillatione vitrioli, abluatur ſæpe cum aqua, et exiccetur, aſtringens eſt, et externe fluxum ſanguinis e Vulneribus cohibet: Quando Colcothar leviter calcinatum fuerit, album et fere pellucidum eſt, non Emeticum, ſed Diureticum, et Aperiens. Geoffroy tranſlat. per Douglas. p. 111. 112.

Vitriolum

Vitriolum Græce vocatur *χάλκανθον*, a *χαλκὸς* Æs, et *ἄνθος*, flos. Hinc flos æris dicitur Latine, item Vitriolum a perſpicuitate Vitrea, et Atramentum Sutorium, Sutores quippe ejus adminiculo Coria atro colore inebriabant.

Colophonia. p. 38.

Colophonia *ὰ κολοφὼν*, i. e. faſtigium, apex, ſummitas; ita vocatur, quia meta eſt vel finis diſtillandi ſpiritum et Oleum Terebinthinæ; hinc Colophonia reſtat in fundo Retortæ; verum a Colophonia ipſa, Olea duo diverſi coloris et conſiſtentiæ, unum rubrum, alterum ſubnigrum craſſum, ponderoſum, fœtidum, Balſamum Terebinthinæ nuncupatum, aucto igne quantum fieri queat, diſtillari poſſint: vel tanquam, *κόλον φαῖνον*, quod apparet mutilum, mancum, truncatum, i. e. Spiritu et Oleo vulgari ſpoliatum.

Colophonia non multum differt a Reſina Terebinthinæ, utpote Colophonia minus viſcoſa, difficilius ſolubilis, durior, et fragilior quando refrixerit; inflammabilis ad ignem, calore parvo liquabilis, aqua ſolubilis, et fragilis inſtar Vitri.

Pulveriſata utile inſpergitur in Oſſa denudata, ad læſuras perioſtei, Tendinum, et Muſculorum, utrum ab ambuſtis, puncturis vel lacera-

laccrationibus: Medicamentum incomparabile eſt in cicatrizandis Nervoſis, Membranaceis, Oſſeiſque corporis partibus, quum denudentur: Omni fere oleo orbatur, hinc abſorbet quæ alias curationem impedirent.

Probe decoquatur in Aqua, poſtea penitus frigeat, teratur in Pollinem tenuem, et conſpargatur in partes vulneratas, efficaciter eas ſanat cooperiendo cum linteo carpto, ſicco, mundoque; immediate ſolvit, fungoſitates prævenit, munitque Oſſa contra purulentiam, ſive Ichorem vulneris corrodentem; ſumme Fiſtulas et vulnera exiccat, incarnat, ſanat, et cicatrizat: Probum eſt Remedium ad defluxiones ſeroſas in articulos. Contuſio Tibiæ cum plurimis moleſtis ſymptomatibus Gangrænam minitantibus difficilime curatur; Nulli Remedio a Chirurgis applicato auſcultat abſque hoc, quo in caſu oſſa denudata non ferunt Emplaſtra ſine multo nocumento.

In omnibus Perioſtei vulneribus nunquam fallit: ſanat, et ſine ſuppuratione, ulcera inveterata.

Colophonia vulgaris eſt Terebinthina tantummodo in aqua ad ſolidam conſiſtentiam excocta, unde fiunt Pilulæ Terebinthinatæ, in Morbo venereo, tanti uſus.

Conditum

Conditum Aurantiorum Hiſpalenſium flavedinis Corticum. p. 29.

Stomachicum eſt, flatus diſcutit, uſus eſt in Colica et ventris torminibus.

Conditum Angelicæ Caulium. p. 29.

Halitum fœtidum emendat, Aeri contagioſo conducit, atque morbis pulmonum frigidis: Carminativum, et Nervinum eſt. Vid. p. 37.

Conditum Eryngii Radicum. p. 29.

Reſtaurat corroboratque partes Generationis, et ad venerem provocat; acrimoniam humorum edulcorat, et eorum fluxum atque eroſionem in Proſtatas impedit, ubi exulcerationes formant curatu difficiles; Doloribus Nephriticis conducit, et Stomacho roborando; aperit, et Diureticum eſt: Raius ait, quod macilentis et Phthiſicis confert.

Conditum

Conditum Limonum Corticum. p. 29.

Stomachicum, gratumque eſt Aromaticum.

Condita hæc omnia ſunt grata, et commendantur ad libitum inſtar Tragematum, a ʒi. ad ℥ſs. vel ultra.

Confectio Alkermes. p. 104.

Cardiacum eſt egregium, multo melius ad hoc propoſitum quadrat, quam Aquæ Cordiales, ſine conſequentiis earum malis: Uſus eſt præcipue in Bolis formandis; ad meliora autem inſtituta inſumatur: inſervit tingendis Julepis Cardiacis, et Stomachicis. Doſis a ʒi. ad ʒij. interdum extenditur ad ℥ſs. Succus Kermes colatus præſtat Confectioni Alkermes; partum promovet, Morbillos, et Variolas expellit; concedatur in Aquis idoneis: aſtringit potenter, præcavet ab abortu cum Corallio, et Margaritis præparatis, ut et Emp. Roborante.

Grana Kermes ſunt animalcula ſale volatili referta Cardiaca et Diaphoretica, ſiccant, aſtringunt, Vapores tetros diſcutiunt, parturientibus ſubveniunt, morbillos erumpere faciunt: Pulveriſata dentur ad gr. xxiv. ſexta quaque hora, ad abortum ex Nervorum intentione

tentione præcavendum, Matrem et Fœtum ad corroborandum: eorum uſus aliquandiu continuari debet. Valent etiam in Apoplexia, paralyſi, Cordis palpitatione, Syncope, et Melancholia.

Non obſtante aſſertione Authorum, quod Kermes abortum prævenit; ſucco Kermes, atque granis ipſis non multum confidendum.

Confectio Cardiaca. p. 124.

Olim vocabatur Confectio Raleighana: Confectio Alkermes, vel ſuccus Kermes huic Cardiaco præſtat; in uſum ducitur interdum ut Cardiacum calidum, et corroborans in Viſceribus laxis, a gr. viij. vel x. ad ℈i. vel ʒſs. per ſe, vel in Hauſtibus; frequentius autem in forma Boli; Ingredientia hujus Compoſiti plerumque nimis calida ſunt, atque in Febribus caute præſcribi oportet.

Confectio Damocratis, ſive Mithridatium. p. 126.

Confectio hæc nomen accepit a Damocrate Medico antiquo et Botanico, a Galeno Plinioque memorato, qui vixit circa Ann. Dom. 70. vide Mithridatium.

Confectio

Confectio Paulina. p. 125.

Olim Confectio Archigenis Medici a Juvenali memorati, Medicamentum hoc eſt Confectio Paulina Ariſtarchi, ad primam formam, et Authorem reducta quam proxime; opiatum frivolum et valde calidum, rariſſimi uſus in praxi, ut nonnulli volunt; verum efficax eſt ad Sputum Sanguinis, et Tuſſim humidam diuturnam ex materia corrupta, ſaniosa, vel ab ulcere et Phthiſi; mundificat enim et abſtergit materiam craſſam ac putridam, confert uteri præfocationi, vel Paroxyſmis Hyſtericis, Tuſſibus mitigandis, Diarrhœis ſiſtendis, et ſomno procurando. Gr. xxxij. continent Opii gr. i. Doſis a ℈i. ad ʒſs.

Ejuſdem qualitatis eſt ac Electarium e Baccis Lauri, non autem tam frequentis eſt uſus, ob opii magnam quantitatem in hac Confectione; quare non tuto repeti poteſt quintis vel ſextis horis, etſi cætera hujus ingredientia toties repeti debent, et exiguntur. Succurrit Cœliacis, Dyſentericis, Febribus per circuitum repetentibus, hora una circa exacerbationem exhibita. Uveckeri antidotarium geminum ad p. 832. Archigenes vixit in Centuria prima, tempore Domitiani Imperatoris Romæ duodecimi, qui imperavit ann. 15. ab An. Dom. 81mo. ad 96^{tum}.

Con-

Conſervæ generaliter inſerviunt Bolis, et Electariis conficiendis, vel Comedantur nonnullæ inſtar Tragematum.

Conſerva Abſinthii maritimi Summitatum. p. 27.

Stomachica, Vermifuga, Splenetica, Hepatica, Icterica, et Hydropica. Matthiolus refert quod varii Hydrope laborantes, ſine auxilio cujuſvis alius medicamenti curabantur: ubi a ſuccorum viſciditate, vel Solidorum ſtatu laxo oritur, hæc uſui eſſe poſſit; quemadmodum primo attenuat, et poſtea roborat. Dos. ℥ſs. trihorio circiter ante paſtus, vel ſucci expreſſi ℥ſs. ad ℥i. vel ij.

Conſerva Aurantiorum Hiſpalenſium Flavedinis corticum. p. 27.

Stomachica, amara, calida et jucunda eſt, et hac ratione frequenter adhibetur in Colica, flatulentiſque Ventris torminibus, a ʒij. ad ℥ſs.

Conſerva Cochleariæ Hortenſis Foliorum. p. 27.

Antiſcorbutica, et Diaphoretica eſt, humores viſcidos et tenaces incidit, omnibus viſcerum infarctionibus a phlegmate ſuccurrit,

nocet

nocet autem Hecticis, Phthiſicis. Dos. a ʒi. ad ʒij. vel ℥ſs.

Conſerva Cynoſbati Fructus. p. 27.

Antiſcorbutica, Hepatica, Diuretica, Leniens, Refrigerans, et Reſtringens eſt: confert Calculo, Urinæ cruentæ, acri, Dyſuriæ, calori moderando, Diarrhœæ Bilioſæ. Frequenter præſcribitur in Tabe, et Phthiſi; præcipue in pectoris Morbis, et Tuſſibus a defluxione Rheumatis titillantis: uſus eſt ad impertiendam conſiſtentiam idoneam Bolis, et Electariis. Dos. a ʒij. ad ℥ſs. vel ultra. Eadem phænomena, quoad colorem amænum, conſpectui exhibentur in Conſerva Cynoſbati, ac in Conſerva Roſarum Rubrarum immaturarum, ſi commiſceatur cum Spiritu Sulphuris, &c. ullove alio acido, et Cinnabari ubi opus fuerit.

Conſerva Lavendulæ Florum. p. 27.

Nonnunquam adhibetur ut levis cardiaca, et Cephalica conſerva, in Nervoſi Syſtematis debilitate, a ʒij. ad ℥ſs.

Conſerva Lujulæ Foliorum. p. 27.

Conſerva eſt grata, elegans, frigida antiſcorbutica, mitis et detergens, mitigans calorem conſtitutionis calidæ, cholericæque æſtum febrilem, ſitim ſedans et ventriculi ardores, Jecur refrigerans, cor roborans, Diuretica eſt, ſuccurrit Scirrhoſis, et viſcerum obſtructionibus; Saporis eſt Aciduli et ſumitur pro re nata ad ſitim extinguendam, ad os et fauces in morbis calidis refrigerendas a ʒij. ad ℥ſs. exhibetur in Bolis cum Speciebus Alexipharmacis: in Febribus commode addi poſſit Conſervæ Cochleariæ, cujus virtutem aliquantum promovet, et inſimul meliorat ejus ſaporem.

Conſerva Malvæ vulgaris Florum. p. 27.

Humectans eſt, emolliens, dolores leniens, alvum laxans, acrimoniam Urinæ humorumque mitigans, Tuſſi difficili conveniens; interdum uſus eſt in morbis pectoris, et meatuum urinariorum. Sumere licet quantum Stomachus ferre queat, ab ℥i. ad ℥ij.

Conſerva Menthæ vulgaris Foliorum. p. 27.

Saporem et Virtutes herbæ retinet; exhibetur

betur in Diarrhœa, Stomachi debilitate, et vomendi nixu, flatus diſcutit, ventriculum roborat, et aſtringit; quibus frequenter confert, ubi calidiores et activæ magis præparationes Menthæ minus convenirent. Dos. a ℨij. ad ℥ſs.

Conſerva Prunorum Silveſtrium Fructus. p. 28.

Succus inſpiſſatus exiccat, incraſſat, leniter aſtringit, et valde potens eſt in profluviis omnigenis alvi, uteri, &c. valet in Diarrhœa et Cholera, in Dyſenteriis, Hæmorrhagiis; ſiſtit menſtrua, et Lochia in Clyſtere; extrinſecus juvat inteſtini Recti, et Vaginæ prolapſum: Repellens eſt Collyrium in Ophthalmia: Uſui eſt in Gargariſmo ad colligandas Glandulas Salivales, et uvulam relaxatam. Cognatum quendam ab orci faucibus, longe Diarrhœa laborantem, omnibus fruſtra uſurpatis, eripuit. Dari queat ad ℨi. ad iv.

Succus Prunorum Silveſtrium eſt acacia Germanorum, et ſuppleat uſum Acaciæ veræ, Tuſſi confert; cum Vino rubro Dentes figit, et Gingivas confirmat.

Conſerva Roriſmarini Florum. p. 27.

Ut Cephalica præſcribitur, in Nervorum debilitate atque ut Cardiaca levis: Fragrantiam ſuam ſervando amittit, in qua virtus medici-

dicinalis conſiſtit; ſuccurrit Vertigini a cauſa frigida, Stomachica eſt morboque qui vocatur Lema vel Lippitudo cum ab inflammatione non oriatur, convenit. Dos. a ʒi. ad ʒiv.

Conſerva Roſarum Rubrarum immaturarum Florum. p. 27.

Conſerva hæc valde utilis adhibetur frequenter a ʒi. ad ʒij. vel ℥ſs. in Lacte tepido ut levis aſtringens in Stomachi debililate, etiamque in Tuſſibus omnibus Phthiſicis, morbis pleriſque Pulmonum, præſertim in Hæmoptoe, ex Rheumatis acris defluxione. Cinnabaris viſui eſt amœniſſima in forma Electarii cum conſerva Roſarum rubrarum vel Cynoſbati; in aliis formis ob ponderoſitatem ejus non convenienter adhiberi queat niſi in Bolis vel Pilulis, quoniam fundum peteret in liquidioribus formis.

Si Conſerva Roſarum Rubrarum acuetur cum Spiritu Sulphuris, colorem ejus rubrum adauget. Quo antiquior eſt conſerva Roſarum, eo pejus aſtringit: externe applicata valet ad Oculorum inflammationes ſive Ophthalmias.

Flores aſtringunt fortius; Uſus præcipui ſunt in Fluxionibus, Febribus, ſiti, appetitu proſtrata, &c. Extrinſecus in Vomitu, Cephalalgia, Vigiliis, dolore Aurium, gingivarum,

rum, ſedis, in ulceribus et inflammationibus Oris, faucium et Oculorum.

Folia in Aceto macerata et Temporibus applicata proſunt Cephalalgiæ.

Conſerva Rutæ Foliorum. *p.* 27.

Alexipharmica, Cephalica, et Anti-Epileptica eſt a Nervorum relaxatione: Uteri, Capitis affectibus, et Convulſionibus ſuccurrit; præſertim in morbis ab utero oriundis, Glandulas detergendo, et Viſciditate ſua ſiſtendo motiones inordinatas ac laſcivas inde ortum ducentes. Sumitur in primarum viarum cruditatibus ad digeſtionem promovendam, in pleuritide curanda, Colica debellanda, et in Morbis hyſtericis: Solida leniter ſtimulat, ſuccos viſcidos attenuat, et ſecretiones naturales excitat. Nonnulli hanc maximi æſtimant ad morbos contagioſos præveniendos, et peſtem, mane ſumptam a ʒi. ad ℥ſs. Vide Extractum ejus.

Corallium Rubrum. *p.* 8. *et* *p.* 22.

Corallium Rubrum eſt mere abſorbens, atque ut tale ingreditur Pulverem e Chelis Cancrorum compoſitum. Exiccat, aſtringit, Diarrhœæ, et Dyſenteriæ confert, Efferveſcentiæ Sanguinis bilioſæ conducit: Fluxus quoſcunque ventris ſiſtit, aciditatem edulco-

rat in Stomacho infantum, unde Torminibus et Convulſionibus prodeſt, atque Politum dolores mitigat in dentium inciſione: ab Abortu præcavet cum Confectione Alkermes et Margaritis præparatis, ſi eodem Tempore Emplaſtrum Roborans applicetur. Dos. a gr. x. ad ℈i. ʒſs. vel ʒi.

Minus acidum ſaturat quam Creta, et Oſtreorum Teſtæ; plus autem quam alii pulveres vocati Teſtacei. Corallii rubri, vel albi gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. LX.

In ſubſtantia corallium tritum imbibit omnis generis acres, privatim vero acidos humores, ſuos in poros ſuſcipit, unde rodens illorum vis abſumitur, quum prius Enixum quid exinde reſultarit, abſorptis, inverſis dictis acribus inteſtina aliave vaſa rodentibus particulis, facile hinc inde captu eſt, qui alvi, ſanguinis, &c. profluvium ſiſtatur, qua de cauſa hic filum abrumpo.

Cornu Cervi Calcinatum. p. 24. et 50.

Cornu Cervi Calcinatum penitus in igne aperto Furni Figulini ad ſummam albedinem eſt puriſſimum pulverum abſorbentium; utpote perfecte liberatur ab omni glutinoſa materie, qua plerique alii abundant.

Acidum mitigat, ſanguinis et humorum acrimoniam abſorbet, et motum nimium pro tempore

tempore ſiſtit; ſiccat et aſtringit, atque in Diarrhœa prodeſt. Apud plebem magni uſus eſt in quibuſcunque fere morbis Infantium, in Febribus, Morbillis, variolis, Vermibus, et Torminibus medendis; ſimplices homines credunt etiam, huic ineſſe vim Alexipharmacam, unde paſſim pro Alexipharmaco ſcriptum legitur; minime efficax eſt pulverum abſorbentium. Dos. a. gr. vi. ad ℈ij. vel ʒi.

Ingrediens eſt in Decocto albo. p. 124.

Boerhaave ait quod Terra nigerrima ſplendida in fundo Retortæ, poſt diſtillationem Spiritus et Olei C. C. remanens, ſaporis valde amaricantis, nobile admodum ad Lumbricos eſt Remedium, cujus effectus laudabiles ſæpe expertus eſt, ab adultis in pulverem contritum mane jejuno Stomacho hauriatur ad ℈ij. vel ʒi. in Hydromelle, prægreſſa media hor. 16. moto ſimul poſt aſſumptionem corpore. Commodiſſime etiam cum Melle ſumatur in Aqua ſoluto, quod pariter Vermibus eſt Antidotum; ſi vero ex prima vice ſtatim non ſequatur effectus expectatus, repetatur cum conditionibus ſuperius memoratis. Nam vix ipſi par in hoc morbo datur medicamentum, quemadmodum pariter notavit Foreſtus.

Cremor vel Cryſtalli Tartari. *p.* 41.

Cremor Tartari nullatenus differt a Cryſtallis in pulverem redactis; conſtant ex acido, et Terra Alkalina Nativis, inter ſe temperatis, nullo fere modo corroſivis: Utrumque blande refrigerat, aperit, attenuat, diureſin promovet, digerit, appetitum emendat, leniter alvum laxat, veruntamen efficax eſt purgans, Calculum pellit, et Nephriticis ſuccurrit morbis. Doſ. ab ℥ſs. ad ℥i. in juſculo ſolutum, aut Cereviſia. Cryſtalli Tartari ingrediuntur Infuſum Senæ commune, Pulverem e Sena compoſitum, Tartarum Emeticum, et Tartarum ſolubile.

Tartarum crudum præſtat Cremori Tartari, et Cryſtallis Tartari, cujus ℥i. depoſcit Aquæ Bullientis ℥xxiv. ad ipſum ſolvendum. Hujuſmodi autem doſis nimis ampla et incongrua iis, qui Hauſtum toties repetere reſpuunt, vel nequeunt, quoties opus fuerit. Angelus Sala refert ſeſe, plurimis medicamentis incaſſum tentatis, tandem curatum eſſe a Colica perenni, purgando cum Salis Tartari crudi nonnunquam ʒvi.

Creta,

Creta. p. 22.

Creta eſt Terra pure Alkalina, totaliter in Aceto ſolubilis, et acidis lenioribus, uſque adeo deſtruat omne ſignum ſenſibile aciditatis ipſorum. Terra hæc omnium abſorbentium eſt utiliſſima, et ſimpliciter ut talis æſtimatur: Virtutes aſtringentes, quas nonnulli huic attribuunt, nullatenus inveniuntur; interne nonnunquam acida deſtruit in dolore, ardore, et inflammatione Stomachi, falſo dicta Cardialgia, in Cancro, carcinomate, in Tuſſi a phlegmate acri: externe in Vulneribus, Ulceribus, &c. ſiccandis: ingreditur Tabellas Cardialgicas. Doſ. a ℈ſs. ad ʒi. Cretæ gr. x. deſtruunt aciditatem Spiritus Salis gutt. centum. Cretam ampla quantitate ſumptam, ſine propriis Catharticis ad ipſam per tubum inteſtinalem evehendam, quando effecta deſignata exeruerit, Experientia compertum eſt multa mala producere, inteſtina illinendo materie viſcoſa, lactea Vaſa obſtruendo, et inde cachexias, indigeſtiones, et morbos varios ciendo.

Crocus Antimonii. p. 62.

Crocus Antimonii vel Hepar Antimonii, vulgo vocatur Crocus Metallorum improprie.

Summe

Summe caveant Tyrones, vel omnino abſtineant a ſequentibus Emeticis in ſubſtantia, ſcilicet, a Croco Antimonii, Croco Antimonii loto, Regulo Antimonii, Mercurio Emetico flavo vel Turpetho Minerali, et Helleboro albo.

Crocus per ſe eſt violentiſſimum Emeticum, imo ſi hujus quiſquam interne ex imprudentia gr. $\frac{1}{10}$ aſſumpſerit: Effectum ejus malum, vel vehementia vomitiva et purgans ſiſtatur et præveniatur ab aceto tepido cum Saccharo edulcorato et epoto ad ℥iij. vel iv. Boerhaave Chem.

Crocus Antimonii lotus. p. 63.

Tantummodo paratur ad Tartarum Emeticum, et Vinum Antimoniale, ac nuſquam per ſe adhiberi debet interne. Hic pulveriſatus, licet ad gr. i. modo exhibeatur, violenter vomitorius eſt. Croci Antimonii loti major doſis conceditur multo tutius in Tartaro Emetico, et in Vino Antimoniali.

Crocus hic penitus edulcoratus, vel liberatus a Sale ejus, frequenti lotione in Aqua calida donec omnino inſipida ſit, dein cum æquali quantitate Sacchari Cryſtallini, in pulverem ſubtiliſſimum conficiatur. Multum laudatur ad omnes inæqualitates, Membranulas, Maculas, albugines in Oculis, amovendas et tollendas, ſi hujus porticuncula ex calamo

calamo bis de die inſuffletur in Oculos: inſuper curat prurigines, Pſoram Corneæ adnatæ, et palpebrarum. Hoc arcanum fuit Oculiſtæ illuſtris Amſtelodami. Boerh. Chem.

Si nimis vehemens ſit Vomitus, aut diutius quam par eſt, duret, aſſume quædam Medicamenta vomitum ſiſtentia, inter quæ Lac dulce cum pane biſcocto præparatum et Coctum excellit, vel Theriacæ ʒi. vel externe imponatur Emplaſtrum de cruſta panis oleo Menthæ et Cariophillorum ſtillatitio malaxatum. Quando Singultus inter vomendum ſuboriatur, placatur dato Mulſo cum Ruta. Omnibus jam fruſtra adhibitis ad Tincturam Thebaicam vel Extractum Thebaicum quaſi ad ſacram Anchoram refugiendum, imprimis, ſi Oleo Cinnamomi, Cariophillorum, Menthæve ſtillatitio commixtum fuerit: ſi intra horam Vomitus non ſedetur, exhibeatur altera Doſis, et ſic porro quam diu tuto tramite procedas.

Cum Vomitorium exhibitum ſit Antimoniale, Vini Rhenani cochlearia iv. vel vi. cum pane biſcocto, Cinnamomo et N^e^. M^a^. calefacta ſumat æger, et mox ſiſtetur Vomitus, ejuſque energia nimia. In hunc fere modum Fredericus Dekker: Exercitationes practicæ. p. 163. 164.

Pulvis Antimonii lotus, vel Crocus Antimonii prope idem eſt, multum laudatur ut præſervativum, vel curativum in peſte pecudum et pecorum, quibus nihil aliud æque ſuccedit,

ſuccedit. Author nuperus anonymus præſcribit Bovi, ʒv. Vaccæ ʒiij. Vitulo, vel Ovi, ʒi. ſemel in diebus x. ut præſervativum; pro cura autem Doſis ejus repetenda eſt pro rei exigentia. Veterinarii frequenter dant Croci Antimonii ℥i. vel ij. de die, in varias Doſes diſtributas ut Alterativum; in his et aliis Quadrupedibus, hoc Medicamentum agit præcipue ut Diaphoreticum, vel Alterativum.

Decoctum album. p. 75.

Potus eſt vulgaris in morbis acutis tendentibus in Diarrhœam et Dyſenteriam, et ubi humores acres in primis Viis abundant; confert Variolis et Morbillis obtundendo humores acres in Stomacho et Viſceribus, Sanguinem et Succos edulcorando, et leniendo in partibus longe diſſitis. Si Syrupi e Succo Limoniorum ℥ij. addantur, potus erit congruus, et egregii uſus ad ſitim in Febribus extinguendam, et ad Stomachi ægritudinem relevandam. Gummi Arabicum, ingrediens hujus, liquorem leviter glutinoſum reddit, quo Calcis plus ſuſtentet, unde color probabiliter non autem Medicamenti Virtus pendeat: Cornu Cervi calcinatum nullam habet qualitatem conſtringendi vel roborandi Vaſa, dandi majorem conſiſtentiæ gradum fluidis tenuibus, vel humorum acrimoniam obtundendi; acidos ſuccos edulcorat et abſorbet; acrimonia autem

tem et aciditas extreme differunt : Pauci ſunt (fortaſſe nulli auctorum) Morbi adultorum cum poſteriori concomitati; et pauci Infantum morbi immunes ſunt ab aciditate. Nonnulli Amylum propoſuerunt ut ingrediens in decoctis hujuſmodi aſtringentibus; et exigua hujus quantitas videtur valde utilis. Cum C. C. C. ſit mera Terra damnata, ſalibus ſuis omnino ſpoliata, nequit quin inter coquendum ſalem Aquæ imbibat, eamque inanem et eſurientem reddat. Iſta vero eſuriens Aqua in Viſcera et Vaſa intromiſſa, Salia quotquot invehit in ſe avide arripit, ſecumque foras educit. Atque hoc modo Ventriculi et Inteſtinorum, Sanguinem et ſuccos edulcorat, et abſorbet.

Decoctum commune pro Clyſtere. p. 75.

Nominatur Clyſter a *κλύζω*, abluo; Medicamentum eſt liquidum, Ano plerumque tepidum injicitur, quo injecto abluitur Alvus. Humectans, Carminativum, et Emolliens eſt, Dolores et Tormina leniens, humorum acrimoniam mitigans; inſignis uſus eſt in dolore Colico, cruciatibus, ſpaſmis flatulentis; et fæces emolliens.

Decoc-

Decoctum Pectorale. p. 75.

Valde gratum eſt Palato, Aciditates humorum deſtruit, ſanguinis diſſolutionem, ac in ſeroſitates fuſionem inhibet, aut ſiſtit; fluidorum acrimoniam lenit, hebetat, humectat; et Alvum emollit, per lentorem mollitiem, glabritiem, blandamque particularum ejuſdem dulcedinem; exinde partim ſanguinem (in fluorem diſpoſitum) incraſſando, et ſeri acrimoniam obtundendo; partim phlegma pulmonibus impactum maturando; partimque Ramulos Bronchiales, Tracheæque latera demulcendo, humectando, lubricando, et expectorationem promovendo, egregie Tuſſi, Raucedinique ulceroſæ dolore et clangore comitatis, opitulatur: Ob rationes ſuperius allatas commodum eſt ſabulo, Nephritidi, Rheumatiſmo, Pleuritidi, Aſthmati, Dyſpneæ, Phthiſi pulmonali, Hecticis, Morbillis, et Variolis. In ardore Urinæ inter veſicandum frequenter adhibetur. Doſis ab ℥iij. ad vi. bis terve de die, vel bibatur ad libitum.

Si omnia ingredientia hujus decocti pectoralis infunderentur in Aquæ ebullientis ℔ijſs. ſine coctione, et Infuſum colaretur, Medicamentum Stomacho magis gratum foret, nec minus efficax. Decocta vel infuſa hujuſmodi, copioſiſſime ſumi debent, alias nullum

ederent

ederent effectum, neque his fidendum ſine additione magis efficacium.

Si quiſpiam vim laxantem vel purgatricem adjicere voluerit. ℞ Hujus Decocti, vel Infuſi ℔iſs. Infuſ. Senæ communis ℥viij. m. colatura diſſolve Mannæ ℥ij. pro doſibus iv. vel ℞. Amborum ana. q. v.

Elaterium. p. 30.

Elaterium Ἐλατήριον, ſive agitatorium Gazæ, ab ἐλαύνω, agito, proveho, duco. Violentiſſimum eſt Catharticum et Hydragogum; idcirco rariſſime præſcribitur, quoniam aſperrime operatur; purgat pituitam ſeroſoſque humores vomitu et dejectione, movet Menſes, fœtumque interimit; quare rarus ejus uſus, idque correctum exhibendum corporibus: incorrectum adhibitum tanta vehementia per ſuperiora, ſimul et inferiora operatur, ut parum putum Sanguinem ſupra et infra dejecerint nonnulli.

Elaterium ſuccus eſt Cucumeris Aſinini expreſſus et inſpiſſatus; uſurpatur præſertim in illa Hydropis ſpecie, cui nomen eſt Aſcites, a gr. ſs. ad gr. ij. vel iij. habetur hæc quantitas Doſis ſufficiens in caſibus pleriſque; aliquando minor quantitas additur Catharticis debilioribus; interdum datur ad gr. iv. vel v. ad ſummum, ubi potentiſſima medicamenta exigantur; licet Authores nonnulli multo majorem

majorem doſin meminerint, qua tamen paſſim utentes, ſæpius ad patientis noxam quam emolumentum exhibent. Sumitur vel per ſe, additis duntaxat Aromaticis correctivis, vel aliis Hydragogis.

Medicamenta revera generatim, quæ in exigua Doſi vehementer agunt, peritia ſumma indigent quo tute adminiſtrentur, et Practici ſumme caveant ab hoc, uſquedum medicamenta mitiora comprobarunt incaſſum. Catharticum hocce cautiſſime utendum, et Infantibus omnino abſtinendum eſt; uſus ejus coerceri debet præcipue Apoplexiis et Lethargis ex Seri vel Pituitæ redundantia oriundis, et ubi cathartica mitiora nullum omnino effectum ederent.

Boerhaave præſcribit Elaterii gr. iv. Syr. de Spin. Cervin. ℥i m. pro una Doſi.

Barchuſen Synopſ. Pharmac. ait Extracti Elaterii Doſ. Infanti 6. ann. eſt gr. ¼ Adoleſcenti 16. ann. gr. i. Juveni 30. ann. gr. iv.

Electarium e Baccis Lauri. p. 122.

Electarium et non Electuarium vocatur a Cœlio Aureliano, antiquiſſimo pro hac orthographia Authore. Electarium hoc paratur cum Melle; nauſeam creat ob Gummi fœtidum Sagapenum, et rariſſime præſcribitur; Stomachum calefacit, urinam provocat, Menſes promovet, et Hyſtericis ſuccurrit. Doſis a ℈i. ad ʒi.

ʒi. et repetatur pro re nata. Commendatur ad Colicam et Iliacam paſſionem; ac doloribus inteſtinorum ex cauſa frigida et flatuoſa opitulatur.

Uſus præcipuus ut Carminativum in Clyſteribus ad ℥ſs.

Electarium e Caſia. p. 122.

Olim vocabatur Diacaſia cum Manna; Alvum laxat, et Bilem purgat. Doſ. a ʒi. ad ℥ſs. ut Alterativum: aſt in Clyſteribus ad ℥ij. vel ultra; et in Decocto ad ℥iij. vel iv. nunquam præſcribitur, et Electarium Lenitivum ſuppleat vicem hujus.

Caſia—Pulpa vel Extractum Caſiæ Fiſtularis Indiæ orientalis, ſumitur ad ʒij. vel ultra, ut mite laxans in habitu adſtricto. Nonnulli præſcribunt ad ℥ij. vel ultra, ut Catharticum in Caſibus inflammatoriis, ubi purgativa magis acria nullum habent locum; ampla autem hæc quantitas Stomacho faſtidium generaliter parit, flatulentias producit, et interdum tormina Viſcerum, quando Caſia non ſit optimi generis; quæ inconvenientiæ præveniri poſſint per additionem cujuſvis calidi Aromatici, in forma liquida.

Infantibus modo natis adhibeantur ʒij. ſolutæ in Seri lactis ℥vi. et cochleatim ſumantur per horas viii. vel xii. ad excrementa vocata

Meconium expurganda, antequam ſugere incipiunt.

Geoffroy ait, quod Caſia eximii eſt emolumenti in illa tenſione Ventris, quæ uſum Antimoniatorum imprudentem ſequitur, et quod commodiſſime acui poſſit cum purgativis magis acribus vel Emeticis Antimoniatis; vel ad eorum Vim minuendam adhibeatur.

Caſia ſæpe conjungitur cum Tartaro Emetico ad temperandum vim ejus.

Valliſnieri refert, quod virtus cathartica Caſiæ inſigniter promovetur a Manna: et mixtura Caſiæ ʒiv. cum Mannæ ʒij. Catharſin æque fortem moliuntur ac Caſiæ ʒxij. vel Mannæ ʒxxxij. per ſe.

Manna Infantibus datur a ʒij. ad ℥ſs vel ℥i. Adultis ab ℥i. ad ℥ij. iij. vel iv. atque in magna Doſi, flatus et tumultus non auget. Tute exhibetur Senibus, pueris, fæminis etiam prægnantibus, et delicatulis. Primas Vias detergit, etiamque Stomachum et Inteſtina blande movet; evacuat et educit omnigenos humores, Seroſos, Bilioſos, acidos; atque corrigit et obtundit acrimoniam Bilioſorum.

Manna multum commendatur in Rheumaticis Arthriticis, et ſcorbuticis Morbis; in Tuſſibus Guttur, Aſperam Arteriam, Thoracemque lenit. Hypochondriacis, Colicis, Nephriticis, ſuppreſſioni et ardori Urinæ ſuccurrit. Magis meliuſque expurgat Hydropicos

cos ſeroſos humores, et proſperiori eventu, ſi ſalibus Catharticis commiſceatur. Doſ. ab ℥ij. ad iv. in Juſculo, aliove potu. Geoffroy acuit Mannam cum Tartaro Emetico, ita ut Doſis unaquæque Mannæ contineat Tartari Emetici gr. i. hoc modo Serum bilioſum copioſe evacuabitur ſine ulla nauſea, torminibus, aliave inconvenientia.

Tamarindorum pulpa auget actionem purgativam dulcium, ut Caſiæ et Mannæ, ac debilitat vim Reſinarum catharticarum. Nonnulli opinantur, quod Antimonialium præparatorum virulentiam et violentiam minuat; Experientia autem docet illam edere contrarium plane effectum, et quod vegetabilia omnia acida eorum vim adaugeant. Lewis Pharm. p. 216. quæ conferantur cum p. 121. Scholii hujus.

Electarium Lenitivum. p. 123.

Alvum laxat; in Ventre conſtipato frequenter adhibetur ad q. N. M. vel a ʒij. ad ℥i. Humores ſalſos, pituitoſos, bilioſos per anum pellit.

Tamarindi refrigerant et ſiccant; humorum acrimoniam et fervorem reprimunt, Bilem ac aduſtos humores blande educunt, et Siti ſuccurrunt. Schroder.

Tamarindorum Doſis in Subſtantia ab ℥i. ad ℥iſs. in Decocto ab ℥iij. ad iv. ut Altera-

tivum conceduntur ad ℥ſs. vel convenienter commiſceantur cum Ptiſanis, aliiſve liquoribus ad Sitim tollendam in Morbis acutis. Medici nonnulli præſcribunt ſerum Lactis Tamarindinatum, quod mire purgans eſt in Morbis inflammatoriis, Colicis, &c. Geoffroy. Vid. Fulleri Pharm. Extemp. 267.

Caſia eſt Eccoprotica, Saponacea, Diuretica, leniens, lubricans, inflammationes inteſtinas omnes ſedans, Renumque vitia emolliens, et temperans. Alvum laxat, clementerque ſine torminibus fœces educit, Bilem ſeroſoſque humores purgat ; et convenit in doloribus tum externis, tum internis, Sanguinem contemperans et puriorem reddens. Raii Hiſtoria p. 1747. de quo plura videas.

Caſia in parva quantitate aſſumpta urinam reddit viridem, et majori quantitate fuſcam, et porro adaucta quantitate ſubnigram. Boerhaave de medicamentorum Poteſtatibus.

Bonum eſt et mite Catharticum, quando purgatione opus fuerit, ubi æger inflammatione Thoracis, vel abdominis &c. laboret, quoniam imminuit flūidorum acrimoniam. Sæpe commiſcetur Mannæ, Pulpæque Tamarindorum, et hujus Doſis ℥i. vel ℥iſs. in ſubſtantia ; in Decocto ab ℥iij. ad ℥iv. porrigatur.

Electarium

Electarium e Scammonio. p. 123.

Olim vocabatur Electarium Caryocoſtinum, a Caro et Coſto in ejus compoſitione. Eandem quantitatem continet Scammonii in ʒiſs. quam olim habebat in ℥ſs. cum Melle paratur. Impræſentiarum ʒiſs. vel ʒij. pro extrema doſi et Conſtitutionibus robuſtis catharticum eſt agile, calidum, nervinum, Antiparalyticum, antiſpaſmodicum; multum valet in dolore Arthritico, Rheumatiſmo, Hydrope, et Habitibus corpulentis. In caſu Apoplectico, et Paralytico, cum fibræ agiliter ſtimulari et moveri debent, conveniens eſt Catharticum, ubi tale exigatur; Viſcerum obſtructiones tollit, et Lui Venereæ ſuccurrit. In forma Boli exhiberi queat, vel Clyſteris; vel ſumatur Electarium in parva doſi frequenter in ventre conſtipato: vel adhibeatur cum Rhabarbaro, vel Balſamo Sulphuris, vel Balſamo Terebinthinæ &c. in multis meatuum urinariorum Morbis.

Scammonium valide expurgat humores bilioſos, acres, ſeroſos, e partibus remotis; adeoque creberrimi uſus eſt, non modo per ſe, ſed et cum aliis permiſtum. Schrod.

Nunquam exhibendum ubi minima inflammatio adſit in quavis parte Abdominis, nec convenit adhiberi in ulla liquidiori forma, quam in illa Electarii e Scammo-

nio. Vulgo datur Scammonium in Subſtantia a gr. iij. ad x. vel xij. vel Scammonii doſis Infanti 6 Ann. gr. ij. Adoleſcenti 16 Ann. gr. iv. Juveni 30 Ann. ℈ſs.

Scammonium ingreditur Electarium e Scammonio, Extractum Catharticum, Pulverem e Scammonio comp., Pil. ex Colocynth. cum Aloe, et Pil. ex Colocynth. ſimpliciores. adeo adhæſivum eſt ut non pulveriſari poſſit, niſi Mortarium illinendo aliquoties, et terendo cum olei momento. Atqui purgans eſt valde incertum; aliquando nullum omnino effectum edit, interdum ſuperpurgationes funeſtas inducit, et quod obſervatu dignum eſt, ne minime quidem operatur die primo, die autem ſequenti parit intolerabilem Teneſmum et lethalem Hypercatharſin. Hæc differentia operationis debetur integre diverſis ægrorum temperamentis, et non cuivis malæ qualitati, vel irregularitati hujus Medicamenti. Ubi inteſtina illinantur ingenti mole Muci, Scammonii doſis magna tuto, et ſecure pertranſit, nec vim ſuam in ipſa exerit: ubi mucus naturalis deficiat, exigua hujus Doſis, vel quarumvis Reſinarum catharticarum tum irritat, tum inflammat.

Scammonium autem in ſubſtantia ſcite tractatum non indiget ullo correctorio, ſi cum oleoſo quovis viſcido, aut Vitello Ovi, Emulſione Amygdal. dulc. et Sem. frigid. vel Emulſione communi diluatur: etiam ſi teratur cum Saccharo et quibuſvis ſalibus

Alkalinis,

Alkalinis, ut Sale Tartari; in pulverem reducatur partes ejus dividendo, unde tutius mitiuſque operatur: Mirifice detergit meatus et Glandulas humoribus mucoſis et viſcidis obſeſſas, vermeſque enecat: caute autem per ſe puerulis adhibendum, ne convulſiones induceret vellicando teneras eorum membranas.

Scammonium culpabile dupliciter eſſe ſolet; aut enim obſtinate ſolutioni reſiſtens a liquoribus Gaſtricis nullo modo alteratum abſque purgatione dejicitur: aut plicis ventriculi Inteſtinorumve pertinacius adhærens, nauſeam, tormina, aut Hypercatharſin excitat: hac vero ratione in Emulſione ſequenti diſſolutum et cicuratum, ſatis efficaciter, et tuto, opus ſuum peragere ſolet.

℞. Scammon. ℈ſs. (vel q. s.) Vitell. Ovi ʒij. Sacchar. alb. ʒi. Aq. Roſ. Damaſ. et Cinnam. Hordeat. ana ʒvi. m. f. Emulſ. cathartica. Vel Scammonium pariter etiam commode diſſolvi poſſit triturando in Decocto forti Glycyrrhizæ, hoc dein effundendo a fœcibus hoc modo fit purgans, ſine torminibus et aliis inconvenientiis agens, etiamque palato innocuum eſt. Vel Scammonium optime præparatur, ſi gr. xij. vel xv. (pro ægrorum ætate) terantur cum tantillo Aquæ Fæniculi, aut ſimilis; lacteus liquor terendo elicitus lente effundatur, atque aqua nova vis reliqua eliciatur; remanentibus in fundo fœcibus nigricantibus. Liquori prædicto adde Aquæ Cinnamomi alteriuſve Aq. Aromaticæ ʒij. et Syr. Roſ. ſolut. ʒij. aut ſimilis ʒij. aut iij. fit

 hauſtulus

hauſtulus gratiſſimus. Qui ut facilius operetur, bonum erit dimidia poſt Hauſtuli aſſumptionem hora Cremoris Tartari ℈i. vel ʒſs. ex Juſculo propinare. Fred. Dekkers Exercitat. Practic.

Electarium e Scordio. p. 124.

Olim vocabatur Diaſcordium, vel Confectio Fracaſtorii, a præclaro Medico in Italia. A. D. 1525.

In hujus Electarii ʒiij. continetur Opii gr. i. Moderate calefaciens, glutinoſum, aſtringens opiatum eſt, et huc ſpectat praxis nuperrima tantum. Infantibus conceditur a gr. v. ad ℈i. Adultis a ℈i. ad ʒij. Valet in Fluxibus omnigenis, Diarrhœa, Dyſenteria, Stomacho Viſceribuſque corroborandis: prodeſt fluxui Ventris a cathartico fortiori aſſumpto: vel ubivis Opiata exigantur, et aſtringentia ſimul non interdicantur. Quo recentius, eo melius. Compoſitum hoc ſanguinem non æque incaleſcere facit, ac Theriaca Andromachi et Mithridatium, minuſque adulteratur. Virtutes eaſdem habet ac Species e Scordio cum Opio, aſt potentiores, quia in conficiendo Electario e Scordio cum Opio, adjicitur Syrupi e Meconio triplex quantitas ad Species e Scordio. Huic præfertur Pulvis e Bolo compoſitus cum Opio, ut Aſtringens.

Elixir

Elixir *Aloes. p.* 94.

Olim vocabatur Elixir proprietatis ſimplex vel dulce. Ad alterandum et corroborandum ſumi poteſt ſemel, atque iterum, in die ad gutt. vi. ad laxandam a ʒi. ad ʒiſs. ad purgandum a ʒiſs. ad ʒij. vel iij. Vulgaris doſis eſt a gutt. x. ad ʒi. vel Infantibus a gutt. x. ad gutt. xxx. et Adultis a gutt. xxx. ad gutt. LX. vel ultra, in quovis liquore idoneo, idque matutino, et veſpertino tempore. Hypochondriacis ſuccurrit ex hauſtu vini Xeronenſi vel Canarini, mane.

In Caſu ab alto, cum dolore Pulmonum rodente et lancinante, hæmoptoe et hæmorrhagia Narium Egomet præſcripſi cochleare minimum hujus i. ex Cyatho Aquæ tepidæ cum Syrupo Balſamico edulcoratæ, ſemel biſve de die optato ſucceſſu.

Elixir hoc univerſale propemodum eſt, valde commendatur, nec immerito, ut calidum ſtimulans et aperiens; valet in Stomachi cruditate, et inde appetitu diminuto et proſtrato; Stomachum aliaque viſcera roborat, digeſtionem adjuvat, ſanguinem depurat, Diaphoreſin et Diureſin promovet, Cordis palpitationi conducit, primarum viarum phlegma tenax detergit, Vaſorum remotorum obſtructiones aperit, et ſecretiones omnes naturales promovet, craſſos humores attenuat et ſolvit, et

et Tertianas radicitus tollit: ideo multis Chronicis morbis ſuccurrit, quod Nervoſum Syſtema leniter ſtimulat, et Materiæ noxiæ jamjam attenuatæ expulſionem promovet. Continuus ejus uſus multum præſtitit in conditionibus Cachecticis, Hypochondriacis, Ictericis, Scorbuto muriatico, Hydrope univerſali, Obſtructionibus uterinis, et ſimilibus Morbis; ſpeciatim ſedentariis, pallidis frigidis, phlegmaticis habitibus: Hinc Viſcerum obſtructiones aperit, eorum tonum reſtituit, et Tumores reſolvit: Leniter Alvum ſolvit, magni æſtimatur ad Rachitidem, ad vermes puerorum deſtruendos, viſceraque detergenda a viſcidis mucoſis humoribus (indigeſtionis effectibus ſæpe numero) ubi nidulantur.

Chloroſin ſæpe curat, Menſes promovet ſi diu et frequenter ſumatur bis terve de die per hebdomadas tres vel quatuor continuas; etiam Hæmorrhoides elicit.

Ubi æger calidæ, bilioſæ conſtitutionis, et floridæ ſit temperiei, præſertim Hæmorrhagiæ, ſabulo, et Hæmorrhoidibus obnoxius, medicamentum hoc calidum, ſtimulans minus convenit, imo plerumque nocet. Ulceribus ſordidis mundificandis, internis et externis, omni cariei, et Fiſtulis carioſis inſervit; Vulnerarium eſt inſigne; conſolidat, extergit, putredini reſiſtit, et gangrænam præcavet. Præſervativum egregium eſt adverſus Febres contagioſas, et peſtilentiales, &c. præſertim ſi ope Spiritus Aceti optimi conficiatur.

In

In Elix. Aloes ℥iij. ſunt Croci gr. v. Et pro ratione Menſtrui additi variant etiam Vires ejus.

Virtutes eaſdem habet ac Vinum Aloeticum alkalinum, ſive Elixir Proprietatis Helmontii quod magis attenuat; Elixir autem Aloes minus Urinam ciet.

Aloe Socotorina ingreditur Balſamum Traumaticum, Elixir Aloes, Extractum Cathartic., Pil. Aromatic., Pil. ex Colocynth. cum Aloe, Pil. Ecphractic., Pil. Mercurial., Pil. Rufi, Tinct. Sacram., Vinum Aloetic. Alkalinum.

Elixir Aloes, omnia Elixiria, Eſſentiæ, et Tincturæ ex Reſinoſis et oleoſis extracta, debent vehiculo ſpirituoſo propinari; in Aquoſo enim præcipitantur et aquam conturbant, exceptis iis Elixiriis, Eſſentiis, et Tincturis, quæ ſale alkali quodam ſoluto præparata ſint.

Aloes tres ſunt ſpecies e tribus diverſis plantis 1. Aloe Socotorina, ex Inſula Socotorina, Socotrina, Socatara, Socotara, vel Zocotara in India orientali prope ſretum Babel-Mandel. 2. Aloe Hepatica itidem ex Aſia, referens Hepatis cocti colorem. 3. Aloe Caballina, ex Guinea et Barbada, craſſa, rudis, impura, odoris vehementer ingrati ſœtidi, ita dicta, quaſi Equis præſertim peculiaris.

Aloe Socotorina apprime bonum eſt Catharticum; ſanguinem autem nimis rarefacit, unde interdum oriuntur Hæmorrhagiæ,

hagiæ, aliæque evacuationes. Hoc medicamentum nunquam dari debet Gravidis, et fluxui menſium nimio, vel Hæmorrhoidibus, addictis, &c. Denuo, finito effectu purgante, conſtipat; ideoque Ventri adſtricto proclivibus huic præponenda eſt Caſia, Electarium e Caſia, vel Electar. Lenitivum. Aloe leniter purgat Bilem, et Melancholicos humores, Menſtrua etiam provocat. Doſ. a. gr. iv. ad ℈i. vel ʒſs. Conveniet autem in parva doſi exhiberi et ſæpius repeti quo ulterius in Sanguinem, et corporis habitum vehatur, atque humores reddat fluidiores. Præſcribitur in Rheumatiſmis, Ictero, et doloribus Arthriticis cum ſalis tartari granis paucis, imo corrigatur cum ſale Tartari in majori quantitate, adeo ut vim purgantem omnino perdat, et Diureticum ſummum evadat: In pilulas generaliter formatur quarum ʒſs. eſt media doſis, raro in formis liquidis adhibetur ob vehementem ejus amaritudinem. Bonum eſt purgans in Aquis, frigidis, corpulentis conſtitutionibus; calefacit, et multum attenuat; nocet autem gracilibus, et Hecticis. In Caſibus Chalybeatis ad Menſtrua promovenda interponi debet: Vermes enecat, et detergit viſcidos humores in viſceribus, ubi nidificantur: Aloe ſi ſumatur per ſe, interdum Stomachum pungere ſolet, niſi detur immediate ante paſtum.

Aloe Hepatica, et Aloe Caballina uſurpantur externe in Unguentis, ad Vermes, puerorum

rum abdomini applicandis, quoniam magis ſtrenuæ et fœtidæ, facilius penetrant poros cutaneos, purgant, enecantque Vermes etiam in forma Emplaſtri.

Elixir Myrrhæ compoſitum. p. 95.

Olim Elixir uterinum vocabatur: Medicamentum egregium eſt, ad Uterinum fluxum promovendum valde efficax, qua ratione nunquam dari debet ubi prægnationis ſuſpicio adſit; et caute exhibendum ne profluvium inducat. Hoc enim Elixir puerperarum valentiſſimum eſt, ad parturiendi conatus deficientes revocandas, ad Fœtum expellendum, ad ſecundinarum retentarum, et Lochiorum ſubſiſtentium expulſionem: ſed ne quid nimis; quamprimum intentioni ſatisfit, ab ejus ulteriori uſu omnino abſiſtendum erit. Putredini reſiſtit, Vermes necat, Menſes, Lochia, et Hæmorrhoides provocat: Cachexiæ, Chloroſi, Ictero, omnibus uterinis obſtructionibus, Paſſionibus Hyſtericis, et Hypochondriacis efficaciter ſuccurrit, Apoplexiæ, Epilepſiæ, Paralyſi, et doloribus Podagricis. Doſ. a gutt. XXX. ad LX. in Aqua Pulegii, vel ejuſmodi Vehiculo. Cave ne Gravidis concedatur ante tempus parturiendi ob metum abortus. Frequenter curat Puerorum Con-

Convulſiones, quibus porrigatur a gutt. v. ad xx.

Myrrha ex Cedro in India extillat.

Elixir Paregoricum. p. 94.

A παρηγορεω, i. e. mitigo, lenio, conſolo, conſolor.

Olim vocabatur Elixir Aſthmaticum, et Eſſentia Aſthmatica apud Le Mort. Chem. Medicophyſic. ad p. 161. Mire allevat Titillationes, quæ Tuſſim frequentem provocant, inſimul pectus aperit, et majus reſpirandi ſpatium concedit: Opium procurat ſolatium temporarium a Symptomatibus (quod per ſe efficit) dum cætera Ingredientia cauſam amovere tendunt, et ipſorum reditum præveniunt. Elixir hujus ℥ſs. (M.) continet Opii circiter gr. i. Doſis Adultis eſt a gutt. xx. ad Centum in Aqua vel decocto Hyſſopi, vel Canarino, Cubitum ituris; Infantibus a gutt. v. ad xx. vel ultra in pertuſſi, vel Tuſſi convulſiva, ferina, Clangoſa, ſumme excellit; omnibus pectoris et Pulmonum vitiis ſuccurrit; dolores lenit, faucium aſperitates tollit; tuſſi inveteratæ medetur, humores acres et ſubtiles incraſſat, et acredinem eorundem obtundit, mitigat, fibraſque relaxat Opium; atque Camphora et Flores Benzoini viſciditates, et humorum cohæſiones minuunt, emundant, detergunt; aperiunt Glandulas, earumque

rumque ſecretionem et fluxionem facilitant, unde Vaſorum dimenſio vel capacitas augetur, et Sanguis majus ſpatium occupat, quo facilius per Pulmones fluat, in reſpiratione, circulatione, et ſecretione. Uſui eſt in Dyſpnœa vel Reſpiratione difficili, Orthopnœa, Incubo; efficax eſt in Catarrhis, Vigiliis, &c. Multum præſtat Pilulis e Styrace, et Confectioni Paulinæ, ob Ingredientia agglutinantia Confectionis hujus. Ex Sententia noſtra ſi Elixir hoc cum æquali quantitate Balſami Traumatici commiſceatur, multo potentius eſſet Medicamentum ad propoſita ante memorata, utcunque utiliter præſcribi queat, utpote opiatum, Anodynum, et Diaphoreticum.

Elixir Vitrioli acidum. p. 94.

Olim Elixir Vitrioli Mynſichti nominabatur. Multum commendatur in Stomachi et Inteſtinorum debilitate: ubi ad inflammationem tendat Craſis, et ubi Acidum non abundet, quamplurimum bona producit effecta; Stomachum ac Inteſtina maxime confortat, appetitum excitat: et valet nonnunquam, Amaris incaſſum tentatis, præſertim in Crapula, vel relaxationibus a luxuria, et edacitate. Virtutes Corticis Peruviani æmulatur, et pollet in iiſdem intentionibus, i. e. In Febribus intermittentibus, et morbis a nimia vaſorum laxitate,

laxitate, cum minori Corticis diſpendio. Cerebrum, Caput, totumque Corpus multis phlegmaticis Catarrhis repletum, a dolore mire tuetur; fluida exiccat; Solida aſtringit, et compingit. Fuller, in Medicina ejus gymnaſtica, refert ſeipſum reconvaluiſſe a ſæviſſima Conſtitutionis labefactione, nauſea, et continuo vomendi conatu per Elixir Mynſichti. Succurrit Epilepſiis, Apoplexiis, Rheumatiſmo, Diarrhœæ bilioſæ ubi acida multum proſint. Vid Schol. p. 22.

Nonnulli hoc Elixir intentiſſime prædicant amicum fore Nervis, et paralyſi profuiſſe, quibus nullatenus aſſentior. Egomet enim nunquam reperi aliquid exinde emolumenti ad hoc propoſitum, quantumvis Aromaticis munitum fuit, et addere poſſim, perpaucos in hiſce Regionibus Borealibus hoc multum indiguiſſe; noſter enim vivendi Mos iſtiuſmodi eſt, ut hoc potius fugiendum, niſi Vita fuerit laborioſa, cœlum calidum, et temperamentum bilioſum. Doſ. a gutt. x. ad xxx. vel xl. ad lx. vel lxx. in vehiculo convenienti ſemel, bis, terve de die, i. e. Mane jejuno, paulo ante meridiem vel prandium, et tempore pomeridiano.

Elixir Vitrioli dulce. p. 95.

Hæc Elixiria bina, quatenus ad Vires, ad Scopum eundem collimant. Elixir cum Oleo vel

vel Spiritu Vitrioli forti dulcificato, proculdubio optimum eſt ad praxin generalem; et paratur iis, quorum Stomachi aciditatem prioris ferre nequeunt; in conditionibus tamen nonnullis præſtantius eſt Elixirio Vitrioli acido: optime ſumendum mane jejuno, hora una ante prandium, et poſt meridiem. Vel,

Doſis Cochleare minimum, bis terve de die, effecta fælicia produxit in multis Caſibus. Vel,

Doſis a gutt. x. ad xx. vel xxx. et ultra ad gutt. XL. toties de die, ex Cyatho Aquæ tepidæ. Vel,

Doſis a gutt. xx. ad centum in vehiculo quovis idoneo; Urinam provocat ſudoremque, et inſimul refrigerat, digeſtionem adjuvat, ſolida roborat, et colligat.

Emplaſtrum ex Ammoniaco cum Mercurio. *p.* 136.

Nuper vocabatur Emplaſtrum Mercuriale: continet Mercurii vivi circiter $\frac{1}{5}$ totius. Craſſos, lentoſque humores alicubi congeſtos optime attenuat, et diſſolvit; atque ad Hepatis, Lienis, Abdominis, et Hypochondriorum tumores apprime convenit. Eximie reſolvit; partibus induratis applicari conducit, Scirrho, Tophis, Nodis, Gangliis, Pedum Clavis, Scrophulis, aliiſque Tumoribus durioribus reſolvendis: Tumores duros diſcutit a

Lue venerea, vel Scrophulis, et mira efficit applicatum ulceribus Calloſis, atque Strumoſis. Si in nonnullis Caſibus non ſatis adhæreſcat, adde parvam Terebinthinæ quantitatem.

Emplaſtrum Attrahens. *p.* 136.

Titulus intimat verum hujus officium: Suppurat, et bonum eſt ad contuſa; ſupplet locum Emplaſtri e Meliloto, et multi uſus eſt poſt veſicationem: Emplaſtra non conveniunt partibus ab Epiſpaſtico excitatis: Cerata autem mollioris Subſtantiæ et minus adhæſivæ (ut Ceratum album pro uſu generali, et Ceratum Citrinum, vel Unguentum Baſilicum flavum pro uſu particulari, per ſe vel cum aliis immiſtum) applicentur.

Emplaſtrum Cephalicum. *p.* 136.

Uſus præcipui eſt in Capite humido et Catarrhoſo, quod calefacit et corroborat: In Cephalalgia, Vertigine, &c. applicetur Vertici vel Cervici raſo; vel plantis pedum, ad educendos humores ſeroſos in Rheumate a colluvie ſeroſa: ad Ophthalmiam et defluxiones in Oculos, Nuchæ adhibeatur: Ad Odontologiam pone vel ſub Aures cum Euphorbio: Ad Febres continuas, Cephalalgia, torpore, vigiliis, delirio, &c. ſtipatas, ſoleis Pedum, ad

ad revellendum: Quando ſcilicet Sanguis inæqualiter circulatur, et magis impetuoſe Caput verſus quam inferiores Corporis partes fertur, addi queat Camphora, et Ol. Succini ana ℈i.

Capitis dolori, et Dentium confert, Tumoribus applicatum; meliori autem ſucceſſu, Remedia pone vel ſub Aures, in dentium dolore applicantur, quam ad Tempora; quoniam ſurculi duo Arteriæ Carotidis externæ ſub aurem, Maxillam inferiorem ingrediuntur, et ſecundum ejus longitudinem, in omnium Dentium radices diſſeminantur, quibus Sanguis ad dentium nutritionem defertur.

Emplaſtrum Commune. p. 137.

Olim Emplaſtrum Diachylon ſimplex: paratur ad Emplaſtrum commune adhæſivum, Empl. commune cum Gummi, Empl. commune cum Mercurio, Empl. Roborans, Emplaſt. e Sapone, Linimentum Tripharmacum, Unguent. Tripharmacum. Emplaſtra omnia cum plumbo vel ejus recrementis, abſorbent: Lithargyrus leniter exiccat, refrigerat, repellit, adſtringit; qua ratione incarnat, cicatrizat Ulcera, Vulnera, et Cava replet. Oleum Olivarum laxat, emollit, tenſionem aptam impertit partibus, quibus applicatur; diſcutit, et ſanat.

Emplaſtrum Commune adhæſivum. p. 137.

Uſurpatur pro Fontanellis apertis ſervandis, ab inflammatione tutandis, &c. circumligando Linteamina unguentis, Balſamis, &c. imbuta, iis applicanda.

Emplaſtrum Commune cum Gummi. p. 138.

Olim Emplaſtrum Diachylon cum Gummi. Galbanum externe applicatum emollit, reſolvit, et ſuppurat Tumores. Geoffroy. Uterum, et Nervos roborat, exploſiones Hyſtericas prohibet; Tophos, Nodos, Scrophulas emollit, maturat, digerit et detergit; vel diſcutit et diſſolvit: tumores duros, eorumque dolores ſedat; Verrucas, Pedumque Clavos tollit.

Emplaſtrum commune cum Mercurio. p. 138.

Nihil neceſſe eſt hoc Emplaſtrum, et ejus Vicem probe ſupplet Emplaſtrum ex Ammonia cocum Mercurio: continet Mercurii $\frac{1}{5}$ totius prope. Adhibetur Gangliis, Scrophulis vel Strumis, Scirrhis, Tumoribus ſcirrhoſis, Nodoſis, Tophis.

Emplaſtrum

Emplaſtrum e Cymino. p. 139.

Præmiſſa Phlebotomia liberali, Pleuriticis multum facit, Colicis, et Herniis ventoſis. Dolores ſedat, penetrat, attenuat, digerit, reſolvit. Commendatur ut moderate calidum, diſcutiens Emplaſtrum, Regioni Hypogaſtricæ applicatum: Viſceribus roborandis, et flatulentiis expellendis.

Emplaſtrum e Minio. p. 139.

Non æque bonum eſt ac Emplaſtrum commune, et Emplaſtrum commune cum Gummi: minus adhæreſcit, et majori labore paratur; ideoque omittatur, et hujus uſum ſuppleat utrum horum mavis Ph. L. 135. Minium integre ſolvitur decoquendo Oleo Olivarum, vel Oleo Lini, unde efficitur Emplaſtrum de Minio, eximium apud Chirurgos, atque optimum Remedium in Arthritide, præſertim ſi paretur cum Cera ſolum, ſine oleo, aliave materia unctuoſa. Emplaſtrum hocce Boerhaave Chem. — Bene exiccare, et cicatricare fertur.

Emplaſtrum e Mucilaginibus. p. 139.

Olim Diachylon compoſitum. Bonum eſt ad Contuſa, Tumoreſque; et ſæpe in uſum ducitur a Chirurgis, ut ſuppurativum in tumoribus: dolorem mitigat, et lenit, coagulum humorum diſſolvit, frigidis affectibus convenit, &c. Apoſtemata maturat, duritiem emollit, partim reſolvit, partimque ſaniem ruptorum Apoſtematum digerit, et Phlegmonas ſanat.

Emplaſtrum Roborans. p. 140.

Olim Emplaſtrum ad Herniam. Præſcribitur frequenter per ſe, vel cum Emplaſtro communi adhæſivo; aſtringit, corroborat, et fluxiones tollit: ad Abortum præcavendum, Lumborum dolorem, debilitatem, et fluorem album dorſo et umbilico applicetur, et continuo geſtetur: ad Rupturas et Hernias inguinales ac Umbilicales curandas valet. In Gonorrhœa et fluore albo, Medicamenta lumbis applicantur, non quod Renes illic ſitum habent; ſed quia Arteriæ, quæ ſanguinem pudendis adducunt, hoc in loco ex Aorta exeunt. Etiam et propter ejuſdem partis Muſculos et Ligamenta laxata.

Emplaſtrum e Sapone. p. 140.

Olim Emplaſtrum Diaſaponis. Digerit, reſovit, detergit, Tumores Arthriticos, et ſtagnantes a nervorum diſtentione ſuccos, diſcutit: Dolores Dorſi et Articulorum (etſi podagricos) abſque periculo Repercuſſionis, ſublevat: Contuſiones et Ecchymomata, Tumores duros diſſipat; valet ad Tineas: Lympham intra corporis habitum aggeſtam et coagulatam, attenuat, commovet, et per Diaphoreſin amandat. Applicetur ſuper totum abdominis ambitum in Hydropicis; vel toti Ventri in Tumoribus Tympaniticis ſuper alutam tenuem extenſum, renovandum intra dies x. vel xij. Abortum præcavet, ſi Dorſo et Umbilico adhibeatur, et continuo geſtetur, inquit Fuller in Pharmacop. Bateanam.

Aſt Boerhaave de poteſtatibus medicamentorum ait, quod Saponacea Gravidis nocent, Abortum et Menſes inferunt.

Emplaſtrum Stomachicum. p. 140.

Emplaſtrum hoc valde elegans applicetur Stomachi Scrobiculo; debilitatem hujus Viſceris, calorem et concoctionem adjuvat; nauſeam et vomitum reprimit; ventriculum cruditate, et flatibus liberat, ejuſque laxitati, im-

becillitati, et diſtentioni opitulatur. Siniſtrum Ventriculi orificium, circa undecimam Thoracis Vertebram, Diaphragmati adnectitur; et partes poſteriores reſpicit. Hinc ad Dorſum, majori ſucceſſu, in Stomachi debilitate applicantur Emplaſtra, inquit Highmoor; quod notat etiam Riverius de Appetitu canino et T. Bartholin. Anatom. p. 330. Febricitantium intermittentium carpis admoveatur. Doloribus Colicis, et flatulentiis, Pleuritidi Nothæ i. e. Muſculos externos affligenti, confert: Appetitum ciet, Arthritidi vagæ ſuccurrit; putredini reſiſtit, doloribus frigidis a pituita viſcida oriundis, Cœliacæ Lienteriæ, Alvi fluxui, adjumentum affert.

Labdanum hujus Emplaſtri ingrediens, in Dyſenteriis et Raucedine Balſamicum excellens eſt; Stomachum et Inteſtina, externe applicatum aſtringit, et corroborat, et bene cedit uſus ejus ad Vomitum aſſidúum. Emplaſtrum Archimandritæ Crabriere ad Hernias ingreditur.

Emplaſtrum Veſicatorium. p. 141.

Olim vocabatur Emplaſtrum Epiſpaſticum: Capiti raſo applicatur ad Morbos Epilepticos, Maniacos, Cephalæam inveteratam et periodicam, defluxiones in Oculos, &c. Vulgo uſum præbet ſtimuli in Caſibus languidis, febribus lentis tardiſque, morbis Lethargicis, torpidis, frigidis, phlegmaticis, mucoſis corpulentis habitibus;

bitibus; et in hiſce conditionibus generaliter ſanguinem attenuat, circulationem accelerat, et pulſum adauget.

Hoffman refert quod Emplaſtrum Veſicatorium pedibus applicatum in Oculorum defluxionibus, ſolamen tulit, operatione ejus finita; verum Nuchæ, more ſolito, adhibitum dolores adauxit.

In pituitoſis, ſenioribus, ac frigidioris temperamenti hominibus, Emplaſtra Epiſpaſtica circa primum Febris inſultum (affectuum Capitis præſervationis Cauſa) applicari poſſint; atque in quibuſvis Torpore, Vertigine, aut Cephalalgia immani laborantibus, (propter eorundem affectuum curationem) adhiberi ſolent. In conſtitutionibus vero impenſe calidis, ubi cum Seri defectu, ſanguis aduritur nimium: atque in Febribus æſtu ſicco intolerabili, Vigiliis et Phreneſi affligentibus, Epiſpaſtica minus ex uſu eſſe videntur. Fuller. Pharm. Extemp. p. 75.

Emplaſtrum Veſicatorium applicetur ad ſubſultus Tendinum, ad Uvulæ inflammationem et relaxationem, ad Tempora, potiuſve pone vel ſub Aures ad odontalgiam vel dolores Dentium: in Paralyſi, Stupore, Arthritide et Rheumatiſmo ad diſſolvendum lentorem, viſciditatem et Fluidorum gluten: Confert Iſchiadicis; Soporoſis, et Lethargicis excitandis apprime Utile, &c. Cantharides non ſolum agunt in membranas Veſicæ ſed etiam Stomachi, quas Æger frequenter evomit antequam

tequam ullus urinæ ardor percipiatur, qui poſtea intolerabilis eſt : Quando applicantur, ſanguinem attenuant et dividunt, Veſiculas excitant, ſub Epidermide Sero plenas, quibus ruptis Suppuratio Emplaſtro attrahente ſuſtentatur. Adhibentur proſpero ſucceſſu in omnibus obſtructionibus quæ a ſero craſſo viſcido procedunt. Muſcarum Hiſpanicarum particulæ, ſuppreſſionem et ardorem Urinæ frequenter pariunt, ſanguini et urinæ ſeſe immiſcendo. Cum Veſicatoria itaque applicentur in Apoplexiis, Deliriis vel Lethargis, diligenter obſervandum, utrum Æger urinam reddat, necne; quoniam interdum non adeo compos Mentis eſt, ut verbis dolorem ejus enarrare queat ; ſi non mingat, affatim bibere debet Ptiſanas, vel Emulſiones ; vel Lac, Oleumve Amygdalarum dulcium injici oportet in Veſicam per Urethram. Geoffroy.

Cantharides nuperrime ſumma cum cautela interne exhibitæ, pollere frequenter dicuntur in Lepra, Ictero, Sabulo, Hydrope, Gonorrhæa virulenta, Fluore Muliebri ſimplici et virulento, ſuppreſſionibus Urinæ obſtinatis, Ulceribus Uteri et Veſicæ : In quo ultimo caſu, Cantharides dari conveniet hora una, vel bihorio ante Camphoræ exhibitionem.

Cantharides Cauſticam habent qualitatem, Veſicatoriæ ſunt, diureſin et Menſtrua ſat potenter promovent, &c. in ſubſtantia autem cum acidis admixtis mitigantur : Sal acre

corroſivum

corroſivum latitat in hiſce cum Oleo penetranti. Le Mort. Pharmacia Medico phyſica. p. 42. Baſis ſunt Emplaſtri veſicatorii, Epithematis Veſicatorii, Tincturæ Cantharidum, et Unguenti ad veſicatoria.

Si interne ſæpius quam par eſt exhibeantur, ardorem Urinæ et Stranguriam inducent, cum Siti et ardore febrili; at earum acrimonia corrigi queat Camphora ad gr. v. vel vij. ſoluta in parva quantitate Olei Amygdalarum dulcium vel Olei Olivarum in Boli forma: vel Camphora ſpiculas harum obtundet in Emplaſtrum veſicatorium inſperſa: vel Emulſio fiat cum Aqua hordeata, Gummi Arabico, vel Vitello Ovi: vel Julepi e Camphora hauriatur cochlear. i. vel ij. pro vice; vel Emulſio communis libere ebibatur. Quando ludicre, jocoſe, vel temere conceduntur eo modo ut Vita periclitetur, repetatur Bolus cum Camphora ad ℈i. intervallo hor. vi. et effecta earum pernicioſa præveniet. Groenvelt ex obſervatu frequenti, in ſedulitatem et ſolertiam nixo et fundato, primitus Cantharidum Doſin amplam eventu optimo in hiſce Morbis prædictis exhibuit, in forma Bolorum, interponendo Hauſtus frequentes Emulſionis, Lactis, Liquorum emollientium unctuoſorum, mucilaginoſorum, ſimiliumve; Quæ in larga quantitate ſunt optima Correctoria: hoc modo irritationes immodicæ, quas aliter producerent, magnopere præcavebantur.

Nitrum

Nitrum etiam ſingulis hiſce Symtomatibus excruciantibus efficacius conduceret cum liquoribus modo memoratis. Nullum autem Correctorium earum uſum reddere tutum poteſt in Habitibus bilioſis, ad Inflammationem tendentibus, ubi Mucus inteſtinorum abraditur, et Viſcera ſunt inſana. Lewis Pharm. Lond. p. 105. et alii. Vide Unguentum ad Veſicatoria, et Emplaſtrum attrahens. Cerata commodius applicentur quam Emplaſtra Veſicatoria utpote meliora, minuſque adhæſiva; ut Ceratum album pro uſu generali, et Ceratum Citrinum pro uſu particulari, vel ſolum, vel Emplaſtro veſicatorio, Unguentove ad Veſicatoria commiſtum, et pulvere Cantharidum ſubtili conſperſum.

Cantharidum Doſis in Subſtantia Juveni 30 Ann. gr. ſs. in Boli forma, vel in Pilulæ forma, Balſamo Locatelli, glutinoſa quovis, et auro obvolvenda.

Si cuivis Epithemata magis irrideant quam hocce Emplaſtrum, Plantis pedum applicetur ſequens, ad fortiter ſtimulandum, dolorem excitandum, et Capiti ſuccurrendum.

℞. Rad. Raphan. Ruſtican. raſæ. Semin. Sinap. pulv. ana ℥ij. Flor. antiquor cerevis. ℥i. vel q. s. ad cætera madenda, et Aceti acerrimi Vini q. s. ad contundenda omnia in Cataplaſma, quod propoſitum citius potentiuſque expediet, atque cum multo proſperiori effectu, quam ulla applicatio in quam

Cantharides

Cantharides ingrediuntur. Dr. James Pharm. Lond. p. 757.

Emulſio Communis. p. 97.

Hujus uſus eſt egregius, et multiplex. 1°. Scil. ad Ventriculi æſtum, eroſiones, ſitim. 2°. ad Renum et Veſicæ fervores, et cruciatus; Urinæ ardorem; Gonorrhœam. 3°. ad ſanguinis ebullitionem, et acrimoniam in Febribus inflammatoriis, pleuritide, Rheumatiſmo, Vigiliis et Deliriis. 4°. ad Serum deficiens reſtituendum in Febribus ardentibus, et Hecticis. Summatim ad leniendum, refrigerandum, humectandum. Propinetur Hauſtus ſæpe ad libitum bis, ter, quaterve, in die; vel ad ℥iv. vel vi. pro re nata: ſumi queat pint. ſs. vel Ultra pro Doſ. i. in quolibet ardore Urinæ, vel ab acrimonia ſanguinis, vel ab Epiſpaſticis, vel ab Arenulis excitato; Euporiſton merito habeatur.

Conſtat ex lenibus, mollibus, mucoſis particulis; ideoque humorum acredinem obtundit, Serum nimis tenue incraſſat; Sanguinis fervorem refrigerat, Habitum Corporis juſto aridiorem humectat; Alvum lenit; Urinæ ardorem refrigerat; Diureſin movet, et Calculoſis egregie prodeſt.

Gummi Arabicum ſolubile eſt in Aqua, non item in Sp. V. Emolliens, leniens, et diureticum eſt; morbis Thoracis convenit;

Mucilagi-

Mucilaginoſis ejus partibus acrimoniam Seri in Bronchiis obtundit, qua ratione ſuccurrit morbis Renum, Uteri, Veſicæ, Dyſenteriæ, ardori Urinæ, &c. Geoffroy.

Amygdalæ hujus Emulſionis eventu proſpero præſcribuntur emaciatis, hecticis, pleuriticis.

Epithema Veſicatorium. p. 152.

Olim Paſta Epiſpaſtica. Titulus indicat uſum hujus. Hoc Compoſitum mollioris eſt conſiſtentiæ quam Emplaſtrum Epiſpaſticum, Veſicatoriumve, qua ratione in nonnullis caſibus præfertur Emplaſtris.

Epithema Volatile. p. 152.

Fortiter ſtimulat et reſolvit, valet ad dolores Rheumaticos, intime penetrat, partes calefacit, fibrillas invigorat, Spiritus exagitat; Ductus carneos, Nervoſque reſerat, colluviem impactum diſcutit, et evaporare facit.

Si Emplaſtrum volatile volueris, probe miſtis adde ſenſim Gummi Tacamahac. ℥ſs. ad conſiſtentiam Emplaſtri propriam conciliandum; in forma autem Epithematis citius faciliuſque amoveatur in caſibus ubi acrimonia ejus moram diutinam magis nocivam reddat ſupra partem affectam. Tacamahaca dolores lenit,

lenit, nervoſo generi conducit, ut et affectibus podagricis; uſus præcipue externus eſt.

Extractum Aloes, Gummi, et Reſinæ. p. 34.

Aloe tali tractandi modo nequaquam indiget. Gummi Aloes Socotorinæ videtur præcipua hujus pars pro uſu medicinali; habetur aliquanto magis purgans, et Stomacho magis gratum quam Aloe cruda. Si Aloe revera longam ſubeat coctionem, ad Extractum Gummoſum præparandum, Vis Cathartica ejus eximie minuetur, non a ſeparatione Reſinæ, verum ab alteratione ſucci ejus per nimium ardorem. Et Vegetabilia fortiſſima Cathartica ab hac tractandi methodo mitia evadent, ſine ipſarum partium notabili ſeparatione. Aloe Socotorina continet plus Materiei Gummoſæ quam Hepatica; hinc plus purgat et cum majori irritatione; hinc ubi Stimulus exigatur, Aloe Socotorina magis idonea habetur quam Aloe Hepatica, in forma Pilularum, ut Catharticum ad Menſes promovendos, excitandos et educendos. Praxis Neoterica raro excedit gummi Aloes Socotorinæ gr. xv. vel ℈i. et maxima doſis ℈ij. Ad propoſita vulgaria gr. x. vel xij. ſufficient; et Gummi in hac quantitate ſumptum agit ut mite ſtimulans eccoproticum, obſtructiones valde obſtinatas amovet, ſi aliquandiu continuetur ejus uſus.

Gummi

Gummi Aloes Socotorinæ ingreditur Hieram Picram.

Nonnulli opinantur quod Aloes virtus purgativa in ejus Reſina integre reſidet; experientia autem demonſtravit, quod Reſina Aloes pura parvam vel nullam habet Virtutem purgatoriam; alii aſtringentem qualitatem ipſi aſcribunt. Reſina pura adhuc Spiritu Vini acquiſita minus incongrua eſt, etiamque nullatenus purgans. Reſinæ hujus ℈i. vel ultra cum Teſtaceis pulveribus mixtæ, et trituratione diviſæ exhibitus fuit, ſine ulliús adhuc effectus obſervatione.

Vulneraria et Balſamica Vis præcipue reſidet in Reſina ejus, hinc Aloe hepatica eſt magis reſinoſa et comperta maximi eſſe emolumenti in externis applicationibus. Vide Lewis Pharmac. Lond. p. 74. 253.

Extractum Campechenſis Ligni Tinctilis. p. 31.

Aſtringit mediocriter, hinc emolumenti fit ad Diarrhœas, et Dyſenterias, acrimoniam humorum obtundendo, Stomachum et Inteſtina roborando, Vaſorumque exilium orificia conſtringendo: Saporis eſt grati, et dulcis: Doſ. a ℈ſs. ad ʒſs. vel ℈ij. quinquies ſexieſve de die repetenda: Emetico Radicis Ipecacuanhæ, et Cathartico idoneo præmiſſis, tutius, efficaciuſque adhibeatur. Durante uſu hujus Medicamenti, ſedes frequenter rubro tinguntur

tinguntur colore, unde aſtantes perterrefacti ſunt, quaſi color hic ex ſanguine exoriatur: Medicus ergo ægrum præmonere debet ne inopinatus deprehendatur. Succeſſu optimo ſumatur in forma decocti modo ſequenti. ℞. Raſur. Ligni. Campechenſis Tinctilis ſubtiliſſime pulveriſat. ℥ij. coquendo in Lactis et Aquæ ana Pint. ij. ad pint. ij. de quo ſubinde ſumatur Cyathus.

Extractum Catharticum. p. 33.

Olim vocabatur Extractum Euſtrachii Rudi, ſupplet locum Pilularum Rudii et Pil. Aromaticarum; frequenter præſcribitur, fortius autem agiliuſque operatur. Hoc Extractum Catholicon Panchymagogum, vel Univerſale a Medicis habetur purgans. i. e. ad omnes humores noxios Catharſi auſcultantes educendos; et huic confiditur in caſibus, ubi vita patientis innititur effectis ex hocce producendis. Doſis Infanti 6 Ann. gr. vi. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. vel Doſis a gr. xv. vel ℈i. ad ʒſs. vel ℈ij. Caput purgat agilius, leniuſque operatur cum granis aliquot Salis volatilis Succini. admmiſcent ei, ut magis voti ſui compotes fiant, nonnulli, Mercurii dulcis ſexies ſublimati, modicam vel æqualem partem. Sub forma dehinc Pilularum, frequentiſſime uſui ſunt. Doſ. a gr. vij. vel ʒſs. Vid. Scammonium hujus Ingrediens ad

Schol. 133. Aloen. p. 137. Cardamomum. ſub Tinctura Cardam.

Extractum Enulæ campanæ Radicis. p. 31.

Extractum hoc cum Aqua paratum, amaritudinem pungentem non ingratam Radicis poſſidet, in minori autem gradu quam cum ſpiritu Vini confectum. Aperit, expectorat, modice detergit pulmonum infarctiones craſſas, mucoſas, viſcidas: Aſthmati humido aliiſque Tuſſibus, et Raucedini convenit: A qualitate ejus glutinoſa, tenaci, et adhæſiva prodeſt in Phthiſi et Atrophia, dat enim ſubſtantiam recentem et vigorem ſolidis, ac ulcerationes incarnat. Stomachicum Sudoriferum, et Alexipharmicum eſt. Gummoſæ et Reſinoſæ ejus partes in forma Extracti præſervantur. Sapor ejus aliquantum calefacit. Datur a ℈ſs. ad ʒſs. vel in laxo Stomachi ſtatu, et nonnullis Thoracis Morbis.

Extractum Gentianæ Radicis. p. 31.

Stomachicum, vermifugum, ſudoriferum antipyreticum, antapoplecticum, anticolicum, excalfactorium, et Adſtringens eſt: Laterum doloribus, ex ſublimi deturbatis et contuſis, cum Aqua potum ſubvenit: Alexipharmacum, et Febrifugum ad intermittentes, Ter-

tianas et Quartanas; Cortici autem Peruviano, multo inferius; perſpirationem ſenſibilem et inſenſibilem mire promovet; attenuat et aperit: a ſubtilitate attamen partium ejus magna, æſtuque, inflammat et nonnunquam ſymptomata auget, ſi incaute adhibeatur; ſiccat et abſtergit, vulnerarium eſt, et ulcerum cumulatim depaſcentium eſt medela. Doſis a ℈i. ad ij. iij. vel ℈iv.

Cum Radice ſolum, et Cortice exteriori Aurantiorum, cum quovis Menſtruo idoneo paratur Vinum amarum egregium. Radix ipſa in forma Turundæ adhibetur ad Ulçera fiſtuloſa dilatanda, emundandaque; et ſubtiliſſime pulveriſata ad Fontanellarum effluxum promovendum. Rad. hujus capitalis eſt. Infuſi amari ſimplicis, Infuſi amari purgantis, Tincturæ amaræ, Vini amari, et ingrediens Specierum e Scordio cum et ſine Opio, Mithridatii et Theriacæ Andromachi.

Gentianæ inventio prima aſſignatur Gentio vel Gentidi Illyriorum Regi a quo cognomentum habuit.

Diaſcorides per Ruellium, p. 213. 214.

Extractum Glycyrrhizæ. p. 31.

Balſamicum eſt, Pulmonicum Nephriticum, Alvum Infantium leniter emolliens, Bechicum et expectorans; mitigat acrimoniam particularum, quæ ulcerationem aſperæ

Arteriæ, et Raucedinem inducunt. Morbis etiam Nephriticis, ut Calculo, Sabulo, ardori et Urinæ retentioni, ulceribus Renum, Veſicæ eroſioni, Urinæ acrimoniæ, Dyſuriæ et Stranguriæ, ſuccurrit. In Catarrhis valet, et in Tuſſibus omnibus a defluxionibus, Aſthmate, Dyſpnœa, Tuberculis, et Eroſionibus Pulmonum. In paſſionibus Hypochondriacis, et in Ictero præſcribitur cum diureticis. Leniter digerit, detergit, deobſtruit, et ſitim fallit in Hydrope: Serum acre mitigat et obtundit, atque crudum Phlegma Veſiculas et Tubos pulmonum obſidens optime digerit, maturat, et expectorationi aptum reddit. Cathartica corrigit, Infuſum Senæ, et Rhabarbari. Optimum eſt nigrum, micans, et læve in Ore. Dari debet in parva quantitate, et ſæpe repeti, alias faſtidium pariet. Doſis a ℈i. ad ℈ij. vel ʒi.

Extractum hujus ingreditur Theriacam Andromachi; et Rad. Aquam Calcis minus compoſitam, Aq. Calcis magis comp., Decoctum Pectorale; Elect. Lenitiv., pulverem e Tragacantha compoſitum, Trochiſcos Bechicos albos, et Troch. Bechicos nigros.

Extractum Guaiaci Ligni molle, et durum. *p.* 32.

Molle inſervit Decoctis, et Electariis inde con-

conficiendis, &c. durum pro Pilulis formandis.

Lignum Guaiaci et Cortex, præſertim Extractum, Decoctum et Gummi ejus, peculiarius curant Luem veneream, Gonorrhœam virulentam, et Fluorem muliebrem virulentum. Hæc omnia calfaciunt, ſiccant, perſpirationem magis quam ſudorem promovent, putredini reſiſtunt, adeoque ſanguinem edulcorant, et mundificant: Uſus præcipui ſunt in Arthritide, Hydrope, Lepra, Defluxionibus Catarrhoſis, Rheumatiſmo, Paralyſi, aliiſque Morbis a Phlegmate, mucilagine, et flatibus oriundis; et multi æſtimantur a qualitate calida penetrante et exiccante; hinc humores in Artus, Viſcera, et alibi delatos inſenſibiliter diſſipant et abſumunt.

Extractum, et Decoctum parantur ad obtinendam Salinam æque ac Reſinoſam Guaiaci partem, cui Vires inſunt Ligni. Extracti doſis a gr. iv. ad ℈ij. Diaphoreticum eſt exiccans, aperiens; Rheumatiſmo, Iſchiadi, et Variolis ſuccurrit. Lemery. Chem.

Decoctum forte hujus Ligni, in Vaſa lactea, multo probabilius penetraret, quam Extractum ejus, et Sanguinem impregnaret virtutibus ejus; atque eo Lignum Guaiaci tenuiſſime Scalpro abraſum infundi debet in Aqua fontana vel pluviali calida per horas 24. dein coquatur per horas 6. antequam Reſinam ejus Aquæ impertit, unde aptum redditur ad curam Morbi Venerei, vel coqui debet uſque

dum Gruma Unctuoſa in ſuperficie liquoris conſpiciatur.

Subjectum huic operationi, quo arctius, denſius, et ponderoſius, quo plenius olei, et Reſinæ, eo coctioni minus aptum redditur: denſitas nempe impedit aquæ ingreſſum, Oleum et Reſina impediunt Reſolutionem in Aqua, unde Vires ejus ſumme obtineri nequeunt niſi infuſione prius facta in Aqua, dein coctione longiori comparentur.

℞. Ligni Guaiaci tenuiſſime raſi ℥iij. Uvar. paſſar. major. exacinat. ℥ij. Aq. Font. vel Pluvialis Cong. i. coque lento igne ad pint. iv. ſub finem decoctionis adde ligni Saſſafr. raſ. ℥i. Rad. Glycirrhiz. raſ. ℥ſs. dein liquorem colato, et factis ſubſidendo a fæcibus effundatur.

Decoctum hocce multi emolumenti eſt in omnibus prædictis Morbis aliquandiu continuandum: Scorbuto omnimodo ſubvenit morbis cutaneis, Lepræ et ſimilibus, ab obſtructione Glandularum excretoriarum torpida inerti Materie: Defluxionibus, viſcerum obſtructionibus Ulceribus ſanioſis, purulentis, putridis, Sanguinis et Succorum impuritatibus, Cachexiis, et nonnullis Morbis Pectoris, ſpeciatim frigidis phlegmaticis habitibus. Ab acida, oleoginea, ſaponacea ejus qualitate fit diluens, attenuans, ſudorificum, diureticum, penetrans, abſtergens, ſtimulans, et Sanguinis fluiditatem promovens; Sumatur per ſe ad pint. ¼ bis, ter, quaterve de die; vel

utile

utile ſit ut adjutorium in Curſu Mercurialium, et Antimonialium Alterativorum. Æger calidus interea ſervetur, quo operatio ejus promoveatur. Boerh. Chem. et Liber de poteſt. Medicamentorum, paſſim.

Gummi Guaiaci calidius quam Lignum, et in omnibus Vires ejus obtinet; valde efficax eſt Medicamentum et ſæpe exhibetur in Rheumatiſmis. Doſis ut Alterativum a gr. viij. ad ℈ij. ut purgativum a ℈iv. ad ʒij.

Reſina Guaiaci, a Ligno extrahitur, melius autem a Gummi ipſo paratur: Cortex minorem Reſinæ quantitatem quam Lignum exhibet: in Pharm. Lond. Colleg. non paratur Reſina.

Lignum Guaiacum ingreditur Aquam Calcis magis compoſitam, Extractum Guaiaci durum, et molle, Gummi Guaiaci, Balſamum Guaiacinum, Oleum Copiavæ compoſitum, Pilulas Aromaticas, Tincturam Guaiacinam volatilem.

Extractum Hellebori nigri Radicum. p. 31.

Hoc Extractum frequenter adhibetur ut alterativum in doſibus exiguis, pro humoribus viſcidis attenuandis, uterinis, et urinariis evacuationibus promovendis, et obſtructionibus inveteratis Glandularum magis remotarum aperiendis: Emmenagogum valde potens evadit in habitibus plethoricis, ubi Chalybs ſæpe

inefficax et inconveniens eſt, in quibus interdum commotiones Hyſtericas, et Speciem furoris uterini excitat, atque Sanguinem adeo attenuat, ut exitum ejus ſine impetu ſolicitat.

Extractum hujus Radicis cum Aqua confectum eſt mitiſſimum præparatum, et efficaciſſimum ad propoſita memorata; ſatis operatur, ſine illa irritatione, quæ Reſinam hujus concomitatur; ſat bene purgat minori violentia quam Radix ipſa cruda; et fortean eſt optima Hellebori præparatio, quando ſolum ut Catharticum agere deſignatur. Doſis a gr. viij. vel x. ad ℈i. vel ultra.

Secundum Barckhauſen Doſis eſt Infanti 6 Ann. gr. i. Adoleſcenti 16 Ann. gr. v. Juveni 30 Ann. gr. xij. Extractum hoc Catharticum multi emolumenti eſt in omnibus caſibus nervoſis, præſertim in Mania, Inſania Melancholica, Vertigine, Cephalalgia, Apoplexia, Epilepſia, Podagra, Rheumatiſmo, Sciatica, Aſthmate, Hydrope, Cancro, Scabie, Scorbuto, et morbis hujuſmodi obſtinatis. Secretiones omnes tenuiores multum promovet, peculiarius ſudorem, præſertim ſi cum volatilibus conjungatur.

Extractum Hellebori nigri, Caſſumunar, &c. ejuſdem generis convenienter præſcribuntur in Aqua Pulegii, Hyſtericis et Hypochondriacis affectibus.

In Succo Hellebori, in Græcia et Helleſponto, collecto, Enſes inditi, intincti, et venenati,

nenati, vulnera lethalia ſemper infligunt, ob ſpaſmos horridos, quos inducunt. Boerhaave de poteſtatibus Medicamentorum.

Extractum Jalapii Radicum. p. 33.

Extractum hoc paratur ad obtinendam Salinam, æque ac Reſinoſam Jalapii partem. Efficax eſt Catharticum cujus doſis a gr. x. ad gr. xxiv. abſque irritatione violenta illa operatur, quam Reſina Jalapii per ſe nimis frequenter parit, atque hinc inutile eſt purgans et tormina plus excitat, quam Jalapium in ſubſtantia, vel Extractum ſupradictum.

Radix ipſa ſimplex ſine ulla præparatione omnes cujuſmodicunque præparationes antecellit; atque hæc Methodus optima eſt illam aſſumendi; nempe in ſubſtantia in pulverem redacta. Multum celebratur apud vulgus, et in uſum ſæpe ducitur: quippe modici eſt pretii, neque ingrata; et magnis doſibus non adhibetur; omnes humores expurgat, imprimis ſeroſos ſpeciatim evacuat deorſum, nec aſpere operatur: convenit Plethoricis, frigidis habitibus, et ſero abundantibus, Hydropi, Anaſarcæ, et in hiſce conſtitutionibus efficax evadit catharticum, Diureticum et Hydragogum; raro nauſeam et tormina ciet, quæ nimis purgantia fortia frequenter concomitantur; in hoc Articulo, Infantes, quorum Vaſa ſunt laxa, Victus mollis et lubricans, ferunt hujuſmodi

modi Medicamenta melius quam adulti, et Infantibus concedi poſſit a gr. ij. vel iij. vel tot grana dari poſſunt quot ſint annorum: proportio autem hæc nimis exigua eſt quando ultra decennes evadant; nullo correctorio indiget, quod plus damni quam boni præſtat; Salia enim acrimoniam catharticam adaugent, et Olea Aromatica ipſam reddunt inflammatoriam. Nocet Morbis Hypochondriacis; calidis, bilioſis, et ſiccis temperamentis, Febribus acutis; in quibus nauſeam et tormina violenta excitat, licet Jalapium fuerit probum; raroque effecta debita producit, ut Catharticum. Barckhauſen dat Rad. Jalapii, Infanti 6 Ann. gr. vi. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs.

J. Le Mort. porrigit Rad. pulveriſat. a ℈i. ad ℈iv.

Noſtrates autem vulgo a gr. xij. ad gr. xx. et adultis ʒſs. interdum, ſufficit pulveriſata; Rariſſime fallit, etiam in conſtitutionibus robuſtis, in forma Boli vel Hauſtus. Optimum eſt Catharticum in Viſcerum et Abdominis obſtructionibus; et bonum habet effectum, uſus ejus in Boli forma ad gr. x. vel xij. vel xv. cum Mercurio dulci ſexies ſublimato. Rad. Jalap. gr. xxiv. conjungi poſſint cum Cort. Peruvian ℥i. in Electarium conficiendum cum Syr. apt. ℥iij. (cujus doſis ſit ʒi. in qua doſi radicis hujus ſunt circiter gr. iij. vel iv.) quod optime purgabit. Hinc videmus Corticem Peruvianum adjuvare et promovere actiones

actiones Radicis Jalapii. Hoc modo Febribus intermittentibus, cum mala corporis craſi conſociatis, proſpere adhibeatur: vel ſumatur modo ſequenti Radix Jalapii.

℞. Aq. Alexeter. ſimpl. ℥i. Jalap. pulv. ʒſs. Sp. Lavend. gutt. xxx. Syr. Roſ. ſolut. vel Syr. Balſamic ʒij. Miſce, et Repetatur tertio quoque die pro re nata ad Hydropem, vel fiat Potio hydropica purgans modo ſequenti.

℞. Rad. Jalap. pulv. ʒſs. Zinzib. gr. ij. Sal Tartari gr. xij. Vin. alb. ℥iij. Syr. Roſ. ſolut. ℥i. Syr. ſimp. ℥ſs. m.

Quoad purgationem, Hydropicis inſtituendam, Cl. Sydenhamus vult, primo ea ſolum Cathartica eſſe uſurpanda, quæ et fortiter et celeriter operantur; ſecundo ſingulis diebus eſſe exhibenda; niſi quod (ob nimiam debilitatem corporis, ſive propter Cathartici præcedentis operationem plus ſatis violentam) dies unus vel alter nonnunquam intercalari poſſit; Tertio, a purgatione (niſi urgente neceſſitate) non eſſe abſtinendum, aut ceſſandum, donec omnis aquarum Moles omnino exantlata fuerit.

Extractum Peruviani Corticis durum, et molle. p. 32.

Durum in pulverem teri poſſit, ubi Cortex ipſe deſit, vel in promptu non habetur pulveriſatus pro occaſione brevi. Molle Pilulis,

lulis, Bolis, Decoctis, Electariis, Infuſis, et Hauſtibus vel Potiunculis, inſervit.

Utrum horum, Stimulum Nervorum in Febribus intermittentibus deſtruit, vaſa nimis laxa et flaccida corroborat, Vim elaſticam fere abolitam reſtituit: Nocet autem Vaſis nimium compactis, rigidis, et extenſis. Specificum eſt ad Febres remittentes et intermittentes, immediate poſt Paroxyſmum, in Vino rubro ſolutum, et acuatum aliquot guttis Spiritus Sulphuris, quo plus Corticis ſuſtentetur.

Extracti duri gr. x. vel xij. æquivalent Corticis Peruviani in Subſtantia quaſi ℥ſs. et Doſis ſit Infanti 6 Ann. gr. iij. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xij. Juveni 30 Ann. ℥ſs. vel ultrà ad ℈ij. In Bolum vel Electarium parari non debet cum Syrupis pro more aſſueto, ſed cum Mucilaginibus, puta Cydoniorum ſem. vel Gummi Tragacanthæ, vel paululo Butyri non ſaliti, quando non metuatur Diarrhœa: cum prioribus circa Os et Fauces adhæret, unde ſapor ejus aliquandiu remanet; cum poſterioribus multo facilius deglutitur, et ſapor ejus vix ori communicatur. Aromatica non obvolvuunt guſtum Corticis per ſe; Extractum autem Radicis Glycyrrhizæ vel Radix ipſa, efficaciſſime ipſum celat. Extractum Ligni Campechenſis, junctim cum Cortice et Mucilaginis q. s. valde elegans et congruum format Compoſitum.

Cortex Peruvianus, olim vocabatur Quinquina, Kina Kina, et China Chinæ, a Comite

mite de Chinca vel de Chincon, qui Prorex erat Peruviæ; etiam pulvis Jeſuitæ, a Patre de Lugo Jeſuita A. D. 1649. qui tum procurator erat Generalis ejus ordinis, poſtea Cardinalis, et primus Romam advexit Corticem Peruvianum, Remedium profecto infallibile ad Febres omnes intermittentes. Paroxyſmo finito, Doſis pulveris hujus a ℈i. ad ℈ij. vel ʒi. in Cyatho Vini vel Aquæ, tertia quaque hora repetenda uſque ad reditum fere Paroxyſmi alterius; vel Corticis ℥i. decoquatur in Aquæ pint. ij. ad pint. i. copioſe ebibatur intervallo Paroxyſmorum duorum, ait Geoffroy; ambæ autem hæ Doſes nimis ſunt amplæ.

Praxis Neoterica, ante hujus Medicamenti exhibitionem, plerumque, Emeticum ante Paroxyſmi acceſſum, in Caſibus nonnullis, Catharticum; atque in Plethoricis habitibus (Venæſectionem per Se) præmittit; hæc non ſolum reddunt Corticem tutiorem, quinetiam certiorem et celeriorem in operatione ejus: ubi evacuationes omittantur hæ, vel non copioſe inſtituantur, Morbus, ſi jam inveteravit, Cortici vix cedet; vel ſi liquido conſtat eum nunc jam eſſe ſubjugatum, etiamnum non convaleſcit, cito autem relabitur.

Uſus Corticis inchoatur ſub finem Paroxyſmi, et repetatur ad ʒſs. (plus minuſve, ſecundum circumſtantias ægri) quavis trihorio vel quadrihoria durante intermiſſione: ubi autem Febris ſit bilioſi generis, et cum magno calore

calore aſſociata, parum Nitri additur: in omnibus conditionibus, exercitatio mediocris generatim effectum ejus promovet: in exordio plerunque alvum laxat; et interdum operatur quaſi Catharticum aſſumptum fuerit; hoc modo ſuppleat omiſſionem evacuantium ante ejus exhibitionem: ſi vis purgans diu perſiſtat, Medicamentum hoc ad propoſita deſignata non quadrat: In tali conditione Extracti Thebaici gr. i. vel ejus loco Tinct. Thebaic gutt. xv. vel xx. veſpertinis et matutinis doſibus addantur, quæ fluxum efficaciter ſupprimunt: Si adhinc Patiens ſit nimis adſtrictus, refugiat ad Clyſteres. Diarrhœa utcunque non nimis feſtinanter ſiſtenda: e contra, ubi Cortex ipſe hoc effectum non producat, neceſſum eſt, ut Dr. Mead nos docet, aliquantulum Rhabarbari huic adjungere, eo modo ac bis de die alvum ciere; hoc pacto morbo medetur efficacius, et rarius in Hydropem vel Chachexiam relabitur: poſt aſſumptionem Rhabarbari ʒi. vel ij. hoc abſiſti debet, et Cortex per ſe exhibeatur. Durante uſu Corticis, Pulſus (qui inter Paroxyſmos, generatim eſt debilis ac tardus) fit fortior et agilior, appetitus excitatur, et reſtituitur, Stomachus roboratur, digeſtio adjuvatur, flatus diſcutiuntur, æger evadit alacrior, et Perſpiratio augetur; hæc ſpectantur tanquam certa præſagia boni eventus. Poſt Febrim remiſſam et abolitam, Cortex aliquandiu adhibeatur, ad relapſum præveniendum, et appetitu reduente, doſis

doſis gradatim diminuatur, poſteaque repetatur frequenter, ut ſemel de die, biduove; dein ab evacuationibus, niſi abſolute ſint neceſſariæ, prorſus abſtinendum. Morbo nihilominus raro penitus medetur antequam evacuatio modica aliqua contingat, per ſedem, perſpirationem, vel urinam; ultima eſt optima: quæ ſi ſpontanee non eveniant, Cathartica, Diaphoretica, vel Diuretica conceduntur conjunctim cum Cortice, alias Patiens debilis reſtat, et ſine appetitu, uſquedum Morbus revertatur, vel mutetur in Morbum alienigenum plane diverſum. Medicus apud ſe perſuaſum habeat, ægrum ſalvum eſſe, ſi urinæ plus ſolito reddat; cave autem ab ejus uſu quando Urina limpida ſit, et ſine ullo ſedimento.

Symptomaticis Intermittentibus, Hecticis, et purulentis Febribus diuturnis, Cachecticis, et ubi Hypochondria tumeant vel diſtendantur, hoc medicamentum plerunque obeſt. Aſtringentia ejus manifeſta prohibet ejus uſum in obſtructionibus Viſcerum Abdominalium, vel in ſuppreſſione cujuſvis evacuationis criticæ; quouſque obſtructio amoveatur, vel illa evacuatio debitum aſſequatur curſum. In acutis, inflammatoriis, vel malignis Febribus, Cortex non videtur effecta quævis bona producere. Nihilominus, in declinatione febrium chronicarum Nervearum, vel poſt remiſſionem, quando a malo habitu, ſenio, defatigatione, vel ſimilibus, æger extreme debilitatur,

litatur, et Pulſus ſit demiſſus, Cortex evadit medicamentum eximii emolumenti; ea lege ut nulla ſit extravaſatio, vaſa remaneant integra, et Pus nondum formatur.

Cortex etiam magni uſus eſt compertus in Gangrænis et Mortificationibus, ab interna vel externa cauſa provenientibus; huic propoſito detur ʒſs. in forma Boli omni quadrihorio indies, et pars affecta inungatur Oleo Terebinthinæ, vel Topico quovis idoneo fricetur. In omnibus hujus generis conditionibus, ubi profuit, anſam ſuppurationis Benignæ præbuit, quæ pejor fit ab uſu Corticis interrupto, et tempeſtive revertitur ad reſumptionem hujus.

Nonnulli hinc inducuntur Corticem exhibere in Varioloſis, ubi aut Puſtulæ non bene ſuppurabant, vel Petechiæ diſpoſitionem aut indolem gangrænæ præ ſe ferebant; et hic pariter Voto coincidit.

Morton ejus uſum in declinatione Morbillorum, et Variolarum, conſulit, i. e. ſi poſt eruptionem, Febris adhuc remaneat, et incipiat Typum continuæ remittentis obſervare et repræſentare.

Monro concedit Extracti Corticis, a gr. x. ad xl. ex quovis leni Syrupo lautiſſimo, vel Succo vel Confectione Alkermes, cum Aqua Aromatica diſtillata, omni hora quarta, quintave, ad Variolas confluentes cum Petechiis, et aſſerit illud replere vacuas veſiculas putrida Sanguinis materia, ſaniem aqueam mutare in craſſo-

craſſo-album Pus, Petechias vel Maculas gradatim in pallidum colorem, Variolarum nigreſcentiam ſolito citius inducere et tandem evaneſcentiam. Inſuper his, inquit ſeipſum hactenus conceſſiſſe Corticem in Variolis poſt eruptionem, et uſum ejus continuaſſe eouſque ad nigreſcentiam completam; putat autem ab effectis probatis febrim ſecundariam mitigari, quod ſi daretur Febri eruptiva durante, nullus dubitat, quin permagni uſus eſſet ad determinandum genus variolarum benignius. Corticem utcunque in nonnullis caſibus nocere ait, ubi Pulmones ſumme inferciantur Variolis, et ægros vidit propemodum ſuffocatos ab exigua ejus Doſi. Compendio agere, hunc non ulterius commendat quam ut eximium naturæ ajutorium, in quantum Antiqui vocant concoctionem et maturationem humoris morbidi, quorum effecta manifeſta ſunt a Febri moderanda et ſuppuratione leni blandaque inducenda. Vid. Tentam. Med. Edinburgi.

Tritum ſermone Proverbium eſt, Corticem nocere Pulmonibus infirmis et ad Phthiſin proclivibus; Experientia autem compertum eſt, inquit Geoffroy, quod eventu proſpero Cortex exhiberi queat, in Febribus remittentibus, et Febribus putridis intermittentibus, quæ ſuccedunt Peripneumoniæ vel Pleuritidi, vel comitantur Empyemata Ulcerave Pulmonum; ſi junctim ſumatur cum Pectoralibus, Balſamicis, et Abſtergentibus, Febris penitus extinguetur, Pus evacuabitur, et

 ul-

ulcera ſanabuntur. (Quidam decocto Corticis Peruviani addunt portiunculam Styracis vel florum Gummi Benzoini, quæ valde grata ſunt Stomachis et Pulmonibus Febre chronica debilitatis, unde Corticis major quantitas in Decocto ſuſpendatur) proſpero eventu adhibetur in Catarrhis aliiſque fluxibus, etiam cum Hæmoptoſi comitatis, prout in Statu Nuperi Deſignatoris (i. e. Marſhal) Talard, ſiqua Pectoralia, &c. ut ſupra, cum Cortice conjungantur, Cortex eximium Alterativum, conſequenter Morborum numeris infinitis utile, licet nulla adſit febris; adhibeatur, et non ſine optato eventu, ad Cephalalgiam periodicam, Hyſtericos et Hypochondriacos paroxyſmos, et alios morbos, qui habent regulares intermiſſiones. Ab Aſtringentia et Aromatica qualitate roborat totum Syſtema nervoſum, utile evadit Stomacho debili, et Diverſis Chronicis morbis, a fibrarum laxitate nimia prodeuntibus. In obſtinatis Uterinis fluxibus et Gonorrhœis vetuſtis, Cortex conjunctim cum Chalybeatis effecta egregia perficit.

Nonnulli dant Corticem in Febribus cum Rad. Ari ſiccat. Sale Ammoniaco, Cinnamomo, &c. Sal Ammoniacus crudus eſt omnium convenientiſſimus ad ʒſs. et Corticis ʒij. m. f. Pulvis pro dos. iij.

Cortex Peruvianus in querquera Quartana inter Febrifuga maximum ſibi vindicat locum, quem Scio in ſubſtantia Febri potius ob-

obvenire, quam ſi quoquomodo inverſus, atque extractus fuerit, præſertim cum Febris recrudeſcat, et Recidiva fiat, modo Salia tantummodo diureſin promoventia, debita in Doſi, ipſi adſociaveris. Barckhauſen ait quod Electarium febrifugum ſequens præſidium eſt optimum, et revera nunquam ipſum fefellit, nec ullum incommodum ejus ex uſu percepit, præterquam quod nauſeabundi Guſtus ſit, et permagna quantitate ſumendum. ℞. Cortic. Peruvian. ʒx. Calc. Antim. Oc. 69. Sal. Ammon. crud. ana ʒiij. m. f. Pulvis cui admiſce Rob. Junip. vel in ejus defectu Rob. Sambuc. ℥ij. Aq. Alexeter. ſimpl. vel Aq. cujuſvis, q. ſ. ut inde f. Electar. dividendum in Doſes N°. x. Febri intermittenti laboranti porrigitur, privatim vero Querquera Quartana vexato: ſcilicet homini robuſti temperamenti, Vomitorio prius exhibito, primo die, duæ, ſecundo et tertio die, tres; quarto autem die, duæ viciſſim doſes exhibeantur. Vid. Pulv. Antipyretic. ſub Cinnabar. Antim. p. 100. hujus: Electarium ad Febres ſub Extracto Rad. Jalap. p. 170. ultimum in Febri intermittente cum plethora, Cachexia uſui eſſe queat.

Sunt qui Tincturam, ſeu Infuſum æque efficax eſſe ac Corticem volunt: Experientia autem docet Infuſum nihil valere, niſi ſubtiliores partes pulveris adhuc in liquore maneant, Corticis ergo pulverem in ſubſtantia exhibitum efficaciſſimum eſſe cum pluribus

Medicis ſemper comperimus. Vid. Tinc. Cortic. ſimpl. et volat.

Extractum Rutæ Foliorum. p. 31.

Ruta Alexipharmica, Cephalica, Nervina, Epileptica, Hyſterica, et Emmenagoga eſt: Fœtum, Secundinas, et Lochia expellit; uſus eſt præcipui in Pleuritide curanda, Colica flatulenta diſcutienda, &c. Doſ. a ʒſs. ad ℈ij. vel ʒi. Vid. Conſ. Rutæ. p. hujus 117. et Ol. ejus.

Si hoc Extractum pararetur cum Sp. V. R. loco Aquæ, totas Rutæ virtutes in Epitome contineret.

Extractum Sabinæ Foliorum. p. 31.

Calfacit, attenuat, valde detergit, Hyſtericum eſt, et uſus præcipui in Menſibus fortiter ciendis, Fœtu ejiciendo, Abortu procurando, Urina pellenda; prodeſt omnium Viſcerum obſtructionibus, ubi conſtitutio efficaciam ejus ferre queat; Ulcera fœda emundat madorem emanantia. Multum valet adverſus Vermes, ut et Ol. ejus Eſſentiale Abdomini applicatum. Vid. Ol. Sabinæ. Extr. Doſis a ʒſs. ad ℈ij. vel ʒi.

Ex-

Extractum Thebaicum, vel Opium colatum, vel Opium Purificatum. p. 25.

Extracti Thebaici nomen nanciſcitur, quia Opium olim excultum fuit prope Thebarum Urbem in Ægypto, collectum e Succo Papaveris albi officinarum ; ſtillando ex vulnere hujus Herbæ inciſæ, poſtea inſpiſſato.

Effecta Opii ſemper Narcotica ſunt, interne aſſumpti, vel externe applicati ; in forma Clyſteris magis efficax eſt in ſomno procurando, quam per Os exhibitum. Inſtillatum Oculis et Auribus, cæcitatem et ſurditatem induxit. Galenus refert Emplaſtri forma Capiti Gladiatoris cujuſdam applicatum, brevi illum occidiſſe. Opium non reddit Pulſum celeriorem vel duriorem quam antea fuit, ſed majorem ſolum. Si quis nimiam Opii quantitatem aſſumpſerit. 1°. Vaſa evacuanda Venæſectione copioſa, modo vires ægri ferre queant. 2do. Liquores acidi bibendi, quales ſunt Acetum, Limoniatum, i.e. Lemonade, Syrupi Berberis, Mororum, Rubi Idæi, vel Spiritus acidi Minerales. 3°. Olfactare Acetum conveniens erit, atque ſi ſtupor fuerit permagnus, Scarificationes fieri debent, et Sal Acetumque in partes ſcarificatas inſpergi. Huic Scopo Epiſpaſtica et Enemata acria ſatisfaciunt. Geoffroy.

Extractum Thebaicum eſt circiter $\frac{1}{4}$ fortius quam Opium ipſum crudum. Doſis Opii Adultis vulgo inaſſuetis eſt gr. $\frac{1}{2}$; generatim ſufficit et ſæpe nimis eſt; in Deliriis aliquando prodeſt, et interdum obeſt; Maniacis et uſui ejus aſſuetis gr. iij. iv. v. vel ultra uſquequo effectum deſideratum produxerit; tutius autem eſt in doſi exigua, quam in doſi nimia. Periculoſum eſt Medicamentum poſt vehementis Emetici operationem; etiamque pridie, vel poſtridie Venæſectionem liberalem, vel Hæmorrhagias profuſas. Veruntamen Viri nonnulli docti et approbati concedunt Opium poſt Vomitorii aſperi uſum; atque in ſuperpurgatione a Cathartico Opium præſertim exhibet Boerhaave, Fred. Dekkers, Sylvius de le Boe, et Sydenhamus. Opium in Theoria tanquam ſanguinem rarefaciendi facultate indutum nequaquam admitti debet, ut Geoffroy vult, quoniam in Praxin medicam errores damnoſos induceret. E. gr. ſi rarefactio Sanguinis cauſa fuerit Symptomatum dirorum ab abuſu Opii oriundorum, in hac conditione Remedium indicatum Venæſectio liberalis eſſet, quam Authores nonnulli affirmant eſſe lethiferam, etiam poſtero die quam Narcoticum aſſumpſerit: Quinetiam ſi Opium ſanguinem rarefaceret, quomodo uſui eſſe poterit in Hæmorrhagiis, Variolis, &c. Opium magni uſus eſt proculdubio in dolore violento, ſomni inopia, evacuationibus ſuperfluis, Cholera, Dyſenteria, ſuperpurgationibus a Catharticis

tharticis violentis, vel Vomitoriis, aliiſque pharmacis, in magnis defluxionibus, Tuſſibus obſtinatis, Febribus nervoſis, Morbis nervorum, &c. Quantum valet in Febribus diverſimodis, Sabulo, Calculo, Arthritide, Phthiſi, &c.? ad ſummam, Opium quamvis non ſit Panacea, attamen perpauci ſunt Morbi, in quibus non datur nonnunquam proſpero eventu: Prodeſt in Vomitu, in Paroxyſmis Hyſtericis, in Convulſionibus; Anodynum, Cardiacum, Diaphoreticum, Hypnoticum, &c. eſt. Dolorem allevat, Somnum procurat, perſpirationem et ſudorem promovet, omnes autem alias evacuationes cohibet, humores incraſſat, fibras relaxat. Hinc commendatur in doloribus intenſis, in morbis omnibus a tenſione, vel Nervorum irritatione, ortis, in Spirituum motibus irregularibus, vel fluidorum tenuitate et acrimonia. In nimia doſi Muſculos reddit paralyticos, &c. inducit ſtagnationes, Delirium, Lethargum, Apoplexiam, Mortem. Vide Tentam. Med. Edinburgi paſſim. Summatim, Opium eſt eximium Carminativum, Cardiacum, Diureticum, ſtimulum acrem Nervorum deſtruens, et Expectorans. Spaſmodicam actionem et diſtentionem amovet, Colicaſque ſpaſmodicas Hyſtericarum iis obnoxiarum, in quibus Oeſophagi Sphincter, utrumque Orificium Stomachi, Anuſque occluduntur et conſtringuntur, adeo ut denegetur introitus Fiſtulæ Clyſteris in Anum; in ultimo caſu Opium, Caſtoreum, vel Galbanum eſt Remedium in Aqua tepida ſumptum.

tum. Stomachus inflatur, diſtenditur, tumet; ſuffocationis metus, imo et nonnunquam ſuffocatio oritur.

Opium horum Symptomatum impetum, ut et liquidi nervoſi Stimulum, preſſuram vel fluxum ad partem affectam, diminuit; quod tunc temporis operatur eodem fere modo ac Venæſectio in Inflammationibus, diminuendo nempe impetum et motum acceleratum. Tuſſim mitigat, amovendo titillationem, qua ſublata, liquida in Trachea et Bronchiis ſecreta ibi diutius morantur, eaque libricando, acrimonia tollitur: Si quando enim Aſpera Arteria excoriatur, Tuſſis et Spaſmus vehemens ſuboriuntur, niſi ab opio demulcentur. Boerhaave de poteſt Medicamentorum.

Opiata veſpertina lenia proſunt in Variolis, et ubi nimio impetu furat morbus, ut Diacodium, Elixir Paregoricum, Pilulæ e Styrace, Tinctura Thebaica in Ulcere Pulmonum aperto.

Extractum Thebaicum præſcribitur in Diarrhœis obſtinatis, Dyſenteriis, anxietatibus, doloribus intenſis, Vigiliis refractoriis: Nauſeam, Vomitum, et faſtidium Gravidarum ſedat, tollitque Opium, generationem flatuum impedit, humores ſalſos et ſeroſos temperat. Optimum in Medicina eſt ſoporiferum, omnes dolores ab activitate nimia fluidorum ortos allevat; prodeſt odontalgiæ, denti dolenti applicatum, vel Arteriis Temporum in forma Emplaſtri, Hæmoptoſi,

Menſium

Menſium et Hæmorrhoidum fluxui, Colicæ. Lemery Chem.

Vires, quas ſingulis Opiatis aſtipulantur Medici, Paregoricæ, Sudoriferæ, Stypticæ, Anodynæ, Narcoticæ ſeu Hypnoticæ, &c. ſunt. Uſus præcipui in Somno conciliando, in affectibus Pectoris, et Pulmonum, ac imprimis in Tuſſi, Raucedine, Phthiſi, in Sudore Anglicano dicto, in Calculi paroxyſmo, in doloribus poſt partum, in Lochiis obſtructis, et Secundinis retentis ob Uteri ſtricturam, &c. Boerhaave de Poteſtatibus Medicamentorum paſſim.

Puerperis expertum eſt remedium, neque quis hic, niſi plane inexpertus, metuet Lochiorum obſtructionem ab ejus uſu ſubſecutaram; cum e contra, maxime occaſio frequens ſuppreſſionis eorum ab intenſo dolore repetenda ſit; inde enim turbatur Spirituum ordinatus motus; ſtringuntur undique in corpore fibræ; et tenduntur ſimul uteri, ejuſque Membranoſæ Vaginæ fibrillæ: hinc excernendorum per hæc loca debitus ſupprimitur fluxus. Unde memorato in Caſu (non tantum ratione, ſed et experientia annuentibus) Opiata, præ cæteris, fauſto cum ſucceſſu exhibentur: ab eorum ſiquidem uſu, ceſſante dolore, relaxata fibrarum conſtrictione, et in ordinem reſtituto ſpirituum motu, tantum aberit, ut ſuppreſſus inde ſit purgamentorum effluxus, ut e contra auſpicato magis, placidius et copioſius redeat. Opiata cum Sudoriferis

doriferis optime ſociantur, quia ſudoris evacuationem plurimum adaugent, atque laſſitudinem et moleſtiam ægris prohibent; dein Cardiaca volatilia opiatis bene adjiciuntur, quia Spiritus, ne Narcoticæ plagæ ſuccumbant, opportune ſuſtentant.

Extrinſecus applicatur Opium in dolore leniendo: Sapo niger cum eo admiſtus, et Unguento ſimplici, vel Sambucino, vel quovis alio Unguento ejuſdem naturæ et indolis, in Tumoribus Arthriticis valet, ab imperitis autem caute applicari oportet, hinc exudatur magna copia Materiei ſeroſæ.

Cum in Acutis, aliiſque gravioribus morbis, Vigiliæ (vel ex doloris vehementia, vel Humorum nimio æſtu, vel Spirituum irrequie) adeo invaleſcunt, et vires frangunt, ut opiata amplius ventriculo committi tuto nequeant, ne Natura omni auxilio deſtituatur, Authores ſuadent immiſcere Opiata Clyſteribus. Sic Sennertus de Phrenitide, in ſummo virium lapſu, ubi opiata non commode ſumuntur interius, Clyſteribus ea admiſcenda, monet. Et Riverius de Phrenitide pronunciat, quod Opium etiamnum in Clyſteribus uſurpatum, ſatis potenter, et tutius ſomnum conciliat, quam per Os exhibitum.

Aliqui vehementer prohibent Opium in Aures intrudi, ne ſic Organi tonum laxet, obauditionemque inducat; quod mihi, (non ſatis experto tamen) vix Veriſimile.

Opium

Opium injici tuto poſſit ad gr. viij. pro Enemate ſomnifero in liquidor. ℥viij. quo facilius in Corpore retineatur.

Opiata iis, qui Morbo Chronico, a Viſciditate humorum orto, laborant, ſi unquam, ſaltem rariſſime minimaque in doſi præſcribenda ſunt, quia quam facillime in tali corporis diſpoſitione ſpiritus Animales ſuccumbere ſolent, unde æger ſomno ſopitus diem obit ſupremum. Idem eſto judicium de morbis ſoporoſis. Nunquam debilibus, nec agonizantibus exhibenda. Vide Pharm. Extemp. Fulleri in diverſis locis.

Si opium magis aſtringens pro Viris mavis.

℞. Pulv. e Bolo cum Opio, vel Pulv. e Succino Comp.

Si opiatum magis aſtringens pro Fœminis deſideretur.

℞. Conf. Paulin., Elect. e Scord., Mithridat., Spec. e Scord. cum opio., Theriac. Andromach., ob Gummi fœtida in his Compoſitis.

Flores Benzoini. p. 53.

Præſenti in Praxi raro præſcribuntur ob ingratum Oleum aſcendens cum Floribus ſublimandis, quo inficiuntur, quemadmodum nunc præparantur. In reſpiratione difficili, Incubo, Orthopnœa, Coryza, præſidio ſunt, et Bronchia emundant in Tuſſi, et Aſthmate

humido;

humido; valde expectorant, magnopere attenuant phlegma, quod Pulmones opprimit, obſtructiones eorum viſcoſas aperiunt, et ulcera hujus Viſceris detergunt; in quavis forma conveniunt; odoriſque grati ſunt in quavis compoſitione, permixtique Odoriferis halitum jucundum emittunt, ſudores movent, et Catarrhos ſiſtunt. Doſis Benzoini a gr. iij. ad gr. xij. vel ℈i. vel detur Infanti 6 Ann. gr. i. Adoleſcenti 16 Ann. gr. vi. Juveni 30 Ann. ℈ſs. Aromaticum flavorem exhibent ob eorum ſubtilem attenuatam Reſinam, aliiſque Bechicis ut plurimum immiſceri ſolent: in Tuſſibus a frigore ſuſcepto ſunt Medicamentum mirabile balſamicum ad ℈i. vel ultra ad ℈ij. cum idoneo Syrupo, ut Violarum, Diacodii, vel ſimilium q. s. in Bolum formatum pro re nata repetendum. In ſuffitu, ſerum ſalſum, et Lympham tenuem acrem corrigunt, Glanduláſque corroborant, paulatim prunis inſperguntur atque Capite pallio aliove operculo amplo tecto, ut minus ejus fumi pereant, Ore, Naribuſque excipiantur.

Jacobi Le Mortii Chem. ait quod Benzoinum pulmonibus convenit, ſuffitibus inſervit, præcipue ubi cum Styrace permiſcetur, alias enim Tuſſim excitat. Pharmac. Medico Phyſico. p. 39.

Flores Benzoni ingrediuntur Balſamum Traumaticum et Elixir Paregoricum.

Flores

Flores Martiales. p. 55.

Vulgo vocantur Ens Veneris.

Flores Martiales ſunt dulciculi, Styptici, oleoſi Saporis; inſigniter aperiunt, et ſua ſtypticitate corroborant interne exhibiti; verum aliquando Emetici et faſtidioſi evadunt in Stomacho: ſi ad pauca grana ſumantur, primas vias potenter ſtimulant, omnibuſque morbis, a flacciditate fibrarum oriundis plurimum ſuccurrunt. Boerh. Chem.

Aurantiorum colori ſimiles ſunt, et exhibentur per ſe, vel aliis appropriatis commiſcentur. Optima eſt Præparatio Chalybis in multis caſibus, quoniam adeo volatiliſatur a Sale Ammoniaco, ut promptius Stomachum tranſeat, quantitate majori in Sanguinem penetret, et per Corpus vehatur.

Inſignes hiſce laudes aſcribit N. Boyle, quin et Helmont; uterque aſſerit eorum adminiculo quaſcunque Viſcerum obſtructiones fæliciter tolli, quas ob res commendant eorum uſum in Febribus quibuſvis intermittentibus, præſertim Quartana. Pro egregio deoppilativo in ſingulis Morbis Chronicis, privatim vero Vermibus Infantum necandis; in Querquera quartana, et Rachitide, ſpecifici habentur. Barchuſen Pyroſophia. p. 150. 176. 266.

266. 267. 268. potenter attenuant, incidunt, et aperiunt; ſudoriferi, diuretici ſunt. Doſ. a gr. iij ad gr. xx. atque dati in majori copia, nauſeam et vomitum excitant; frequenter præſcribuntur in forma Boli, non item convenienter in forma Pilularum, quas Tumefaciunt et friabiles reddunt, niſi parentur cum Gummi. Valent ubi Chalybeata proſint, in Ictero, Hydrope, Pleuritide, Aſthmate, Febribus obſtinatis, affectibus Uterinis, Hyſterica paſſione, Melancholica, Hypochondriaca, Atrophia Infantum, omnibus Nervorum Morbis, aliiſque morbis Chronicis.

Groſſos viſcidos humores deobſtruunt, per ſedem et Urinam amovent; uſus magni ſunt in Menſium ſuppreſſione, Cachexia, et Viſcerum obſtructionibus. Lemery Chem. p. 277.

Flores Martiales, Sal. Succini, &c. quæ ſalſa ſunt Salina, delicatulis præſcribi debent in forma ſicca, quoniam nauſeam pariunt in forma liquida, non item in Tinctura ſpirituoſa, quam V. ſub Tinctura Florum Martialium.

Flores Martiales pene nil differunt a reliquis Floribus, aut Marte, aut Lapide Hæmatite, Sublimatis. Barckhauſen Synopſ. Pharmac. p. 90.

Flores Sulphuris. p. 53.

Flores Sulphuris, Serum tenue, et acre, vel in Laryngem, vel in Pulmones depluens, Tuſſimque moleſta mtitillando acciens, corrigunt, edulcorant, temperant, incraſſant et expuitioni aptum reddunt. Sulphur enim Balſamum Pulmonum audit, quoniam Expectorationem promovet; hoc Organum emundando, detergendo, et roborando: dicatur morbis pectoris, ideoque Phthiſi, Aſthmati, &c. prodeſt. Partibus ejus balſamicis obtundit, irretitque ſalia acria, quibus fluida in hiſce morbis abundant, et in hunc modum reſolvit, et reſtaurat ipſorum Nativas, mites, molles, et oleoſas qualitates; hinc prompte ulcuſcula in Pulmonibus, cuteque curat; Nil æque Catarrhum ſiſtit, ac Sulphur, ac Sulphurata; at vero Gravidis medicamenta ex Sulphure parata non conveniunt (quoniam ſolent Abortum promovere) inquit Sennertus.

Flores Sulphuris Arthritidem vagam et fixam fugant; in Febribus Peſtilentialibus ſummi ſunt uſus, &c. Tumores duros diſcutiunt, Bubones maturant, et digerunt, ſecundum Geoffroy. Vulneribus tam externe quam interne adhibiti conducunt, et aliquantulum ſudores movent. Vulneribus, et exulcerationibus internis Pulmonum, Renum, aliarumque partium medentur; ſanguinis acrimoniam

niam temperant, ejuſque Statum præternaturalem redintegrant, qua de cauſa frequentiſſime uſurpantur in Febribus quibuſvis Malignis, in inflammatoriis, vel Peſte ipſa, morbillis, variolis: admodum tuto concedi poſſint iis, qui protinus ſentiunt ut a Venenato animalculo icti: Vermibus necandis conducunt, Venenis ab Arſenico reſiſtunt. Flores et omnes hujus mineralis præparationes valde efficaces ſunt in imminuenda ſalivatione, in reprimenda violentia, et virulentia Reguli, vel Croci Antimonii, et Medicamentorum antimonialium; Antipleuritici ſunt; adverſus peripneumoniam, et Emyema valent, expectorantque. Eorundem Doſis a gr. v. ad ʒſs. vel ℈ij. vel Doſ. Infanti 6 Ann. gr. viij. Adoleſcenti 16 Ann. ℈i. Juveni 30 Ann. ʒi. Alvum liberam reddunt; purgantque a ʒi. ad ʒij. idque eo fælicius, quo magis Alkali occurrant in Corpore humano, unde citius, intimiuſque diſſolvuntur.

In omnibus Seculis plurimum celebrati fuerunt in Morbis cutaneis, pruritu, Scabie, Pſora, &c. Exterius fælici adhibentur ſucceſſu in Scabie, ſi prius Modico Mercurii Vivi, et s. q. Unguenti ſimplicis admixti fuerint. Dantur ſub forma pulveris, vel admiſcentur Linctibus, Syrupis Balſamicis, Syrupo ex Althea, Lacti, Melli, Saccharo candiſato, Extracto vel Succo Glycyrrhizæ.

Florum Sulphuris ℥i. cum lacte vel ovo ſorbili m. et v. ſumi queat, et Corpus cum floribus

floribus Sulphuris, et Butyro inſulſo inungi poſſit ad Pruritum.

Doſis eadem ſummum levamen præbet Hæmorrhoidibus aliiſque Morbis.

Helmontius tanti fecit Sulphur Nativum, ut Medicamentum Antipeſtilentiale ex hoc paratum, cum Sale et Aceto præcepit; aitque ſummum fuiſſe Remedium Hippocratis in Peſtis curam.

Sulphur ingreditur Aquam Sulphuratam, Sp. et Ol. Sulphuris; Et Flores Sulphuris Balſamum Sulphuris ſimplex, Balſamum Sulphuris Barbadenſe, Trochiſcos e Sulphure Pharmacopœiæ Coll. Lond.

Forma eſt elegantiſſima exhibendi Unguentum e Sulphure.

Flores Sulphuris loti. p. 53.

Lotio hæc inſtituitur ad quandam aſperam aciditatem Florum auferendam, qua tormina ex eorum uſu interno præveniantur: Eaſdem habent Vires ac Flores Sulphuris, et parantur hi ad Trochiſcos e Sulphure.

Fotus Communis. p. 76.

Emollit, attenuat, aperit, et diſcutit humores, quos per tranſpirationem educit, materiem craſſam aliquando in ſanguinem reflu-

entem: Decoctum hoc Linteo aut Spongia madefactum, parti affectæ calidum applicetur, vel Membris diverſis, lintei, filtri, ſpongiæ, veſicæ bubulæ beneficio, ad varias intentiones; vel cum Panno laneo levidenſi calide fomententur Partes. Florum Chamæmeli extrinſecus uſus eſt in Paregoricis emollientibus, maturantibus, Cataplaſmatibus, Clyſteribus, &c. Schroder. Inter omnes Plantas, quotquot in Balneo contra calculum et dolores nephriticos recipiuntur, nihil floribus Chamæmeli efficacius. R. Cat. Angl. p. 85. Fotus hic ejuſdem fere virtutis eſt ac Ol. viride.

Gummi Aloe. p. 34.

Gummi Aloes. Vid ſub Extracto Aloes Schol. p. 159. bene purgat, et Menſtrua movet in forma Pilularum. Ingreditur Hieram Picram.

Gummi Ammoniacum colatum. p. 26.

Ita vocatum quod provenit ex Africa juxta Ammonis Oraculum a ferulacea arbore ſuccum ſtillante. Tumores duros emollit, calfacit, attrahit, humores groſſos incidit; craſſos, viſcidos, et tenaces potenter reſolvit; in Colicis obſtinatis chronicis ab iiſdem ortis effecta fælicia

fœlicia produxit, aliis incaſſum tentatis. Tubercula cruda Pulmonum, et duritias diſcutit eorum, detergit et defæcat a phlegmate viſcido, hinc multum laudatur in Aſthmate, ſuſpirio vel orthopnœa, Dyſpnœa, Epilepſia: Neuroticis, Hypochondriacis, et Hyſtericis morbis ſuccurrit, mediocriter alvum laxat, Viſcerum obſtructiones aperit, præſertim Uteri; partui ſublevat; bonum eſt Emmenagogum, idcirco cum Chalybis præparationibus immiſceri convenit, Floribus Martialibus, Sali volatili Salis Ammoniaci; Splenicum eſt; uſus præcipui in doloribus Arthriticis et Iſchiadicis, in putrilagine viſcoſa, craſſa et contumaci Pulmonum, Meſenterii, et hinc in obſtructionibus obſtinatis Lienis, Hepatis, Uteri, &c. Scirrhos in iis reſolvit, Tophos diſſipat, qui occuluerunt in Artubus; cum Melle vel Aceto ſæpenumero adhibetur: Topice utitur in Emplaſtris ut emolliens, attrahens, maturans, et ſuppurans. In forma liquida interne ſumptum valde faſtidioſum eſt. Doſis Gummatum Ferulaceorum Infanti 6 Ann. gr. vij. Adoleſcenti 16 Ann. ℈i. Juveni 30 Ann. ℈ij. vel datur ℈i. quavis nocte, ſæpiuſve in forma Boli, Electar. Emulſion. vel in Pilulis.

Gummi Ammoniacum ingreditur Empl. Ammoniac. cum Merc. Empl. e Mucilaginibus, Lac Ammoniacum.

Gummi Aſa fœtida colatum. p. 26.

Calfacit, incidit, &c. uſus internus præcipuus in ſuffocatione Uteri, Peripneumonia, ac Vulneribus, alias raro adhibetur; plurimum ſuccurrit Hyſtericis, Colicis flatulentis, interne et externe; Menſes et Lochia promovet, Secundinaſque expellit; Diaphoreticum eſt, et Malignos humores a Centro ad circumferentiam propellit; qua de cauſa malignis Febribus, Variolis, et Morbillis ſuccurrit; Utile eſt Nervorum morbis et Paralyſi; commendatur in Aſthmate cum Ovo ſorbili ſumptum: extrinſecus in tumido Liene, Uteri ſuffocatione, &c. prodeſt. Doſis in ſubſtantia a gr. xij. ad ℥ſs. nocte et mane.

Aſa fœtida ingreditur Pilulas Gummoſas, Pulverem e Myrrha compoſitum, Tinct. Fœtidam, Tinct. Fuliginis.

Gummi Galbanum colatum . p. 26.

Convenit viribus cum Gummi Ammoniaco, generatim autem habetur minus efficax in Aſthmate, itemque in Hyſtericis querelis; veruntamen apprime bonum eſt Antihyſtericum, Alvum laxat interne, etiamque externe Umbilico applicatum; Phlegma viſcidum ſolvit, Tuſſi inveteratæ prodeſt, flatus diſcutit,

tit, obſtructiones Uteri aperit, Menſes et Lochia promovet, Fœtum Secundinaſque expellit; Morbis Hyſtericis ab Uteri obſtructionibus oriundis, Vertigini, Epilepticis, Syncopticis ſuccurrit. Fumus ejus utilis eſt in ſuffocatione Uteri, et Paroxyſmis Epilepticis. Externe emollit, attrahit, maturat, ideo ingreditur varia Emplaſtra pro maturandis Bubonibus et Carbunculis, et reſolvendis Scirrhoſis Tumoribus. Umbilico applicatum Hyſtericas affectiones mitigat, ſpaſmodicas motiones Inteſtinorum ſedat et paralyſin convulſioneſque membrorum, inſtar Emplaſtri extenſum et parti affectæ applicatum. Doſis in ſubſtantia a ℈i. ad ℈ij. Ingreditur Cataplaſma maturans, Confec. Damocratis vel Mithrid. Confect. Paulinam, Elect. e Scord. cum Opio, Emp. com. cum Gummi, Pilulas Gummoſas: Spec. e Scord. cum Opio, et ſine Opio, Theriac. Andromachi.

Gummi Guaiacum. p. 32.

Balſamum Cortex, Extractum, Lignum, omnia, peculiarius autem Balſamum Guaiacinum, Lui Venereæ, Fluori Muliebri tam benigno et virulento, quam Gonorrhœæ benignæ, et virulentæ, necnon Fluori albo ipſarum, valde efficax eſt Medicamentum, et ſæpe præſcribitur adverſus Rheumatiſmos; Doſis

ejus ut Alterativum a gr. viij. ad ℈ij. ut purgativum ad ʒi. ʒiſs. vel ʒij.

Gummi Guaiacinum inſuper perſpirationem inſenſibilem multum promovet, ideoque magni æſtimatur in obſtructionibus Materiæ perſpirabilis in Glandulis miliaribus; valde calfacit, detergit, et prodeſt in Ulcerationibus tam internis quam externis; In Arthritide multi emolumenti ſæpenumero evadit, non ſolum detergendo, depurando, et diſſipando humores in Artus delatos et Glandulas mucilaginoſas; quinetiam Fibras calefaciendo, roborando, et excutiendo, particulæ morbidæ, valde cum vigore moventur. Gummi Guaiacum ingreditur Balſamum Guaiacinum, Oleum Copiavæ compoſitum, Pilulas Aromaticas, Tincturam Guaiacinam volatilem.

Gummi Myrrha. p. 119.

Calfacit, ſiccat, aperit, ſubaſtringit, attenuat, maturat, diſcutit. Sanguinem craſſum, viſcidum et tenacem ſolvit, Bilem grumoſam, et humores glutinoſos concretos. Interne uſus præcipui in Uteri et Viſcerum obſtructionibus, et in Fœtu expellendo; Menſes, Hæmorrhoides, Lochia promovet, et Secundinas abducit; Inteſtinorum, et Pulmonum mucilaginem, infarctioneſque amovet, et eorum Tubercula reſolvit: Multum præſtat in Aſthmate, vetere Tuſſi, Raucedine, Orthopnœa, La-

Laterum Pectoriſque doloribus, Pleuritide, Angina, Colica, et Tineis Ventris enecandis: utilis eſt in Ictero, Morbis frigidis, Scorbuticis, Cachecticis, Stomachum roborat et digeſtionem, flatuſque diſcutit; Paſſionibus hyſtericis ſuccurrit, ſudores elicit, unde ſummi uſus eſt in Peſte, et pleriſque morbis putridis, malignis et contagioſis, in Febribus peſtilentialibus, Morbillis, Variolis, et putredini reſiſtit. Balſamum eſt ſingulare pro ulceribus internis, externiſque, Putredinem ulceroſam totius corporis corrigens; unde prodeſt in Empyemate, ulceribus pulmonum, Hepatis, Renum, Uteri, Viſcerumque aliorum; Uſus eſt eximii in Alvi profluvio, Dyſenteria, Vulneribus, Gangrænis, et Oſſium carie. Nocet Hæmorrhagiæ cujuſvis generis proclivibus, et periculum affert geſtantibus in Utero, abortum enim inducat.

Impetigines ex Aceto purgat. Extrinſecus prodeſt in Gangræna, Tumoribus, Vulneribus, &c.

Myrrha ingreditur Elixir Myrrhæ compoſitum. Pilulas gummoſas, Pulverem e Myrrha compoſitum, Tincturam Myrrhæ, Theriacam Andromachi, Mithridatium ſive Confectionem Damocratis.

Gummi Opopanax. *p.* 119.

Flatus diſcutit; emollit, attenuat, aperit, incidit, craſſos, viſcidos, lentos, pituitoſos humores, purgatque e partibus remotis, Cerebro, Nervis, Senſoriis, Juncturis, Thorace, Utero, ſine moleſtia; unde Paralyſi, Epilepſiæ, Aſthmati humido, Tuſſibus inveteratis, Meſenterii et Viſcerum obſtructionibus, Morbis Hypochondriacis, atque Menſium ſuppreſſioni a torpore humorum mucoſorum et inopia debitæ Elaſticitatis Solidorum ſuccurrit. Externe calfacit, emollit, digerit, et diſcutit Tumores, reſolvit Nodos et Ganglia. Doſis Opopanacis per ſe ℈i. vel ʒſs. Doſ. ʒi. eſt mite purgans in multis conſtitutionibus.

Ingreditur Mithridatium ſive Confectionem Damocratis, Pilulas Gummoſas, Theriacam Andromachi.

Gummi Sagapenum colatum. *p.* 120.

Attenuat, aperit, purgat craſſos et lentos, imo et ſeroſos humores, ex Ventriculo et Inteſtinis, Utero, Renibus Cerebro, Nervis, Juncturis, Pectore, Pulmonibus. Hinc prodeſt in Hydrope, Tuſſi inveterata, Aſthmate a viſcido Phlegmate, Cephalalgia, Spaſmo, Epilepſia, Paralyſi, Tumore Artuum, in obſtructione

ſtructione et tumore Splenis: dolore Colico; Menſes ciet, et Fœtum enecat, Urinam movet Doſ. a ℈i. ad ʒi. raro autem datur per ſe.

Ingreditur Electarium e Baccis Lauri, Pilulas Gummoſas, Theriacam Andromachi.

Hiera Picra. p. 112.

Hujus gr. 71. et ¼ continent Aloes Socotorinæ ʒi. Canellæ albæ gr. 11 ¼. Et Semidrachma continet Aloes, ʒſs. grana, 5 ½.

Vermes enecat, Alvum laxat, Menſtrua purgat, cônvenit omnibus Morbis, ut Stomachicum; faciliuſque ſolvitur in Stomacho quam Aloe Socotorina ipſa, quoniam paratur cum Extracto Gummi Aloes Socotorinæ. Doſis Hieræ Picræ a ʒi. ad ʒiſs. Robuſtis; vel detur Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. In hac forma non præſcribitur ſimpliciter ut purgans, ſed ut ſtimulans: Raro ducitur in uſum ob magnam ejus nauſeam; adhibetur autem Aloe Socotorina, in ſubſtantia præſertim, ut Baſis Tincturæ Sacræ, ita vocatæ ob virtutes non vulgares ipſi attributas. Vid. Schol. p. 16.

Inſuſum Amarum purgans. p. 78.

Olim vocabatur Decoctum amarum ſolutivum.

Hoc

Hoc Infuſum mite eſt Stomachicum Catharticum, cujus doſis ab ℥iij. ad ℥iv. vel v. addi poſſit pro arbitrio quodvis Catharticum conveniens, quo fortius operationes ſuas perficiat.

Semina Cardamomi ſunt Mucilaginoſa in Menſtruo aquoſo et liquorem reddunt nubilum, non item in Menſtruo ſpirituoſo; verum Semina Cardamomi reddunt Folia Sennæ, et Radicem Gentianæ (ingredientia hujus Infuſi) magis grata.

Infuſum Amarum ſimplex. p. 78.

Olim vocabatur Decoctum amarum ſimplex.

Inſtituitur hoc pro Stomachico amaro, cui intentioni optime adaptatur: Flatus enim diſcutit, Ventriculum calefacit, et roborat, faſtidium victuum adimit, appetitum reſtaurat, digeſtionem adjuvat, Viſcerum obſtructiones aperit, et vermes necat. Infuſum hoc eſt valde elegans et utile amarum. Flavedines Corticum Aurantiorum externorum, et Corticum Limonum gratum ſaporem Gentianæ communicant, quæ additamenta ſola ſunt, quibus indiget Gentiana. Doſis ℥iv. mane jejuno; etiamque veſperi propinetur per ſe, vel cum Vino amaro.

R. Infuſ.

℞. Infuſ. amar. ſimpl. ℥xij. Vin. amar. ℥iv. doſ. cochlear. vi. vel viij. bis de die. Vel ℞. Infuſ. amar. ſimp. et Vin. amar. ana ℔ſs. Vid. Tinct. amar. et Vin. Chalyb.

Infuſum Senæ commune. p. 79.

Olim Decoctum Senæ vocabatur.

Sena (inquit Sylvius) blandum eſt Medicamentum; aut in Subſtantia, aut Infuſo exhibeatur; non autem ſi decoquatur; tunc enim tormina ſolet producere; præſertim iis, qui humoribus ſcatent Auſteris, aut Acidis. Hoc Infuſum tam Pueris, quam Adultis (mutata tantum pro ætatis ratione doſi) bene convenit; benigniſſime enim, et tamen efficaciſſime operatur. Sin vero ulteriori adhuc ſtimulo opus fuerit, grana aliquot Scammonii ſingulis doſibus poſſunt adjici. Adultis communiter ℥iv. vel v. exhibeantur. Atque hinc doſis junioribus proportionata facile ſupputari poteſt. Pharmacum eſt benigniſſimum, alvum leniter et ſine moleſtia ſubducens: Cremor, vel Cryſtalli enim Tartari optimum eſt Senæ correctorium. Fuller Pharm. Extemp. p. 144. et p. 253.

Additamentum Cryſtallorum Tartari huic Infuſo, ipſum reddit minus incongruum, minus aptum flatulentiis et torminibus concitandis, colorem adauget ejus, efficaciuſque operatur;

ratur; ſunt Fol. Senæ ℨiij. ad ℥iv. Aquæ, quæ pro doſi una inſervire queant adultis.

Infuſum Senæ, Alvi fæces quas evacuat, atredine inficit. Willis. Sena Alexandrina inter purgantia uſitatiſſima eſt, aduſtos et ſeroſos humores, et hinc flavam Bilem, pituitamque ex Capite, Hepate, Liene, ſat benigne educens. Quia calida et ſicca eſt, corrigitur Floribus Violarum, Boraginis, et fructu Prunorum, Succo Limonum, et Cryſtallis Tartari; et quia flatulenta, quo minus Ventriculo obeſſe poſſit, Cinnamomo, Galanga, Zingibere, Flavedine Corticum externorum Limonum, et Aurantiorum hiſpalenſium ſiccatorum, Seminibus Cardamomi, Coriandri, &c. Schroder, aliique.

Si corrigatur cum Sale alkalino Tartari, reddit ipſam guſtus magis faſtidioſi, et colorem dat viſui magis ingratum, viz. Sal. Tart. ℨſs. ad Doſ. i. vel Aq. Cinnam. ℨi. vel ij. vel Rad. Glycyrrh. Caute iis dari debet, qui Viſcera debilia habent, et habitus ſunt inflammatorii, quia tormina profert.

Totam Vim purgatricem Aquæ impertit. Nil autem Sp. Rectificatiſſimo. Boerhaave Chem.

Infuſum Senæ commune Uſum ſupplere poteſt Pulveris Senæ compoſiti.

Si Mulier Lactans Infuſum foliorum Senæ aſ-

aſſumpſerit, hujus Nutricis Lac intra bihorium Infantulum ubera ſugentem purgaret; unde patet hujuſmodi Medicamenta cum ſanguine et ſuccis facile commiſceri. Fol. Senæ ʒij. Infuſ. in Decoct. Guaiac. pint. ſs. tam agiliter agunt quam Senæ ʒiij. infuſ. in Aq. Font. pint. ſs. et cum majore ægri ſolamine; unde liquet Guaiacum bona producere effecta, quando cum purgativis jungatur.

Infuſum Senæ Limoniatum. p. 79.

Virtutes hujus petantur ex infuſo Senæ communi; Doſis et Vires eædem ſunt cum ſuperiori; Jucundum eſt et ſufficienter efficax purgatorium. Doſis Adultis ℥iv.

Julepum e Camphora. p. 96.

Olim Julepum Camphoratum. Hoc mirabile eſt in Paroxyſmis languoribuſque Epilepticis, et Convulſivis, in Febri maligna, putrida, Caſibus inflammatoriis flatulentiſque, inflammatione Uteri vel furore Uterino; et Hyſtericis peculiaribus robuſtæ conſtitutionis cum emolumento ſæpius adhibetur, necnon Stranguria, Dyſuria, et ardore urinæ præſertim ab Epiſpaſticis excitato laborantibus, cum

additione

additione Gummi Arabici, q. ſ. Doſis hujus Coch. ij. iij. vel v. vel propinetur ℥i. ij. vel iij. pro Doſi. Vid. p. 15.

Mixturæ hyſtericæ cum Camphora, licet rariſſime in Praxi occurrunt, veruntamen efficaciſſimæ ſunt; et frequenter eventu proſpero ſine ullo alio adjutorio uſurpantur. Julepum hoc etiam fiat cum Sp. Vin. Camph. ℥i. et Aq. Com. pint. i. Vel Camphora ſumatur in forma Boli, Emulſioniſve in Aq. Hordeat. cum Sem. Frigid. Amygd. dulc. Nucibus Piſtach. &c. vel in forma Hauſtus oleoſi, terendo Mortarium cum Ol. Amygd. dulc. vel Vitello Ovi, quo optime diſſolvitur, faciliuſque pulveriſatur; vel teratur Camphora cum Sapone, pro Nephriticis, Hydropiciſque in vehiculo Aquoſo.

Nonnulli aiunt quod Camph. gr. i. umbilico applicatum paroxyſmos hyſtericos curavit. Geoffroy.—Adhibetur in Gonorrhœa ſimplici, fluore muliebri benigno, et cum Nitroſis aſſocietur, in Mania, Febri acuta, Phreneſi, Deliriis, ad gr. iij. vel iv. in Emulſione nitroſa, binis vel tertiis horis; etiamque in Pleuritide, Peripneumonia. Urinam et Menſes promovet, Ulcera Renum, Uteri et Veſicæ ſanat, in Gonorrhœa nonnunquam datur a gr. i. ad vi. vel viij.

In vomitu ſanguinis, poſt venæſectionem Riverius præſcribit Camph. ℈ſs. exhibendum in Oxycrat. ℥iv. a qualitate Antiphlogiſtica ejus, mala effecta Medicamentorum magis irritantium

irritantium præveniuntur, ut Cantharidum, Catharticorum, acrium ſtimulantium, Diureticorum, &c. per admixtionem exiguæ proportionis Camphoræ, multo mitiora et tutiora in eorum operatione evadunt. Doſ. eſt a gr. ij. vel iij. ad gr. x. vel xij. aliquando ad ℈i. in Bolo, vel Ol. Amygd. dulc. ſolut. Lewis Pharm. p. 103, 104.

Camphora conceditur ad ʒſs. in Pharmac. Pauperum, hoc modo. ℞. Camph. ʒſs. Gum. Arab. ℈i. Tereb. e Chio gr. xv. Syr. e Mecon. q. ſ. f. Bol. magni uſus in Dyſuria vel ardore Urinæ, præſertim ab Epiſpaſticis.

Camphoræ ʒſs. in Bolo exhibita, mane et veſperi, Maniacos curat diverſos, ut Philoſophicæ Tranſactiones exhibent. Fredericus Hoff. ait, quod Camphora, licet ad ʒſs. detur in Sp. V. ſolut. et debite dilut. Pulſum non accelerat, ſeu calorem auget, potius autem frigoris ſenſum circa præcordia parit. Motum dat humoribus ſtagnantibus in remotiſſimis corporis partibus, vel eorum expulſionem per communia Emunctoria promovet. Camphora eſt Reſina perfectiſſima, ſimpliciſſima, et maxime volatilis; vel Oleum eſſentiale ſolidæ formæ et conſiſtentiæ Cardui benedicti, vel Arboris camphoriferæ in Aſia creſcentis. Boerhaave Chem.

Potentiſſimum eſt Diaphoreticum, ſomnum conciliat in deliriis, ubi opiata non ſolum deficiunt, ſed ſymptomata aggravant, ſi liquoribus diluentibus commiſceatur; quodvis

vis ad acre temperandum conducens in Arthritide laudatur: Anodynum enim eſt, paregoricum, dolorem mitigans, Nervinum, Paralyticum, Spaſmodicum, Cephalicum, ad Stillicidum, et Micturitionem cruentam (periculoſa illa in Variolis ſymptomata) Remedium eſt celebratu digniſſimum.

Eximie penetrat, diſcutit, reſolvit, ſtimulat, corroborat, reſiſtit putredini e Venenis, unde frequens ejus uſus eſt in Peſte, inter fortiſſima enim Alexeteria non immerito annumeratur, Suffocationi uterinæ ſubvenit. Uſus externus crebrior eſt in Epithematis, Ophthalmiis et Oculorum inflammationibus, tum etiam ambuſtis, impoſitis. Dale Pharmacolog. p. 431.

Camphora ingreditur Aquam vitriolicam camphoratam, hoc Julepum, Spiritum vinoſum camphoratum, Unguentum album camphoratum.

Julepum e Creta. p. 96.

Olim Julepum Cretaceum. In Cardialgia falſe dicta optime audit, proſpero ſucceſſu nimiam Stomachi ſuccorum aciditatem corrigit, lenit, mitigat; Tuſſibus ab acri phlegmate, et Hæmorrhagiis internis prodeſt, valet contra ventriculi dolorem, ardorem, Rugitum, Nauſeam, Vomitum, Diarrhœam, non aſtringendo verum abſorbendo. Dentur ℥iij. bis

bis terve de die, vel ad libitum vacuo ventriculo.

Creta dicitur Vermes occidere, effervefcentiam excitare cum acidis liquoribus, unde Terra alkalina, et abſorbens merito videtur: ad ſummam proprietas eſt omnibus Terris alkalinis, non ſolum acida abſorbendi, ſed Fluidorum acrimoniam temperandi, et præſertim Bilis violentam nimis motionem cohibendi, Salia et Sulphura hujus arcte retinendo, in fixis ipſius partibus. Exhibetur per ſe a gr. x. ad ʒi. et pulveriſata datur in Lacte, ne Lac aceſcat in Stomacho; ſiccat et abſorbet acida citius potentiuſve quam Oc. Canc. C. C. C. vel Corallium, et melius eſt Remedium quam hæc, in deſtruenda Stomachi aciditate; ſumpta autem in magna quantitate, ſine Catharticis idoneis intermiſtis ad illam per inteſtina eluendam et detrudendam, cum Virtutes ſuas exeruerit, experientia compertum eſt multorum malorum cauſam exſtitiſſe, vaſa lactea, atque Orificia Glandularum inteſtinalium illinendo, et obſtruendo, unde oriuntur Cachexiæ, indigeſtiones, morbique multiplices.

Creta ingreditur Tabellas Cardialgicas.

Julepum e Moſcho. p. 96.

Olim Julepum Moſchatum vocabatur. Hoc

 Tem-

temperatum quidem eſt, ſed nobile prorſus Cardiacum in Singultu Febre comitato, et in Paroxyſmo Hyſterico. Moſchus eſt ingrediens cui præcipue confidendum. Doſis Julepi ℥iij. vel Cochl. v. tertiis horis. Vid. Schol. p. 14.

Mulcimine pergrato ſpiritus in Ventriculum copioſius allectat, et languidos refocillat. In Febribus mali moris, quæ vaporibus deleteriis Stomachum ſuffundunt, Spirituſque labantes irritant, in confuſiones et ſpaſmos adigunt, et Singultum inde excitant, nondum hactenus præſtantius novi Remedium; aliquando enim divinitus ſuccurrit, et Singultum ſuperat. Ut ingenue tamen fateor, tam funeſtum hoc ſæpe notavi eſſe ſymptoma, ut neque hoc, neque aliud quodcunque, vel excogitare vel invenire mihi adhuc datum ſit, quod illi par ſit, ſed totis viribus licet certavi, ſatis tamen fruſtra obniſus ſum. Moſchus in Subſtantia ſingultui compeſcendo inſervit; hoc vero ſymptoma ſi ſuperveniat Febribus continuis et malignis, ab Opio cavendum. Sunt quædam Mulieres hyſtericæ, et hypochondriaci Mares, qui vix odorem Moſchi ferre poſſunt; propter raram enim Spirituum animalium texturam, nimis commoventur a talibus odoribus, adeoque in inordinatos motus abrepti, facile ſpaſmos Viſcerum internorum patiuntur. Conducit vomitum, Singultum, Lipothymiam, nonnunquam et Hyſtericam paſſionem patientibus. Moſchi, Zibethique

bethique odor, hypochondriacæ ſuffocationi obnoxias Mulieres, repentina Syncope exanimat; tantum vero abeſt, ut in ſubſtantia aſſumpta talia hoſtilia ſint iſtiuſmodi Fœminis, ut etiam paroxyſmos hyſtericos efficaciter ſiſtant, et refrænent, inquit Etmullerus. Hæc vero tunc præcipue convenire duxi, quoties Spiritus non ob copiam et turgeſcentiam efferato exploduntur; ſed ob penuriam vacillationum in confuſiones labuntur; Moſchus enim Sanguinem potenter exagitat, Spirituſque valde reficit circa ventriculum hoſpitantes, novo vigore inſpirat; exindeque undulatione facta, totam Syſtaſin collapſam erigit. Fuller variis in locis.

Julepum hoc, Species Aromaticæ, et Tinctura Aromatica in Mania ſunt uſui.

Moſchi Doſis olim vulgo Infanti 6 Ann. gr. ſs. Adoleſcenti 16 Ann. gr. ij. Juveni 30 Ann. gr. iv.

Ubi Moſchus, et Ambragriſea, ut odoramenta non noceant, quod frequenter accidit, hic comperti ſunt magni fuiſſe emolumenti in multis hyſtericis conditionibus interne ſumpti, et externe umbilico applicati.

Species eſt Vulpis ſilveſtris, quæ Moſchum producit in ſacculis ſub ventre ſitis, in quibus Moſchus formatur. Hoc Arabes utebantur ut Cordiali magno; impræſentiarum autem in omnibus ipſorum Compoſitis omittitur, quia Hyſtericis et Hypochondriacis utriuſque Sexus nocet, et quod multum calfacit; nequaquam

in Medicina exhibetur; cum Goſſipio in aures intruſus prodeſt illi ſurditatis Speciei, quæ a fluidis nimis viſcidis et craſſis oritur, inquit Geoffroy.

Calfacit, ſiccat, attenuat, diſcutit, Alexipharmacus eſt et Cephalicus. Uſus præcipui in omnibus Cordis affectibus, ut palpitatione Cordis, &c. Spiritus nimirum Vitales fovet, ſuſcitat, recreatque. Hinc in affectibus Capitis et Nervorum, a frigore et craſſis humoribus oriundis, tum et in dolore Colico prodeſt, &c. Externe detergit Oculorum albugines, et humidas defluxiones exiccat, ad Venerem concitat, &c. Schrod. Annis nuperis experientia compertum eſt egregium Remedium in Morbis nervorum, ſpeciatim in Convulſionibus, Epilepſia, memoria labefacta, anhelitu fœtido, Sterilitate, impotentia, Lumbricis, Arthritide, Melancholia, atque in Febribus malignis; proſpero eventu datur, in inſomnia, etiamqne in Mania in magna quantitate. Si in talibus conditionibus fefellit, Doſis exiguitati, vel malo generi debetur Moſchi, qui ex gr. i. concedatur ad gr. xxx. pro re nata repetenda. Ingreditur Remedium celebratum Tonquin, ad morſum Canis rabidi. Dr. James Ph. L. p. 521.

Dr. Wall Vigorniæ proſpera tentamina hujus fecit, aſſeritque gr. x. Diaphoreſin levem concitaſſe ſine calefaciendo, vel irrequiem dando, ſed e contra dolorem mitigando, ſpiritus

ritus ſuſcitando, dein poſt ſudoris eruptionem placidum ſomnum ducendo.

Hyſtericæ, utut hujus odori adverſentur, in forma Boli facile ſumerent, ſine ulla inconvenientia; et quando Convulſiones vehementes uſui hujus per Os obſtent; in Clyſteribus emolumenti ſit eximii; addit inſuper, ſingultus convulſivos, ſymptomatibus peſſimis ſtipatos, amotos fuiſſe a Doſi una, vel altera Moſchi gr. x. Odoramenta porro notat ſæpe nocuiſſe, ubi eorum Subſtantia intus ſumpta fæliciſſima produxit effecta: et duos ſubſultu Tendinum laboraſſe, anxietate extrema, et inſomnia, a morſu Canis rabidi, ſumendo duas doſes Moſchi ana gr. xvi. a querelis omnibus liberatos: notabili eventu frequenter adhibuit, et Doſin auxit uſque ad gr. xx. quovis quadrihorio in quo intervallo ſnmpſit Julep. e Moſcho Cochl. ij. vel iij. Vid. Pulv. Antilyſſ.

Jus Viperinum. p. 76.

Jus Pullinum vel Gallinaceum ſine Vipera huic æquivalet, eodem modo parandum: eximie reſtaurat et valde efficax eſt in temperamentis laxis, in parva quantitate frequenter aſſumptum pro una vice: ut et vitulinum in alvo aſtricta, atque Ovillum in alvo aſtrictiori: Et Jura Carnium fiant Avium avicularum a-

 lituum

lituum, juxta morbi naturam. Vid. ſub oculis Canc. Schol. p. 84.

Lac Ammoniaci, ſic vocatum, p. 97.

Emulſio Ammoniaci hæc valde attenuat, et detergit, ideoque convenit morbis a grumis et viſciditatibus oriundis, unde Vaſa opplentur, et Circulatio fluidi Nervini impeditur, qua ratione uſus præcipui eſt in menſibus promovendis, ſuffocatione hyſterica, doloribus arthritidis, in reſolvenda mucilagine viſcoſa, craſſa et contumaci Pectoris, Pulmonum et Artuum, quinetiam inveteratis affectibus a lenta, tenaci pituita acri ſalſaque, in Tuſſi laborioſa, Orthopnœa, Dyſpnœa, vel ſpirandi difficultate, Incubo, Empyemate, Peripneumonia, et Pleuritide jam declinante. In Aſthmate humido conſtitutionis frigidæ ſpecifice opem ferre perhibetur; in aliis bilioſi temperamenti, cavenda ſunt calida et ſuffitus. Ammoniacum diſſolvitur plerumque in Aceto vel Vino, aliiſque liquoribus, ad depurationem faciendam, et vocatur Lac Ammoniaci, formæ verum hæ liquidæ utræque ſunt valde faſtidioſæ. Detur ſæpe ad Cochl. i. vel ij. pro vice una, vel exhibeatur ab ℥i. vel ij. et pro re nata repetatur: in Pilularum forma conv nientiſſime ſumatur a ℈i. ad ℈ij. vel ʒi. Vid. Vires cæteras ſub Gummi Ammoniaco ad. p. 194. Schol.

Lapis

Lapis Bezoar. p. 22.

Pa-zahar, in Lingua Perſica ſignificat Alexipharmacum, vel Medicamentum deſtruens et expellens venenum: revera nullas poſſidet Virtutes, et Pulveres teſtacei ſaltem huic præſunt. Ingreditur pulverem Bezoardicum. p. 294.

Lapis Calaminaris. p. 22.

Magnopere abſorbet acida, atque taliter eximii uſus eſt in Chirurgia, leniter exiccat, adſtringit, Ulcera fœda detergit, carne replet, Cicatrice obducit; adhibetur ſolum externe, et creberrime Infantum excoriationibus inſpergitur: et in Collyriis ad Oculorum inflammationes, quas refrigerat, et Glandulas lachrymales roborat. Ingreditur Ceratum Epuloticum. Schol. p. 91.

Lapis Hæmatites. p. 22.

Martialis proſapiæ eſt, ac proſunt propemodum ſingula, quæ ex hoc, etiam ex ferro fieri remedia, quare et ut plurimum in fodinis, ubi Minera Martis eruitur una reperitur. Antiqui valde ingentem ei adſtipulavere, ac pene incredibilem vim Stypticam,

quam tamen non aliter explicare, ne concipere quidem poſſimus, niſi quod pariter ac alia terreſtria ſanguinem, ſi modo ei confunditur, ſive admiſcetur, incraſſat, quin et aliquem ſibi obviam factum acrem humorem imbibat, quum ſpicula ejus acuta in hujus poros abſconderunt ſe; quibus ablatis ſponte ſua ad redintegrationem ſuam quiſque accelerat humor. Barckhauſen. Pyroſoph. p. 226.

Refrigerat et adſtringit, in ſubſtantia generaliter conceditur, poſtquam in pulverem ſubtiliſſimum reducitur. Hæmorrhagias ſiſtit, et cruorem coagulat, rariſſimeque aliorſum adhibetur, licet præparata ejus a Sydenhamo multo præferuntur præparationibus ferri. convenit Ulceribus Oculorum, et Pulmonum, Oculis lachrymantibus, &c. Doſis hujus in ſubtiliſſimum pulverem redacti a ℈i. ad iv. in quovis vehiculo idoneo, ad Hæmorrhagias omnimodas, Hæmoptyſin, Ulcera Pulmonum, Uteri, Alvi; ut et Fluorem album, profluvia Uteri, et Alvi.

Lapis Medicamentoſus. p. 57.

Topicum hoc Stypticum calculatur pro Epithemate, Fomento, Injectione, et Lotione, ac magni penditur. Vulnera et Ulcera inveterata deſiccat, et ſanat Gonorrhœas, detergit defluxiones Oculorum, eorumque madores a variolis; Lichenes, Eryſipelata, ſcabiem, tineam

tineam curat, &c. in Urethram injicitur ad cohibendum fluxum Ulceris madentis; præmiſſis præmittendis: Dentes figit, Gingivas aſtringit et conſervat; aliquando in Collyriis adhibetur. Uti licet diſſolvendo Lap. Medicament. ℥i. in Aq. pluvial. ℔i. filtra, deinde tum lavando, tum linteola imbuendo in hac ſolutione, ac partibus affectis applicando quoties Opus fuerit. Hoc Remedium appellari poteſt, Stypteria medicamentoſa compoſita ad Gingivas ſcorbuto affectas, putridas, fungoſas, cruentas, minuſque dentibus adhærentes.

Linimentum album. p. 148.

Hoc differt a Cerato albo, et Unguento albo ſolum in ingredientium proportione, unde mollius redditur Linimentum album; valet ad inflammationes, eroſiones, etiam ad Hæmorrhoides internas, Rhagadia, Perniones, Fiſſuras Papillarum, et Mammarum tumores a Lacte concreto, Oedematoſos, et Scrophuloſos; nil huic æquale ad Foveas Variolarum delendas, dolorem leniendum, acrimoniam tollendam, &c. cum hoc Scabies facile decidet; uſus ejus incipiatur, quando Variolæ fuſcæ ſint, Pluma inungantur et madefiant. Vid. Ceratum album p. 90. et Unguent. alb.

Sperma Ceti hujus ingrediens, egregium emolliens et pectorale eſt, ſi propinetur Jure fervente, in quo Butyri inſtar liqueſcet, vel liquefiat ſupra ignem lentum. Doſis Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. et multo major quantitas concedatur tuto in torminibus Ventris Infantium mitigandis, et in torminibus adultorum ſedandis, in conſtitutionis læſuris, nocumentis, et poſt partum. Eximium eſt Balſamicum in multis Thoracis morbis, leniter detergit et ſanat. In renum ulceribus, et urina cruenta multum valet, fibras emolliendo, relaxando, ſabulum expellendo, et Meatus amplificando; in Catarrho ſuffocativo, Aſthmate, Tuſſibus a Rheumate acri, eroſione et ulceratione valde efficax eſt, etiam in Pleuritide, peripneumonia, inflammationibus et internis apoſtematibus. Ubi Mucus Viſcerum in Diarrhœis, Dyſenteriiſque, ab acrimonia et Cholera abradatur, bene ſanat. Doſis vulgaris eſt circiter ʒi. vel ʒij. Apte formetur in Electarium, Bolum, vel Eclegma cum Conſervis idoneis, Oleis, Syrupo pectorali, talibuſque; et in hujuſmodi formis, Si S. A. commiſceatur, blandum leveque fit, et a palato ægri non detegitur, Idonee etiam diſſolvatur in Hauſtibus, ope vitelli ovi, amygdal. dulc. et Aquæ convenientis, vel paratur in Emulſiones eadem Methodo.

Linimentum

Linimentum Saponaceum. p. 148.

Hoc vulgo appellatur Opodeldoc, Opodeldoch, vel Oppodeltoch Paracelſi; vocabulum fictitium Authoris, revera abſque ulla ſignificatione; præcipuum eſt Unguentum vocatum Antipleuriticum, i. e. Stich-plaiſter. Johnſoni Lexicon Chem. p. 156.

Externe membrorum Paralyſi, doloribus Rheumaticis et Arthriticis ſumme ſuccurrit, in initio et vigore paroxyſmi, penna aliquoties illitum, ſiſtit dolorem, et Membra a Tophis et contractura Podagrica præſervat nec parti affectæ materiem peccantem impingit. Tumores arthriticos, Succos ſtagnantes, a Nervorum diſtentione, diſcutit, reſolvit et roborat, vulnera et ulcera madentia ſanat, ut et Contuſiones, ſi coram igne luculento partes probe inungantur; ad Faciei, Cutiſque maculas, perniones, puſtulas, impetigines, ſerpigines, Scabiem et quaſcunque fœditates præſtans eſt.

Multum commendatur, nec ſine ratione, in Sanguine coagulato, ſuccis craſſis, ſtagnantibus, et dolores excitantibus, reſolvendis. Criſpationem fibrarum cruciantem retorquet, Spiritus ferocientes placat; Spicula Salium acidorum obtundit vero, ſalſedine ſua alkalina, materiei nimirum morbificæ e diametro opponit, deſtruit; Ichorem dolorificum diſſipat,

et

et per tranſpirationem educit; Cutim perſpirabilem reddit, ut eo facilius membris inhærens peccans humiditas exhalare poſſit, nec intus detineatur, detentaque tandem et exiccata Tophos podagricos efficiat.

Cum Linteis parti dolenti applicetur ad omnes antedictos Morbos, ad Iſchiadicos, Pleuriticos, Tumores inflammatorios, ad Anginam diſſipandam abſque periculo repercuſſionis ad Eryſipelata; Partibus papyro nigra inductis, adhibeatur locis affectis, et renovetur bis de die. Repellentia in affectu podagrico ſunt nonnunquam longe periculoſiſſima: in quantum materiem morbificum in Ventriculum vel Cerebrum adigere poſſint.

Articuli omnes (præ cæteris vero, pedum et manuum) veſperi eo inungantur, poſtea in introitu in lectum, Tibialia, et Chirothecæ laneæ inducantur.

Linimentum Tripharmacum. p. 148.

Hoc differt ab Unguento Tripharmaco ſolum in ſubſtantia molliori. Linimentum hoc Saturninum prodeſt in Mammarum Cancro, Roſa, &c. præmiſſis præmittendis; contra inflammationes obſtinatas, Eryſipelas, Phlegmonam, Ambuſta, Ulcera inveterata, et Calculum externe; quorſum illinatur regio Dorſi, et Lumborum, quando maximus calor, dolor,

lor, et commotio ſentiuntur. Vid. Emp. Comm. p. 147.

Si Linimenta ex Unguentis cum oleo expetantur, poſſunt tunc extempore permiſceri; ſin vero Emplaſtrum ut in hoc Linimento Tripharmaco, Cera ut in Linimento albo, et ſimile quid præſcriptum, debent tum inſimul ſupra prunas cum Oleo liquefieri. Vid. Ung. Tripharm.

Linimentum Volatile. p. 149.

Conficitur hoc Spiritu Salis Ammoniaci cum Sale Alkalino, et non cum Calce viva parato. Valet ad dolores Rheumaticos, Membrorum et Artuum dolores fixos; In Cephalalgia Fronti adhibeatur; Hoc ad eadem propoſita collimat ac Epithema volatile, a quo differt ſolum in conſiſtentia. Vid. Epithemat: volatilis Vires ad Schol. p. 158.

Lixivium Martis. p. 56.

Inter Chemicos vocatur Oleum Martis per deliquium, Eſſentia Martis, Liquor Martis, &c. Solutio eſt ſaturata hujus Metalli; facta a ſpiritu Salis communis contenti in ſale Ammoniaco. Externe, Vi adſtrictiva, interne vero, Vi aperitiva pollet: Intrinſecus uſurpatum ratione Salis deoppilativam, et ratione Terræ,

quam

quam ſecum duxerit, quamque in ſat magna copia exinde præcipitare quimus, obſtructivam exercet Vim. Florinſecus adhibitum, potentiſſimum vulnerum quorumvis Hæmorrhagias ſiſtit. Doſis a gutt. v. ad ℈i. Barchuſ. Pyroſoph. p. 268. In uſu eſt ſub nomine Liquoris ſtyptici, qui intrinſecus, juxta ac extrinſecus, poteſt exhiberi. Idem in Synop. Pharm. p. 171, 172. Valde efficax eſt in Hæmorrhagiis omnimodis externe applicatum, vel interne aſſumptum a gutt. v. ad gutt. xx. Sanat etiam Fluorem album, Diarrhœam cum vel ſine dejectionibus ſanguinolentis, ubi ægri corpus debite prius purgetur Geoffroy. Convenienter iis exhibeatur guttatim, in Morbis hujus Metalli uſum exigentibus; Saporis eſt eximie adſtringentis, et aliquantum dulciculi. Boerh. Chem. Dari queat in vehiculo convenienti quovis, ad eaſdem intentiones ac alia Chalybeata, ejuſdem eſt Naturæ ac Crocus Martis aperiens, in Chloroſi, et Menſium ſuppreſſione a gutt. v. ad xxx. vel xl.

Lixivium Saponarium. p. 42.

Acris eſt, erodentis, et cauſticæ naturæ; omnis caro viva, mora ejus brevi, in hoc abſumitur. Utile eſt ad Cutim emaculandam, ad Alphos, Lentigines, Ephelides, Ulcera manantia, Herpetes, Impetigines exiccandas, quin-

quinetiam ad Scabiem, aliaque ejus vitia extergenda; verum ejus uſus internus non temere ſed quam cautiſſime adhibeatur, ne ipſas partes violet et erodat. Nonnulli hoc adhibent ad Calculum in Veſica ſolvendum, cum paucis guttis incipiendo, et gradatim doſin augendo uſquedum ℥i. vel ℥iſs. de die ſumatur, in Vehiculo proprio quod Lac eſſe debet, inquit Dr. Hartly, ut Lixivii ℥ſs. Lact. pint. ſs. verum quemadmodum Lixivii vis in Calce reſidet, Aq. Calc. ſimp. convenienter in ejus Loco ſubſtituatur. Vid. Schol. p. 42.

Lixivium Tartari. p. 41.

Olim vocabatur Oleum Tartari per deliquium, et Liquor ſeu Liquamen Tartari; nil aliud eſt quam Sal Tartari reſolutus, poteſtque leni evaporatione quoties libet, redigi in Salem puriſſimum, et purius eſt Sale Tartari calcinati, in Aqua liquefacti; continet prope Salis Alkalini p. i. ac Aquei fluidi p. iij. Vires interne eædem ſunt ac Salis Tartari.

Doſis Infanti 6 Ann. gutt. vi. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. xvi. Juveni 30 Ann. ℈ij. in Vehiculo Aqueo ſumatur.

Lixivium Tartari et Sal Tartari potenter aperiunt, attenuant, incidunt reſolvunt; Acida omnia fermenta, præcipue ventriculi, momento corrigunt et deſtruunt, hinc liquorum con-

conſiſtentiam ſolvunt, multas particulas præcipitant, alvum laxant, Sulphura aperiunt, et ſic præparant, ut cum Sp. Vini Tinctura genuina elici poſſit. Doſis illorum non multum differt, eſtque intra corpus plerumque ad ℈ſs. ℈i. ʒſs. cum Vehiculo. Le Mort Collectanea Chem. Leydenſia p. 193. Lixivium Tartari uſui eſt ad impetigines, et Nævos, diſcutit Tumores (ab acida cauſa) cum Aqua miſtum. Lemery Chem. p. 416.

Hoc tollit vehementem aciditatem Sp. Vitrioli fortis, multoque facilius acida mitiora mortificat, quæ in Corpore humano hoſpitantur. In ſpecie illa Arthritidis ab acido prædominante oriundæ, ad guttas paucas ut ad ℈ſs. vel ʒi. ſemel in hebdomade ſumptum ex Vini Cyatho eximium eſt Medicamentum. Nuſquam autem in uſum duci debet, quando Corpus jamjam Alkalinis abundet. Boerh. Chem.

Hujus ſpecifica gravitas notari meretur, ponderoſiſſimum nempe fluidum eſt præter Mercurium vivum, et Sp. Vitrioli fortem, vel Oleum Vitrioli. Ut primam inter acida Sp. Vitrioli fortis vel Ol. Vitrioli, ſic hoc Lixivium inter alkalina, gravitatem habet ſummam. Mirabile, et tutum innoxium Coſmeticum eſt, Cutim detergit, mundificat, albificat; Ephelides, maculas, lentigines, eruptiones tollit ſœdas, ſi modo cum Aqua commiſceatur; et Liquor hic pro Lotione frequenter uſurpetur. Si commiſceatur Olei Amygdalarum ali-

aliquantulo, vel Aq. Roſarum vel Aurantiorum, amovet cutis puſtulas, Nævos, Vitiligines, Tubercula, &c. Febres intermittentes mitigat, allevatque; urinam pellit, deobſtruit; Optimum eſt Remedium in Ictero, Scorbuto, Hydrope, Ulceribus, Serpiginibus, Tinea, Scabie, &c. tum interne, quam externe adminiſtratum. Doſis ℈ſs. ad ʒſs. Boerh. Chem. paſſim. Siquis venenetur ab Arſenico deglutito, hauriat Lixivium Tartari multa aqua dilutum; hoc non corrodet Dentes, verum albedinem dentibus a carie non exeſis impertit. Acida autem ut Sp. Vitrioli tenuis, Acetum, &c. aſperitates dentium tollunt, corrodunt, diſſolvunt, omni nitore et politura dentes ſpoliant, eorum ſubſtantiam albificant, abſumunt, et poſtea nigrorem inducunt. Theor. Chem.

Cauſticum eſt ad anginam ſcirrhoſam; ad quam Recipe Lixivii hujus q. ſ. et Penicillo ex linteo carpto ad calamum aptato, per canulam applicato, eo humectato, locus ſenſim erodatur. Cauſticum id fortius paretur cum Calce viva, ſed plus diſcriminis habet applicatio. Boerrh. de Mat. Med. p. 136.

Crebrior Lixivii Tartari uſus eſt externus, quam internus, in abſumendis ſcilicet Spongioſis, carneis, aliiſque, in Ulceribus inveteratis, excreſcentiis, ſive Hyperſarcoſibus, iiſdemque mundificandis ac firmandis. Maximo fructu permiſcetur Aquis ac Unguentis, ad Scabiem a craſſo phlegmate ortam, ubi vero ſalſi, ſe-

roſi, et ſubtiles, ut in Ulceribus diu manantibus et ſerpentibus videre licet, humores dominantur, in illis omnimode eſt ab hoc abſtinendum, quia eoſdem reddit acriores, ac hujuſmodi in ulceribus calorem maxime detrimentoſum adauget, doloremque ſubminiſtrat acerbiorem. Plus etiam damni quam utilitatis ejuſdem ferre uſus poteſt, dum Mulierum conſtitutionis plethoricæ, tenerrimæque, cuti applicetur; facies facit excandeſcere, et rubras excitat puſtulas. Zwelfer Mantiſſ. Spagyrica in Pharmac. Regiam. p. 577.

Lixivium Tartari parum diſſolvitur in Spiritu Vini, in Vino, vel Aqua, non item in Sp. V. Rectificatiſſimo. Boerhaave Chem. Theor.

Hoc Sanguinis humani ſerum limpidum vel parum diluit vel attenuat, ſine ulla effervеſcentia, vel minima luctatione. Lactis recentis tepidi cujuſvis quantitati affuſum, illud ipſum aliquantulum attenuat ſine efferveſcentia.

Lacti recenti excocto ad ignem, gradatim eo affuſo, leve coagulum orietur, Lac coquendo flaveſcit illico, et per omnes gradus intermedios decurret uſquequo intenſe rubeat. Boerh. Chem. Vid. Salem Abſinth. et Salem Tartari.

Lotio

Lotio Saponacea. p. 133.

Lotio hæc Lixivii oleoſa deſignatur, pro lotione deterſiva, et inſtar liquorum aliorum ſaponaceorum ad hoc propoſitum valde efficaciter quadrat; Ubi plus detergens exigatur, tale pro re nata reddi poſſit, parvam quantitatem ſolutionis cujuſvis ſalis alkalini fixi addendo. Emollit, lævigat, detergit; Cutim glabram albicantemque reddit; ejus et cuticulæ poros aperit, humores exterius ducit, prorſus evaporando foras. Qua loca affecta bis de die, mane et veſperi, abluantur contra morbos ad p. 224. memoratos; quinetiam faciei cutiſque Maculas, Scabiem, Capitis affectus externos, Tineam, Furfures, pediculos, ſordes, et quaſcunque fœditates; inſervit manibus et faciei dealbandis, valet in inflammationibus ambuſtis, et vicem Coſmetici ſuppleat. Lotio Saponacea facilius et efficacius paretur, quæ Titulo hujus apte reſpondet, diſſolvendo Sapones elegantiores, ut Saponem Genuenſem, Venetum, ſeu Caſtellanum in Aqua Roſarum Damaſcenarum cum guttis aliquot Salis Tartari vel cujuſvis ſalis alkalini fixi, magiſque deterſiva, et proſperiori eventu ad propoſita ſuperius antedicta, poſſit adhiberi.

Margaritæ præparatæ. p. 22.

Febribus ex acido oriundis adverſantur; ſolummodo acidum infringunt, et abſorbent in primis Viis, identidem ac Oculi Canc. etiamque Teſtæ Oſtreorum præparatæ; cæteroquin nil valent; in hac intentione ingrediuntur Pulverem Bezoardicum, Pulverem e Chelis Canc. comp. Pulverem Contrayervæ comp. harum gr. x. deſtruunt aciditatem Spiritus Salis gutt. LXXX. Cedunt per retortam Salem Volatil. urinoſum, qua tractandi ratione Cor exhilarant et depurant. Geoffroy.

Mel Ægyptiacum. p. 105.

Olim Unguentum Ægyptiacum improprie vocabatur; utpote neque Oleum, nec ulla Subſtantia adipoſa hoc Compoſitum ingreditur. Nomen ejus Sortiri videtur ex colore aduſto, non multum abſimili Ægyptio.

Mel hoc Æruginoſum uſurpatur, ut plurimum, extrinſecus in mundificandis, detergendiſque Vulneribus, Ulceribus malignis, putridis, ſanioſis, ſordidis, cuniculoſis, in carne fungoſa ſupercreſcente depaſcenda, et Gangræna ſiſtenda; inſervit collutioni oris, pu-

putredini et ulceri Gingivarum, labefactioni earum dentiumque, Gutturi, Tonſillis, Gingivis cruentis, Aphthoſis, Ulceroſis, pluma, plumaceolo, vel Linteolo tenuiſſimo Cameracenſi applicandum; vel poſt lotionem cum gargariſmo (e fortioribus et putredini reſiſtentibus, parato) Petia huic intincta partibus aliquoties applicetur.

Uſum hujus ſuppleat Oxymel ſimplex in pleriſque caſibus, cum minori periculo, et Stomachi faſtidio: ubi autem Ærugo exigatur, pro re nata addatur. Hoc eſt ipſiſſimum Unguentum Ægyptiacum ſimplex Meſuæ, et omnia ingredientia conveniunt in eadem quantitate: Zwelferi Animadverſiones in Pharmac. Auguſtanam. p. 457.

Mel Deſpumatum. p. 23.

Mel eſt ſolubilis Succus vegetabilis, cujus tres ſpecies habemus; prima eſt Mel album, vocatum Virgineum, quod ſponte a favo inverſo diſtillat; ſecunda, Mel eſt expreſſum ope torcularis, emolliendo prius cum Aqua exigua ſuper Focum. Tertia ſpecies etiam intermedia eſt, flaveſcentis albi coloris; expreſſione ſine igne illicitur. Attenuat, aperit, digerit, diſſolvit, detergit, incidit, pulmonum vitiis ſuccurrit; lubricat, emollit, laxat, alvum ſubducit vel Eccoproticum eſt, Diureticum, Putredinique reſiſtit: Epotum in Hydromellis for-

ma eximium eſt Anthelminthicum, præcipue puerulis, ab acrimonia ejus, purgante miti prius aſſumpto, jejuno Stomacho, quo amoveantur obſtructiones; per ſe, vel cum lacte datum iis animalibus gratum eſt, et copia ejus Vermes tumefacit et enecat; lenit dolorem, ab Apum et Veſparum aculeis excitatum, quamprimum partibus affectis applicando; ad tenacitatem coctum emollit, maturat et ſuppurat; Vulnera et Ulcera emundat et detergit: Omnibus Thoracis obſtructionibus a viſcidis et lentis humoribus prodeſt, reſolvendo viſcoſitates in primis viis, expectorationem promovendo, ſupra panem toſtum nocte præcedente illitum, vel in ullo tepido liquore diſſolutum: Aſthmaticos durante paroxyſmo, et Bechicos diuturna Tuſſi laborantes, ab acredine ejus detergit, et ſiccat; a viſciditate ejus digerit, et ſanat. Ad ſummam nullus morbus eſt a phlegmate oriundus, vel a progenie Conſtitutionis frigidæ, quin ipſi emolumento ſit, Phlegma tenax incidendo; In nonnullis temperamentis, tormina vehementia, vomitus, catharſin, et irrequiem concitat, vel in minima quantitate adhibitum, niſi hac qualitate ſpoliatur decoquendo in Hydromel.

Mel, Calidis, Bilioſis, Hypochondriacis, Hyſtericis, Melancholicis, Macilentis, et gracilibus nocet.

Doſis Mellis cujuſvis generis per ſe Infanti 6 Ann. ʒi. Adoleſcenti 16 Ann. ℥i. Juveni 30 Ann. ℥ij.

Hydromel

Hydromel ſimplex parari poteſt modo ſequenti.

℞. Aq. puræ font. ℔iv. vel v. Mellis ℔ſs. vel ℔i. coque ad perfectam deſpumationem; in potum ſit ordinarium ad morbos antedictos.

Enemata et Gargariſmata ex Melle fiant; ut et Suppoſitoria cum ſalis vulgaris p. i. et Mellis p. ij. coquendo ad debitam conſiſtentiam.

Mel ingreditur Cataplaſma e Cymino, Confectionem Damocratis vel Mithridatium, Electar. e Baccis Lauri, Electar. e Scammonio, Mellita, Oxymellita, et Theriacam Andromachi.

Mellis aliud genus eſt concreti, quod Saccharon nominatur, ut Diaſcorides, Ruellio interprete, libr. 2. p. 150. refert Gr. Σάκχαρον, vel μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον Σάκκαρι, i. e. Mel Calami vocatum Saccharum, vel Mel Arundinis, vel Mel Cannæ Sacchariferæ, in India orientali, Occidentali, Arabia fælici multiſque aliis locis, ſponte creſcentis, unde fit.

Saccharum puriſſimum. Phar. Lond. p. 17. 98.

Hoc noſtrates utuntur in Radicibus condiendis, Syrupis conficiendis, &c. Quod dubio procul attenuat, relaxat, reſolvit, incidit, multumque prodeſt omnibus morbis a viſcida cauſa oriundis; diſſolvit quamvis ſubſtantiam

glutinoſam, gummoſam, oleagineam in Corpore; quacum facile unitur et deturbatur e corpore cum ſuccis aquoſioribus; qua ratione imminuit Molem inhabilem corpulentorum, pinguium, craſſorum, nimis carnoſorum: Macilentis autem et gracilibus, Hecticis, Febre laborantibus, nocet hujus uſus nimis liberalis; etiamque Rhachitides progignit, diſſolvendo humores, et vaſa infantium tenerrima nimis relaxando. Dentibus revera incommodum eſt, ob acrem ſalem penetrantem; et Nervis nudis, Oſſibusque carioſis applicatum dolorem intolerabilem infert. Pulmonibus conducit, et expectorat ad minimum in exigua doſi; Bechicum eſt et Tuſſi medetur, Diureticum, Nephriticum et Eccoproticum eſt, viſcoſitate ſua lubricando fibras inteſtinales; Anthelminthicum et vermes enecans a natura ſua et acrimonia ſtimulante, Antiſepticum ſeu putredini reſiſtens, nec adeo perniciofum eſt Balſamo naturali corporis noſtri prout nonnulli arbitrantur; interne aſſumptum facultatem habet diſſolvendi, et non augendi phlegma, uti vulgo fertur, nullam enim in ſe habet tenacitatem, niſi a coctione longa acquiſitam, licet huic multi authores contradicant. ℞. Sacchari Conici vel puriſſimi, candidiſſimi, ſicciſſimi, ſubtiliſſime pulveriſati ℥i. addendo poſtea Ol. cujuſvis eſſential. ex. gr. Ol. Cinnam. gutt. viij. (aliuſve Ol. non nimis calidi p. $\frac{1}{8}$ vel ʒi. et Sacchar p. 8 vel ℥i.) diu intime et exacte conterantur in Mortario Marmoreo,

Marmoreo, vel Vitreo, operculo arcte tecto, quo diutius eo melius et conſummatius erit Medicam. Polychreſtum, Sapo, vel Elæoſaccharum; Aquæ, Vino, vel cuicunque liquori miſcibile, doſibus variis inſerviens, quod in Vitro ſicco mundoque probe obturato aſſervandum et ab aere tutandum ad uſus medicos, quocum Veſtimentorum labes tolli, et Maculæ etiam elui poſſint cum Aqua: hoc eſt Elæoſaccharum, in imitatione cujus habuerunt ſua Elæomellita Antiqui, quibus ignotum erat Saccharum. Hac arte Olea Aqua miſcibilia redduntur, adeoque omni uſui medico aptiſſima fiant (Aquæ nempe ſic miſta olea, bibi ſine diſcrimine poſſunt, quod alias propter metum inflammationis ſubſecuturæ fieri nequit) tum portabilia locis remotiſſimis ſine virium diſpendio, et extemporaneis medelis aptiſſima. Hinc Sacchari vis in Olea diſtillata innoteſcit; vires vero Elæoſacchari ſpecificæ, et appropriatæ ſub oleo Cinnamomi peti debent. Saccharum eſt Sal rectificatus eſſentialis, oleoſus vel unctuoſus, perfectiſſimus in tota natura, vel Sapo nativus Cannæ Sacchariferæ, immiſtus cum certa olei proportione, unde inflammabilis evadit, liquat ad ignem; in Aqua diſſolvit, et ſapit, conſequenter omnes proprietates Salis propemodum poſſidet: hinc videtur unctuoſum Salinum corpus, vel genus naturalis ſaponis.

Difficile admodum eſt definire, quale ſit corpus Saccharum; nullum nempe ſibi habet ſimile;

ſimile; habet quidem omnes proprietates propemodum Salis, verum eas reliquis ſalibus contrarias, vel ſaltem ab iis multum differentes; eſt nempe Sal inflammabilis, et fermentatione abit in Vinum, quod in Acetum vertitur; ad Saccharum prope accedit Mel, verum hoc nunquam converti poteſt, in Saccharum. Revera non Sal proprie vocari poteſt, quia totum in igne exuritur, et in auras diſpergitur; neque Oleum, quoniam facile miſcetur cum Aqua; neque Sapo, quia Salia ſaponacea difficillime fermentationem ſubeunt; Saccharum autem facile fermentari poteſt, præbens poſtea per diſtillationem ſpiritum inflammabilem, inebriantem; crudum autem, ſine fermentatione, Spiritum acidum, ignem extinguentem. Non ſaponaceum eſt per ſe, verum pro comperto habemus, id facultatem habere convertendi Olea in ſaponem.

Omnia corpora ſaponacea facultatem habent diſſolvendi Olea; unde diſcimus, Saccharum eſſe Saponaceæ Naturæ; lævigando enim, ut penitus cum iis uniatur, eorum tenuiſſimas particulas adeo defringit, ut nunc tollent, deſtruent, vel cum Aqua eluent tales veſtimentorum Maculas, quales antea inferrent. Hinc intelligimus Olea eſſentialia diſtillata vegetabilia, fermentatione et diſtillatione præmiſſis, reduci in Spiritum inflammabilem, et non longius Veſtimentis labem aſpergere.

Mel et Saccharum egregia ſunt Menſtrua; Uniuntur cum Balſamis, Terebinthinis, Reſinis,

ſinis, inde hæc redduntur potabilia, diſſolubiliaque in Aqua. Præterea eximie ſolvunt Gummi omnia ab Aſia, ut Gummi Ammoniacum, Galbanum, Bdellium, Opopanax, &c. Boerh. Theor. et proc. Chem. et de poteſtatib. Medicament. &c.

Mel Elatines. p. 105.

Nihil ab experientia, de viribus hujus, certe profertur ab Authoribus; externe applicatum vulnerarium habetur, Ulcera ſordida carnoſa detergit; raro autem in uſu venit niſi in Clyſteribus. Hoc præparatum non multi æſtimatur, non frequentis uſus eſt, neque in Officinis ſervatur, et rariſſime paratur.

Mel Helleboratum. p. 105.

Paratum cum Helleboro albo, et Medicamentum adeo aſperum eſt, ut raro conceditur niſi Maniacis, et conſtitutionibus robuſtiſſimis; tumque præſertim per vomitum violentiſſime operatur, et nonnunquam purgat: Hypochondriacis, Melancholicis, Apoplecticis, Lethargicis, Paralyticis, et hujuſmodi caſibus interdum valet, in forma Clyſteris ab ℥ſs. ad ℥i. cum aliis mixtum, quoniam fortius Emeticum et multo majorem doſin exigunt quam alii.

Praxis

Praxis nuperrima rariſſime vel nihil omnino hoc utitur; agit enim ut Draſticum Catharticum, vel Emeticum nimis violentum et precarium pro uſu vulgari; interdum exhibitum fuit ad ʒi. vel ʒij. vel ultra in caſibus Maniacis: verum in Clyſteribus ſæpius adhibetur. Lewis Pharmacop. p. 447. 448.

Mel Roſaceum. p. 106.

Olim vocabatur Mel Roſatum. Nonnunquam adhibetur ut mite refrigerans et detergens; ſpeciatim in Gargariſmis, ad putredinem Gingivarum, labefactionem dentium, ad ulcera et inflammationes Oris, faucium, Uvulæ, tonſillarum, et gutturis, quas placat: Apoſtemata et Fiſtulas detergit, ut et ulcera externa, et ulcera inteſtinorum in forma Clyſteris cum aliis ab ℥ſs. ad ℥ij. iij. vel iv. hoc fit cum germinibus Roſarum rubrarum celeriter deſiccatarum, ad vim aſtringentem earum præſervandam; minus aſtringit quam Saccharum Roſaceum, plus autem quam Mel Roſaceum ſolutivum ſequens.

Mel Roſaceum ſolutivum. p. 106.

Hoc compoſitum perbene conſtruitur ad propoſita ſub Titulo expreſſa. Præcipue occupatur in Clyſteribus laxantibus, et Bilem temperantibus,

perantibus, atque Saccharum fuſcum hic adhibetur, loco Sacchari bis defæcati ad omnes alios uſus.

Vires habet ut Syrupus Roſarum Solutivus.

Mercurius calcinatus. p. 60.

Olim Mercurius præcipitatus per ſe falſo vocabatur; Sudores valde movet, Luem veneream ſexies vel ſepties exhibitus penitus eradicat, Lumbricos enecat, et repetita exhibitione, pauculorum granorum pondere, eliminat; ut plurimum vomitum quoque movet ſat violentum. Pharm. Hermetic. Batean. per Fuller. p. 41. Potenter perſpirationem, et ſæpiſſime urinam, vel ſedes promovet, et in multis vomitum ciet; prodeſt variolis, Febribus intermittentibus, et Rheumatiſmis inveteratis. Lemery Chem. p. 166. 167. Vomitum fere ſemper movet, ac minime per ſalivationem operatur Doſ. ad gr. iv. v. vel vi. Willis Pharmacenticæ Rationalis. Part 1. Cap. 2. p. 49. Vomitum ciet, deorſum purgat, et Sudorem movet. Doſ. a gr. ij. ad gr. vi. Geoffroy.

Multum commendatur in Morbis Venereis, cutaneis eruptionibus chronici generis, Rheumatiſmis inveteratis, et multis morbis Chronicis. Doſ. a gr. i. ad gr. ij. Duplex hujus doſis, cum Opii dupla doſi, habetur Pilula celebrata Miſaubin. James Pharm. Lond. p. 816.

p. 816. Hoc præparatum efficaciſſimum et certiſſimum omnium Mercurialium, a nonnullis magni æſtimatur, in Caſibus venereis; commode dari queat conjunctim cum Opiatis in forma Boli vel Pilulæ. Sc. Calcis hujus a gr. ½ ad gr. ij. et Opii gr. ¼ vel gr. ſs. vel opii ultra, cum additamento alicujus calidi Aromatici ingredientis, ſumatur omni nocte. Si hoc modo tractetur, leniter, etſi potenter, operatur ut alterativum et Diaphoreticum: per ſe exhibitum in doſibus majoribus, ut gr. v. vel gr. vi. aſperum emeticum et catharticum evadit. Lewis Pharm. p. 332. Mercurius calcinatus in uſum raro ducitur ob longum temporis diſpendium in ejus præparatione; opus enim eſt aliquot Menſium.

Mercurius Corallinus. p. 61.

Olim Arcanum Corallinum vocabatur, quod nomen videtur ſibi commutaſſe a rubore, quo Corallia referuntur. Virtutes Mercurii calcinati æmulatur; ſimilia effecta pariter producit ac Mercurius emeticus flavus; purgat præcipue per inferiora; Secretum eſt magnum in Lue venerea, Hydrope, Podagra, ulceribus, Scorbuto, Cancro, &c. Doſ. a gr. ij. ad iv. vel vi. ad ſummam Pharm. Batean. Hermetic, per Fuller. p. 15. Pro ſudorifero adhibetur interius in Febri quartana, Lepra, et Scabie profunda, cum Theriaca, Mithridatio,

tio, vel Conſerva Roſarum, &c. et pro purgante cum extracto Cathartico, &c. exterius applicatur in Carne luxuriante abſumenda, in Ulceribus malignis ſtillantibus, &c.

Præparatum hoc corroſivum, non obſtantibus hujus laudibus a nonnullis, videtur nequaquam tutum pro interno uſu: paucula hujus grana enim generatim Cathartica vel Emetica evadunt, et aliquando Symptomata dira acciunt.

Mercurius Corroſivarum virium potitur, ab exigua valde quantitate ſalis communis addita, ut in Aquæ fortis compoſitæ confectione, cui ineſt modo ſalis marini ʒi. et Aq. Fortis ℥xvi. quacum et Mercurio corroſivo rubro Mercurius Corallinus paratur, qui acrior eſt quam ſi conficeretur cum Aqua forti ſolum, ob additamentum tantilluli Salis vulgaris ad Aquam fortem compoſitam.

Cum Aqua forti paratus poteſt ſecure ægris exhiberi, cum e diverſo, cum Aqua forti compoſita confectus, in minima quantitate aſſumptus, mortalia inferat Symtomata. Efficitur ergo ex his, Acidum ex Sale marino productum eſſe fortiſſimum corroſivum.

Mercurius corroſivus albus, ſeu Mercurius corroſivus ſublimatus, et Mercurius præcipitatus albus ſuam facultatem ipſi acido Salis communis debent tantum, ſicuti id luculenter per alia poſſem demonſtrare, atque non vitriolo, neque Sali Nitro. Arcanum Corallinum pulvis eſt celebratus ille Paracelſi,

Helmontii

Helmontii, vel Vigonis, quem nonnulli aiunt periculoſum eſſe medicamentum, atque violens Eſcharoticum: Externe adhibetur, et non interne niſi ab Empiricis, quoniam corrodit et exulcerat Stomachum et Inteſtina; participat vero de natura Mercurii corroſivi rubri ex quo paratur, niſi cicuretur ſecundum Pharmacop. novam Londinenſem ad p. 61. Vel probe edulcaretur ad uſum internum ſubtiliſſime pulveriſando, coquendo in Aqua pluviali calida, ſæpius abluendo cum ea et ſuper incendendo Spiritum Vini rectificati. Vel Mercurium corallinum commiſcendo cum Sp. V. R. digerendo, poſtea diſtillando in Retorta, materia remanens fit mitior, repetita deflagratione cum puro Sp. V. Si hoc modo tractetur, inſtar Mercurii præcipitati albi, imminuitur paulatim cauſtica Virtus, et frequenti ablutione in Aqua calida, mitius et benignius evadit Medicamentum ad internum uſum, et morbos prædictos; atque eo plus Mercurii tute adhiberi poſſit, quo minus acidi in eo deliteſcat.

Mercurius corroſivus albus, ſeu Mercurius corroſivus ſublimatus. p. 59.

Paratur ad Mercurium dulcem ſublimatum, et Mercurium præcipitatum album. Interne nuſquam uſurpatur ob acredinem corroſivum Salium, ſummam agitationem una cum

cum particulis Mercurialibus ineuntium; infeſtus, noxius et lethalis eſſe ſolet: Externi tantum uſus in Chirurgia ut Cauſticum Mercuriale violentiſſimum; omnes corporis partes, tactu ejus coercito, confeſtim convertit in Eſcharam cito decidentem, hinc calloſitates Ulcerum obſtinatas, Verrucas, Glandulas induratas, Carnem fungoſam abſumit, et Ulcera inveterata detergit; fortius eſt quam Cauſticum Lunare, quod non magnam adeo Eſcharam format et profundam, ac Mercurius albus corroſivus. Hic atque Mercurius corroſivus ruber in exigua valde quantitate intus aſſumpti cito Mortem inferunt ob acrimoniam, quam obtinent a Salis marini acido in amborum confectione, unde Membranam Stomachi internam in Momento temporis corroderent et exederent, Sphacelumque ejuſdem inducerent: ſin quam citiſſime quantitas propria Lixivii Tartari cum Aquæ q. ſ. diluti, vel Muria ex quovis Sale alkalino epota ſit, inſtanter ad ſe attrahit et abſorbet acidum Salis marini, eum convertit iterum in Salem Marinum, atque Calx Mercurii innoxia evadit, unde corpori nullum infertur nocumentum. Si quando Mercurius corroſivus albus interne ſumatur, cum primis Virus eſt corroſivum, ejuſdem fere indolis ac Naturæ cum Arſenico, Symptomata autem ejus vegetiora magiſque terribilia ſunt, cito Guttur, Stomachum et Inteſtina corrodit, in quo caſu laudantur Lactis hauſtus largi, Olea Amygdalarum dulcium,

cium, Olivarum, Butyrum inſulſum, ad uncias aliquot, Juſcula pinguia, Aqua calida in magna doſi, abſorbentia quælibet, imprimis Lapides Cancrorum, &c. Vomitoria, dum Virus in primis viis manſerit; ſed poſtquam in Sanguinem irrepſerit, Alexeteria Medicamenta, et adhinc Diæta lactea.

Ex hoc Mercurio ſublimato albo paratur Aqua Phagadænica, diſſolvendo hujus ℈i. in Aq. Calcis pint i. (quæ ſupra Calcem per aliquot dies noctеſque ſteterit infuſa) ſolutio flavi coloris eſt uſui reponenda; ut plurimum extrinſecus uſurpatur ad varii generis Ulcera maligna, maxime venerea, mundificanda.

Mercurius corroſivus albus, vel Mercurius corroſivus ſublimatus nequit alkali aliquo dignoſci genuinus an falſificatus ſit: Violentiſſimum eſt Sternutatorium per horas varias continue, etſi valde exigua quantitas aſſumeretur: ſi probe teratur cum Chalybis Limatura innocens ſit. Boer. de poteſtat. Medicamentorum.

Mercurius corroſivus ruber. p. 61.

Improprie vocatur Præcipitatus ruber, vel Mercurius corroſivus præcipitatus ruber, quoniam nulla in eo præcipitatio fit, ſed ſolum coagulatio vel inſpiſſatio; Calx rubra acuata eſt, et non præcipitata; prope accedit ad indolem Mercurii corroſivi albi.

Fortior

Fortior et acrior eſt præcipitato albo; vehementer purgat quam ſuperne tam inferne, Stomachum ac Inteſtina corrodere et exulcerare aſſolet, ideo ab interno ejus uſu ſumme cavendum. Magni æſtimatur apud Chirurgos; externe carnem ſupercreſcentem et fungoſam abſumit, ulcera fœda detergit, ac humida, madantia, ſtillantia exiccat, et ad medelam diſponit. Eadem fere effecta producit ac Mercurius emeticus flavus vel Turpethum minerale: Doſ. Infant. 6 Ann. gr. i. 16 Ann. gr. iv. et 30 Ann. gr. vij. Extrinſecus applicatur præcipue in excreſcentiis carnis abſumendis, puſtulis tollendis; valet in detergendis, mundificandiſque quibuſlibet Ulceribus inveteratis, Fiſtuloſis; Venereis, aliiſque defædationibus conducit.

Bonum eſt Eſcharoticum, ſed Eſcharam facit profundam; frequenter adhibetur cum Baſilico, aliiſque ad hanc intentionem; vel cuivis Emplaſtro hujus pulverem inſpergendo, ſeu cum Unguento miſcendo lenius corrodet.

Vires hujus egregiæ ſunt inſtar Cauſtici communis fortioris, ſed differentes; ita ut eo ſemper blandiores ſunt, quo diutius Mercurius uſtulatus ad ignem fuerit, pendent nempe Vires ab acido, quod quo magis expulſum ſit vi ignis, eo minus efficacem relinquit Mercurium atque Naturæ ſuæ primæ reſtituit, quæ globoſa eſt, et inepta, quæ agat in Corpus. Mercurius corroſivus ruber introrſum ſumptus, in nimia doſi venenum eſt; Remedium ejus

Q 2 promptum

promptum indagetur ſub Mercurio corroſivo albo. p. 241. 242.

Mercurius crudus purificatus.

Vide Argentum vivum purificatum, vel Hydrargyrum. p. 61. &c.

Mercurius dulcis ſublimatus. p. 60.

Hic ſexies ſublimatus olim improprie vocabatur Calomelas, cujus Titulus e præſenti Pharmacopœia penitus excidit; ſi ut præparativum pro Cathartico exhibeatur, noxium eſt, et tormina parit gravia. Conſtat ex Acido Salis marini, Nitri, Argento vivo purificato, coadunito, concentrato, chryſtalliſato vel recondito cum Mercurio corroſivo ſublimato. Eximium eſt Hydragogum vel Phlegmagogum craſſe Pulveriſatum; non facile diſſolvitur a liquidis noſtris, ideoque dum inteſtinis adhæreat, ea ſtimulat vi acidi in eo contenti, Doſ. a gr. ij. iv. vi. ad ℈i. vel ℈iſs, Aquam educit cum impetu, et Vulneri applicatum eximie callos corrodit, ad marginem ipſius accreſcentes: Sin Subtiliſſime lævigetur fit Alterativum vel Sialagogum, et Salivationem ciet. Boer. de poteſt. Medicament. paſſim. Omnium Mercurialium creberrimus ejus eſt uſus; uſurpatur ut plurimum ad obſtructiones quaſvis

quaſvis referandas, Maſſamque Sanguineam depurandam : ſi quis autem crebrius vel diutius eo utatur, quin et majori in Doſi quam par eſt, Salivationem acciet tunc. Doſis a gr. v. ad ℈i. vel ʒſs. vel Doſ. Infanti 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xij. Juveni 30 Ann. ʒſs. Externe prodeſt Scabiei et ſimilibus cutis affectionibus, Puſtulis Venereis, aliiſque ejuſmodi exulcerationibus (de quibus conſulantur Practici) ſi ex eo diſſoluto in Aquæ q. ſ. Mixtura fiat, qua locus affectus, linteo ſcilicet ſuſcepta, ſæpiuſcule de die humectandus eſt.

Nonnihil corroſivus fit, ſi acidis immiſcetur, vel ſi corpus cui propinandus eſt, magna acidi mole ſcateret ; Animadvertendum itaque eſt conſcientia recta utente Medico, ut in iſtiuſmodi ſubjectis raro parvaque in doſi Mercurialia quævis ab exordio curationis uſurpentur, donec iſtud Acidum quadantenus ſubjugatum vel immutatum extra corpus eliminatum fuerit, peſſima alioquin Mercurium inſequerentur Symptomata, ut exulceratio faucium cum Capitis ultra modum extumeſcentia, membrorum articulorumve contractio, dolores inteſtinorum exquiſitiſſimi, &c. de quibus Medicorum praxin profitentium faſti ſunt conſulendi. Barchuſen Pyroſophia. p. 192. 193. 195. 196. Pharm. Synopſ. p. 193.

Mercurialia abſorbent ; mitiora uſurpantur in Cancro, Carcinomate ; et Mercurialia omnia in Lepra Elephantiaſi, Scabie, Tinea, in

Gonorrhœa virulenta, in Fluore Muliebri virulento, caute inungendo cum Unguento e Mercurio præcipitato.

Mercurius dulcis ſublimatus exhibetur ſub forma Boli, vel Pilularum cum Conſerva Roſarum ſine Syrupo, vel cum extracto Corticis Peruviani, Extracto Guaiaci, Extracto Cathartico, Pilulis Aromaticis, vel Pilulis Mercurialibus. Hujus enim Vis ſemper acui debet cum aliquo purgante, quia per ſe parum movet corpus; ne ſtagnando in eo ſalivationem excitat; Liquidi nimiam tenacitatem ſolvit in calido frigidove Hydrope, Vermes necat et expellit.

Cum Aqua calida ſæpius lavetur et lævigetur ſupra marmor terſum et durum ad uſum. Doſ. a gr. xxv. ad xxx. per ſe vel cum Catharticis adjectis, quæ Mercurium ſine periculo Salivationis per ſedem perducunt. Willis Pharm. Rational. Celebre Remedium ad vermes expellendos, cujus Doſis uſitata gr. xv. adultis, et analogice Infantibus; huic autem et cuivis propoſito, excepta ſalivatione, immiſceri debent Cathartica ingredientia; vel Cathartica dari oportet brevi intervallo ab ejus uſu; atque hac precautione adhibita, Os ſæpe afficere ſolet, vel minimo ſuſcepto frigore.

Nonnulli hunc alternis diebus adhibent, et diebus interjectis Catharticum porrigunt, aliquandiu ad Luem veneream curandam ſine ſalivatione.

Leviter

Leviter purgat, in Lue venerea ſummi eſt uſus, eamque comitantibus Morbis; pituitam tenacem incidit et expellit; ac proinde in Gonorrhœa præſtantiſſimum nobis ſuppeditat medicamentum purgans, pro expellenda pituita, cui acre venereum Virus inhærere ſolet. Doſ. a gr. ij. ad xx. Le Mort Medicophyſic. p. 139. et Collectan. Chem. Leyd. p. 115. Exhibetur ordinario in Conſerva, et Extracto, ut apte deglutiri queat abſque dentium noxia, quibus Mercurius infeſtus eſſe ſolet; et ne diutius quam par eſt in corpore deliteſcat, adhibetur cum aliis purgantibus, a gr. vi. xij. xv. ad ʒſs. in forma pilulari; ulterius ſi doſis extendatur, ptyaliſmum ſive ſalivationem excitare ſolet; externe medetur ulceribus, imprimis venereis. Collect. Chem. Leyden. p. 115. 116. Hecticis nocet et nequaquam iis porrigatur; quoniam Secretiones glandulares (non primarum viarum) jam nimis copioſæ, fluidæ, et tenues, hinc augentur.

Mercurius dulcis ſublimatus, Mercurius emeticus flavus vel Turpethum minerale, quæ per ſe parva in doſi operantur, per ſedem et Vomitum, immiſta cum Camphora parumper ante tempus ſumendi, ne volatilitas exhalet, in minima vaſa promptius agantur, quam alia medicamenta minoris ſpecificæ gravitatis, et ſecretiones cutaneas copioſius promovent, obſtructiones reſerant, ſanguineamque maſſam depurant.

Cuncta jam perſtringemus cum effatis viri ſequentis eximii, clari, docti, et accurati, viz. Mercurialia præparata, vel interne exhibita vel externe applicata omnes corporis ſuccos liquefacere videntur, etiam illos in minutiſſimis et remotiſſimis vaſculis; et ita tractari queant ut excretiones per omnia emunctoria promoveant. Hinc uſus eorum frequens in Morbis inveteratis Chronicis a denſitate ſegnitieque humorum oriundis, et obſtructionibus Glandularum excretoriarum obſtinatis, in Morbis Scrophuloſis cutaneiſque, in Lue venerea, &c.

Si eorum vis ad Emunctoria certa non coerceatur per additamenta propria, tendunt præſertim ad Os afficiendum; et ſuccis fuſis in partibus remotioribus, cauſam præbent eos libere evacuandi a Glandulis ſalivalibus. Effecta Mercurialium ſalutaria nullatenus dependent ab evacuatione ſenſibili. Medicamentum hoc in habitum gradatim introducatur, ita ut fauſta valde effecta producat ſine ullo notabili eventu.

Mercurius dulcis ſublimatus, optimum et tutiſſimum eſt hujus mineralis præparatum: agit ut Sialagogum, et ut Alterans vel Diaphoreticum: pro ſalivatione excitanda Doſis a gr. xv, vel xx. in forma Boli vel Pilularum omni nocte, ſæpiuſve, uſque dum ptyaliſmus incipiat; ut Alterans vel Diaphoreticum Doſis a gr. vi. viij. vel x. purgativo pro re nata interpoſito, ad Salivationem præveniendam.

Multo

Multo melius autem agit in doſibus valde exiguis ad gr. i. ij. iij. ad hæc propoſita ut quadret, quovis mane et veſperi exhiberi debet conjunctim cum Diaphoreticis, vel talibus ſubſtantiis, quæ actiones ejus determinant ad Poros cutaneos, ut Extracto vel Reſina Guaici, ægro calido ſervato eodem tempore, et copioſe liquores diluentes ebibente tepidos. Hac methodo inveterati cutanei ut venerei Morbi curati fuerunt, ſine ulla alia ſenſibili excretione, quam perſpiratione leni adaucta. Ubi Ulcera adſint in quavis parte corporis, expediunt aliquandiu materiem externe fœtidam, cujus quantitas gradatim minuitur, et tandem ulcus tempeſtive ſanatur. Si Mercurius fortuito Os afficeret a frigore ſuſcepto, vel taliter (quod raro evenit) cohiberi queat, doſin omittendo et perſpirationem promovendo per teporem et Medicamenta congrua ; vel Mercurialium nimis fortium Vires reprimi queant per admiſtionem Florum Sulphuris ; et Salivatio nimis copioſa ab eodem medicamento coerceatur. Lewis Pharm. Lond. p. 84. et 338.

Mercurius Emeticus Flavus. p. 61.

Olim Turpethum Minerale vocabatur, vel Turbith Minerale Paracelſi, ob parem operationem ejus cum Turbith Vegetabili Arabum, fortiter purgando intimos Corporis Receſſus. Turbith Vegetabile enim craſſos viſcoſoſque hu-

mores,

mores, ſive Pituitam fortiter a remotioribus corporis partibus juncturiſque elicit, unde et diuturnis morbis maxime conducit, ut Hydropi, Arthritidi, et Rheumatiſmo. Præparatum eſt omnium Mercurialium ponderoſiſſimum et fixiſſimum in Pharmacopœia Nova, utpote ex Spiritu Vitrioli forti, et Mercurio crudo purificato, ponderoſiſſimis liquidis, confectum eſt; hocque quo ponderoſius eo fortius erit. Verum accedentibus Alkalinis, vel Saturno et prunis candentibus, reſolvitur iterum in Mercurium Vivum et fit volatile.

Siſtatur vis hujus Mortifera a Decocto Saponis veneti cum Aqua pura: vel calcinatione levi, diu repetita, donec non fumet; hocque fit ſi lento igne integre exſiccetur et habeatur pulvis inſtar nivis candidus, qui tam fixus eſt ut ignem fere follium ſuſtineat ſine avolitione. Hinc acido Spiritus Vitrioli fortis expulſo, emollito, arctius intropulſo ne ſpicula emineant, mitificatur Vis emetica agendi. Boer.

Vel Mercurius Emeticus flavus ſubtiliſſime pulveriſatus optime edulcaretur impregnando Aquam in qua abluitur et decoquitur, cum proportione determinata Salis Alkalini fixi. Emeticum eſt forte, ſuperne acriter operatur, et in hac intentione, potentiſſime omnium Mercurialium, quæ tute intus dari poſſint. Actio autem ejus utcunque non coercetur ad primas Vias; nonnunquam Ptyaliſmum excitabit, ſi purgans non confeſtim ab eo ſumatur.

matur. Medicamentum hoc præcipui uſus eſt in Gonorrhœis virulentis, aliiſque Venereis conditionibus; ubi humorum ad partes genitales ingens ſit affluxus: dicitur etiam adhiberi, cum Omine fauſto, robuſtis Conſtitutionibus, adverſus Morbos Leproſos, Ulcera maligna, et obſtructiones Glandularum obſtinatas. Doſ. a gr. ij. ad vi. vel viij. in Boli forma cum Conſerva Roſarum.

Dari queat ut alterativum ad gr. i. vel ij. eodem modo ac Mercurius calcinatus ſupradictus ad Schol. hujus 238.

Medicamentum hoc nuperrime commendatum fuit ut efficaciſſimum præſervativum adverſus Hydrophobiam: Exempla ſunt varia hujus inſaniam prævenientis in Canibus demorſis a Canibus Rabidis; et nonnulla curam perficientis poſt Rabiem inceptam. Doſis Canibus, a gr. vi. vel vij. ad ℈i. concedi quotidie queat, vel alternis diebus, ad tempus breve; et bis terve pleniluniis et noviluniis ſuccedentibus repeti debet. Tentamina quædam quinetiam facta ſunt in ſubjecta humana a Canibus demorſa Rabidis; etiamque in hiſce Mercurius Emeticus flavus, aut ut Emeticum vel Alterans, effectus ſœlices produxit.

Doſis hujus frequenter exhibetur ad Salivationem nimis ſegnem accelerandam. Lewis Pharm. p. 341. 342.

Non dubium eſt quin hoc ſit efficaciſſimum Emeticum et Purgatorium in omnibus

fere

fere Chronicis, obſtinatis et Cutaneis, ſed præſertim in Morbis Venereis, &c. ubi Vomitoria violenta poſtulentur. Nimis rigide operatur in Infantibus, ſat tute autem in adultis. Doſis Adoleſcenti 16 Ann. gr. ij. Juveni 30 gr. iv. Vid. Schol. p. 14.

Corpus eſt in Aqua non ſolubile, hinc eximium eſt Hydragogum caute exhibitum, alias Salivationem ciebit; determinetur ad Inteſtina ſumendo ſolum, vel ſine ullis aliis Medicamentis; ad habitum Corporis derivetur cum Diaphoreticis et Opiatis. Doſis a gr. ij. ad gr. vi. Lympham expurgat et extrahit ex Articulis Arthriticorum intimis; craſſe pulveriſatus Ulcera corrodit, Carnem ſuperfluam abſumit, etiamque Callos obſtinatiſſimos, non autem abſque dolore. Si gr. ſs. hujus in Nares inſuffletur, Secretiones omnes violenter auget; ſi autem interne ſumatur, Languorem, et angorem excitat; ſin in majori quantitate adhuc recipiatur, ut ad gr. viij. quæ ſuprema doſis eſt, operabitur per vomitum, ſedem, ſudorem, et Nervorum irritationem ingentem inducet. Boerh. de Poteſt. Med.

Vim habet Mercurio corroſivo rubro vehementiorem, ſi detur ad grana perpauca, vel etiam ad gr. v. violento vomitu, et ſubductione Alvi excitatis; eradicat Morbos qui ſoli Paracelſo ſanabiles aſcribuntur. Dari autem nunquam debet ob violentam ejus operationem niſi certus bene ſit Medicus Viſcera eſſe integra

integra et robuſta, quia mox omnia perrumpit, mortemque in ipſa operatione accelerat. Hinc anceps admodum eſt Remedium, et in Manu Medici adinſtar gladii in manu furiantis, quo curationes Morborum deſparatiſſimorum perfecerunt audaces, omnem fidem humanam ſuperantes, et cujus uſu Fæmina quædam Pariſienſis magnam ſibi acquiſivit famam, et Pecuniæ multum. Revera nempe videntur hæc ex Mercurio Medicamenta illa eſſe ipſiſſima quibus tanta olim præſtiterunt Chemici, ut Paracelſus, Helmont, et eorum Aſſeclæ, a quibus tamen cum promiſcue daretur, ſæpe non habito reſpectu cautelarum (ſub hoc Titulo) allegatarum, multi, imo innumeri perierunt. Etiam hocce Lepras, Podagras, Hydropes, Morbos Chronicos, Veneréoſque, Cancros, &c. ad miraculum uſque ſanavit Paracelſus, et ulcera omnia pariter Cacoethea ; hinc eſt quod dixerat Sydenhamus, omnibus fruſtra adhibitis, deſperatam ſæpe Gonorrhœam veneream hujus ope curari, a gr. ij. ad gr. vi. vel in Corporibus fortioribus ad gr. viij. imprudenti autem uſu Dyſenteriam, Vomitum Sanguinis, Urinam cruentam, Salivationem, et mortem introducere aſſolet. Chem. M. S. et impreſs. Boerh. Eaſdem habet vires quas Mercurius Corallinus. Non in Vehiculis liquidis, ſed craſſis ſumi debet, alias cito fundum petit, vel in Bolis cum Conſerva, vel in Pilulis cum Gummi, &c. exhibeatur.

Mercurius

Mercurius Emeticus flavus multum celebratur a R. James M. D. in inſania a morſu Canis rabidi in Tractat Impreſs. Anno 1743. Vid. Philoſoph. Tranſactiones N. 441. §. 8.

Rabies Canina, ſaltem ubi primum non exceſſerit gradum, Mercurio, ſive ſalivam moveat, ſive non moveat, cedere, experientia compertum eſt: ſeu fiat cum Mercurii Emetici exigua quantitate, ut alterativ. cum Camphora, vel Mercurio crudo cum Terebintha diviſo, ut Pilulis Mercurialibus, vel Pilulis Rufi; poſtea in Balneo frigido aliquandiu perfundat ſeſe.

Juvenis annos natus plus minus octodecim, a Cane peregrino rabido, in Manu vulneratus erat, aridamque in Vulnere Cruſtam, parum incommodi ſentiens per ſex dies, gerebat. Propediem inſolita Mæſtititia, et Melancholia invaſere, jam Tremores corripuere: Somnuſque quo minimo ruebatur, crebris Tendinum ſubſultibus perturbari cæpit. Ex hac Animi corporiſque Ægritudine, dum per tres dies augeretur, Juvenis ſe in extremo periculo verſari non ignarus fuit. Menſe Decembri, primo Medicamentum Emeticum Vini Antimonialis ℥ij. hauſit, et poſtea unum e Bolis ſequentibus tribus eadem nocte aſſumpſit, ſuperbibens Julepi ſequentis Coch. iv. unicuique Bolo.

℞. Merc. Emetic. Flav. gr. xij. Pulv. Contrayer. comp. ℈i. Theri. Andromach. q. s. f. Bol. N°. iij.

℞. Aq.

℞. Aq. Puleg. ſimpl. ℥vi. Theriac. Androm. ℥ij. Sp. Vinoſ. Cam. gutt. L. Syr. Caryoph. rub. vel e Cortic. Aurant. Croc. vel e Floribus Paralyſeos ℥iſs. Tinct. Caſtor. ʒij. in f. Julepum; Hujus bibat Cochl. iv. poſt ſingulos Bolos. Ea nocte paulum dormivit, et ſudavit; die inſequenti duas ſedes habuit, quales a Pharmacis purgantibus fieri ſolent, morbo paulatim miteſcente. Nocte ſequenti alium e Bolis iiſdem ſe cubitum recepturus deglutivit, unde nocte longior ſomnus, largior Sudor, poſtridie duæ ſedes ſolutiores, omniaque Symptomata leviora. Bolo tertio, cum Nox tertia advenerit, ſumpto, placide dormivit, in copioſos ſudores effuſus, mane ſanus vegetuſque ſurrexit; jam in frigidam Aquam quotidie per dies quatuordecim deſcendit; jamque et mente integra et corpore perfruitur.

In hac Hiſtoria obſervandum occurrit, Cruſtam, quam in manu ſicut dictum eſt, aridam habuit, poſt medicinam tertio ſumptam, Eſcharæ inſtar decidiſſe, vulnuſque pure probe cocto per dies aliquot manaſſe, deinde communi digeſtivo ſanatum.

Prognoſticum eſto, Vulnus obſervando, nam dum hoc cum Cruſta remaneat, in ſummo periculo æger eſt, cum autem cicatricetur, ne metus ſit conſequentiæ.

Vid. ultra de inſania a Morſu Canis rabidi, ſub pulvere Antilyſſo.

N. B. L. Boyle memoravit Chiliarcham quendam amborum Oculorum cæcitate totali laboraſſe

laboraſſe a Cataracta ortum trahente, qui ope Mercurii Emetici flavi circiter gr. i. pro vice una in ſingulas Nares inflati, vel attracti modo Errhini, ab hoc medicamento convaluiſſe, per Sternutationem, Vomitum, ſedem, ſudorem, urinam et Salivationem, ſimul operante per horas x. vel xij. cum Capitis extumeſcentia et Lachrymis profuſis: Intra triduum vel quatriduum poſt hujus Medicamenti ſimplicis draſtici aſſumptionem, incepit viſum recuperare paulatim, et intra quatuordecim dies pervenit ad tale viſus acumen, ut oculorum acies e longinquo objecta acrius et perſpicacius perciperet, et diſtingueret multo melius, quam ante cæcitatem. Hic autem modus operandi univerſalis, non ſolum Mercurio Emetico flavo peculiaris eſt, verum omnia Mercurii præcipitata idem facient cum in Nares inſufflentur, et eorum operatio adeo violenta eſt, ut Symptomata peſſima acervatim inducant, quibus difficilime obviandum erit, quare Clariſſimus Boerhaave hujus uſum ut Errhinum multopere improbat, aitque horrendum eſſe hæcce taliter ſumenda præſcribere.

Errhina in uſum duci debent præcipue matutino tempore, griguſque caveri: ſed ſi neceſſitas urgeat, poſſunt quovis etiam in alio. Aquæ, Muci, pituitæque viſcidæ e Capite et Naribus magnam eliciunt quantitatem; et appoſite præſcribuntur contra affectus Capitis diuturnos, et contumaces, ex viſcida, tena-

cique

cique materia oriundos; uti gravativos Capitis dolores, Paralyſin, morbos ſoporoſos, et Lethargos; contra affectus Capitis frigidos, maxime tum et bilioſos ſeroſoſque humores, a quibus ſæpe acerrimi dolores; ad affectus omnes a Cerebri illuvie originem trahentes; hinc Cerebri Ventriculos anteriores, Meninges maxime expurgant. Hoc e Mercurio Emetico flavo omnium maxime mirabile et potentiſſimum eſt; Lympham enim ſpecifice tenuem (quaſi Salivationem per Nares moveret) tam profuſe, et rivuloſe educit, ut nemini non experto credibile eſſe poſſit. Sed ſi nimis frequenter iteretur, Membranam Narium erodere ſolet in teneris. Ideoque poſt ejus uſum, conſultum eſſet, vel Lac tepidum, vel Oleum Amygdalarum in Nares attrahere. Sin Spiritu Vini tartariſato ſubtiliſſimo addito, digeratur per dies aliquot, dein Spiritus hinc, beneficio flammæ, abſtrahatur, benignius per ſudores, alvum et omnimodis operaretur. Cæteroquin quibus non arriſerit Mercurius Emeticus flavus per ſe, Errhinum Chemicum ſequens porrigatur. ℞. Merc. Emetic. flav. ℈ſs. Glycyrrh. ʒſs. Nuc. Moſch. ℈i. Ol. Roriſm. gutt. ij. M. f. Pulvis ad Cataractas, &c. cujus pauxillum in Nares inſufflетur.

Mercurius Præcipitatus Albus. p. 60.

Improprie vocatur Dulcis, parum enim differt a Mercurio Corroſivo albo, niſi probe edulcoretur; a nonnullis appellatur Mercurius Coſmeticus. Cauſticum Mercuriale eſt benigniſſimum, detergit Vulnera et Ulcera, atque ſuperfluam Carnem depaſcit; intus vehementem motum concitat, Salivationem movet in Lue Venerea, Scabiem et Lepram ſanat, capitis pediculos enecat, Lumbricos, &c. Verum non niſi a peritis adhibendus, quia improviſo facile Salivationem excitat, quæ ſi ex uſu diuturniori, contra Medici intentiones exoriatur, laxum ſervetur Corpus interne ſumendo ♃ Flor. Sulphuris, quibus nihil melius eſt in deportando et eliminando particulas Mercuriales per Anum.

Inter noſtrates rariſſime adhibetur interne; non obſtante Charactere a Boerhaave huic dato: optimum forſan eſt Remedium a Mercurio hactenus ſuppeditatum Mercurius dulcis, omnia enim effecta Bona producit, quæ hic perficere ſupponitur, majori autem gradu certitudinis, et ſine Conſtitutionis perturbatione, vomitus incitatione, &c. quæ Mercurius Præcipitatus Albus in doſi gr. ij. vel iij. frequenter efficit.

Mercurius Præcipitatus Albus frequenter du-

ducitur in uſum in forma Lotionis, modo ſequenti.

℞. Merc. Præcip. alb. pulveris ℥i. ſeponatur in vaſe Stanneo cum Aqua font. vel Roſ. Damaſc. ℔iij. ſtent per hor. xxiv. Spatula lignea vitreave ſubinde agitentur, donec liquor nigreſcat, ac ita perſtet; tandem coletur per chartam emporeticam, ut fiat liquor limpidus. Lotio hæc Mercurialis Medicamentum nitidum eſt pro uſibus externis, et cum ſumma munditie, innocentia et efficacia tractari queat ſine moleſtia; Linteamina non fœdat ejus graveolentia, nec odorem ingratum, fœtidum halitumque ſpirat, ut Sulphurata vulgaria aſſolent. Pluma huic intincta, facies ſemel in diem unum, vel alterum blande obducatur ad Maculas, Lichenes, Serpigines, Ephelides, Lentigines, Rubores, Puſtulas, Guttam Roſaceam, et quæcunque faciei deturpamina. Quorundam grande eſt Arcanum ad Pruritum, Lepram, Eruptiones fœdas, Pediculos Capitis et inguinis; non tantum ad faciei Maculas abſtergendas ſed etiam ad affectus Eryſipelatώδεις, puncta in facie nigricantia tollenda, et animalcula ibi nidulantia enecanda. Cutis Vermiculis capita nigra habentibus, Lotiones nullæ aut Inunctiones, præter Mercuriales, prodeſſe ſolent. Ubi autem intertrigo vel excoriatio adſit, ſufficienter ablui debet, vel in parva quantitate miſceri cum aliis ingredientibus, ne dolorem acrem pungentem accierit. Succi Aurantior. ℥iv.

 vel

vel ultra, huic addi poſſunt; cum Aqua hac Lavato exterius Ulcera maligna, et obſervatis exacte Medicamentis internis, brevi ſpatio ſanata videbis.

Boerhaave inquit, ſi Mercurius Præcipitatus albus cum triplici quantitate Sacchari Conici puriſſimi ſubtiliſſime teratur, Panacea Mercurialis præſtantiſſima aptius inſigniri poſſit, quam aliæ Mercurii Præparationes utcunque elaboratæ; et Pulvis hic Mercurialis Saccharinus ad gr. ix. jejuno datus, Vomit, purgat, et ad morbos quamplurimos Scorbuticos, &c. valet. Doſin hanc repetendo aliquoties de die indies, Salivationem blandam inducit; et hac ratione, a multis praxin medicam exercentibus, ſub larva exhibetur. Sin cum liquore tepido calidove concedatur, quo virtus ejus ad ſuperficiem corporis derivetur, tunc temporis Sudorificum fit. Mercurius Saccharatus videatur alius ad Schol. p. 67.

Si cum Unguento ſimplici, vel Unguento Sambucino miſceatur in moderata proportione, e. gr. Merc. præcipitat. alb. ʒi. et Ung. Simpl. ℥i. terendo Merc. cum Ung. ſuper Tegulam Marmoream, vel in Mortario Marmoreo, cum Piſtillo Marmoreo. f. Ung. mirabile, tutum, et præſtantiſſimum in curando Ulcera cutanea, et inveterata, Pruritum, Scabiem, Lepram, Serpiginem; atque ſi adhuc in minori quantitate adhibeatur cum Ung. dicto. ut Merc. præcip. alb. p. i. et Ung. ſimp. p. xx. vel xxx. v. g. Merc. præcipitat. alb. ℈i. Ung. Simp.

Simp. ʒvi. ℈ij. vel Ung. Simp. ʒx. vel ℥i. et ʒij hinc egregium conficitur Unguentum Mercuriale coſmeticum, et propter hujus Vim leviſſime corroſivam, princeps audit inter Coſmetica; cum hoc Miſtum applicetur contra Rubedines, Puſtulas Roſaceas, Maculas Cutis, et Reliquos ejus morbos ſuperficiales. Si hæc Panacea, Lotio et Unguenta cum Mercurio dulci ſublimato conficerentur, multo tutiora et præſtantiora eſſent medicamenta, quam cum Mercurio præcipitato albo confecta. Vid. Unguentum e Mercurio Præcipitato aliud, ſub Unguent.

Millepedæ. p. 26.

Mira faciunt in defluxionibus ad Oculos, derivando Salia acria calida per Renes, quæ in Glandulis circa Oculos hoſpitabantur. Conferunt Rachitidi; Orthopnœæ a cauſa frigida, tenacique colluvie (Bronchia opplente) orta, efficax omnino eſt, et optatiſſimum remedium; potentiſſime enim Pituitam, et Serum gelatinoſum incidit, dimovet, expectorat; Phlegma viſcidum incidit, extenuat, et Ductus tracheales penetrat, aperit, emundat, et reſolvit viſcoſos humores; prodeſt in Colica, Calculo, et Urinæ difficultate. Doſis Millepedarum præparatarum a gr. x. ad ℈ij. vel Doſ. Infanti 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann.

℈ſs. Juveni 30 Ann. ʒſs. ex Hauſtu Vini Rhenani hauriatur, vel ſumatur modo ſequenti.

Expreſſio Millepedum ſimplex Pharm. Extem. Fuller. p. 140. ℞. Milleped. viv. Sacchari. alb. ana ℥iij. ſimul contuſis affundatur Vini alb. ℔i. probe miſceantur in Mortario, et Liquor forti expreſſione coletur. Doſis ab ℥ſs. ad ℥ij. vel ℥iij. ſingulis Auroris. Millepedæ Sanguinem calefaciunt, attenuant, depurant, Nervos colluſtrant, obſtructiones reſerant et Urinam movent; valent ad Arenulas, Sabulum, Hydropem, Icterum, Scrophulas ſive Tumores Strumoſos, Aſthma frigidum, Tuſſim, Phthiſin incipientem, Cancrum, Viſus debilitatem; et ad Cutis venuſtatem, coloremque Faciei elegantem conſervandum, et revocandum; ad affectiones Hypochondriacas, dolores Artuum Scorbuticos; Multum celebrantur interne ad Pectora ulceroſa Phagedænica; non conveniunt in tenui ſanguine calido; audivi (ſed nondum ſatis expertus ſum) Millepedas veſperi crebrius, et copioſe exhibitas, Urinæ acrimoniam excitare; ejuſque Remedium adæquatum eſſe Balſamum Copaivæ. Utrum Millepedæ juſtum habent Titulum ad has Virtutes, magnopere dubitatur. Equidem certum eſt, earum effecta realia longe minora eſſe, quam deſcriptio his vulgo impertit.

Mithri-

Mithridatium ſive Confectio Damocratis. *p.* 126.

Vid. Schol. p. 110. Mithridates Rex Ponti vixit Ann. 60. A. M. 3828. ante Chriſtum natum, Ann. 120. a quo Confectio ſive Electarium Pharmacopœiæ denominabatur Mithridatium, quod jam dudum obſolevit. In hujus ℥ſs. continetur Opii gr. i. Doſis a ℈i. ad ʒij. vel Doſis Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒiſs. Hoc et Theriaca Andromachi Fœminis ſæpius, quam Viris præſcribuntur ob Gummi fœtida in ambobus Compoſitis. Cordiale opiatum eſt, Sudorificum, et Alexipharmacum; in quibus intentionibus, multum præſtat Theriacæ Andromachi. Flatus expellit, calfacit viſcera, ſiſtit, tam per Os quam per podicem, Ventris dolores, et externe diſcutit: Hoc et Theriaca Andromachi, propter mel in amborum Confectione, minus aſtringunt, quam Species e Scordio cum Opio, Electarium e Scordio, Pulvis e Bolo compoſitus cum Opio, et Pulvis e Succino compoſitus.

Mucilago Seminum Cydoniorum. *p.* 77.

Semina Cydoniorum mucilagine ſua emolliunt, leniunt, refrigerant, humectant, corri-

gunt, obtundunt, incraſſant, et demulcent acres humores: Mucilago eximia eſt in Febribus ardentibus, in teneritudine oris et ejus ulcuſculis, Linguæ ariditate, Oculorum inflammatione, fiſſuris Papillarum, et Hæmorrhoidum doloribus, Angina, Aphthis, Ulceribus Renum, etiamque tam interne quam externe, in Gulæ ardore, ſiccitate et aſperitate. Poſt ſingulas oris collutiones ſumatur hujus Coch. i. edulcoratæ cum Syrupo e Rubo Idæo, vel Mororum; in Dyſenteriis permiſceatur cum Clyſteribus; interdum fit Vehiculum gravibus ſubſtantiis, quæ non facile in fluidis tenuioribus ſuſpenduntur. Verum quoniam Semina Cydoniorum cito mucent et rancent, vicem hujus ſuppleat Mucilago communis Gummi Tragacanthæ in iiſdem intentionibus, ſi diſſolvatur Gummi ʒi. in Aq. pint. i. Lenit, emollit, obtundit acrimoniam humorum, prodeſt Tuſſibus, Catarrhis et defluxionibus Rheumatis in aſperam Arteriam; debilitates corroborat Seminales, et bono ſucceſſu uſurpatur in Fluore Mulierum albo, ſolutum in Vino rubro auſtero. Gummi Tragacanthæ efficax eſt in Dyſenteria, Raucedine, Hæmoptyſi, faucium aſperitate, ſtranguaria, et nihil majoris emolumenti eſt in Urina varioloſorum cruenta, quam Mucilago Gummi Tragacanthæ, vel ejus Gummi gr. iv. vel vi. in Aq. vel Lacte diſſoluta.

Nitrum

Nitrum Purificatum. p. 40.

Sanguinem et Succos eluit et eliquat; Mucum aggeſtum diſſolvit, et expellit; Renes et Ureteres refrigerat, aperit et detergit; Sanguinis lentorem incidit, obſtructiones, inflammationeſque inde natas excutit et extinguit. Valet præcipue contra pleuritidem, Peripneumoniam, et Febres inflammatorias; incidit viſcidam materiam, æſtum Sanguinis compeſcit, Faucium inflammationibus atque Tonſillarum gargarizando medetur. Præſcribitur ad Sitim et fervorem alleviandos, Sanguinem refrigerandum; coagulum lenteſcens diſſolvendum: obſtructionem inde natam expediendam, dolorificam membranarum criſpationem relaxandam, circulationem per partem reſtituendam: Expectorationem, et Diureſin promovendam ſeu urinam ciendam. Nitri ℨi. omni mane ſumpta, Hydropem deſperatiſſimum curavit, quando patiens pro derelicto habebatur.

Nitrum Purificatum Putredini reſiſtit, Bilis fervorem compeſcit, ſudores movet, Febribus adverſatur. Virtus hujus egregia eſt ad producendum Frigus, dum ſolvitur in Aqua, ad ſolvendas coagulationes inflammatorias, unde præ cæteris ſalibus vim refrigerantem et aperientem ſimul habet. Cujus ergo uſus mirabilis equidem eſt in omni morbo

tam

tam interne, quam externe, ubi hæcce reſolvenda ſunt, et unum eſt e nobiliſſimis in Medicina notis remediis. Doſ. Infanti 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. Malignas Sanguinis phlogoſes ſupprimit; Antihecticum, et Antiphthiſicum eſt, vel adverſus Tabem pollet, et dolores mitigat.

Antequam Igni committitur, nulla dat ſigna aciditatis, neque mutat tincturam Heliotropii, nec Syrupum Violarum ; convertit ſolutionem Mercurii corroſivi ſublimati in colorem lacteum, horæ quadrantem circiter; Gallarum infuſionem turbidam reddit, inſtar Salium alkalinorum, convertendo eam in album vel cinereum colorem : interne datur Nitrum in Subſtantia a gr. iij. ad xx, ter quaterve de die ; vel diſſolvitur a ʒſs. ad ʒi. in pint. ii. potus vulgaris ; Cum ſumatur Nitri depurati ℥i. in pint. iv. hujus, ſedes aliquot concitare aſſolet. Præſcribitur in Cauſo, et Febribus putridis ; in pleuritide, peripneumonia, angina, in Stranguria, Dyſuria, Iſchuria, nephritide, calculoſis concretionibus, aliiſque Renum et Veſicæ inflammationibus, in Urinæ ſuppreſſione, in omnibus inflammatoriis Eryſipelatoſis morbis ærumnoſis, Menſtruo fluxu diminuto, Lochiis obſtructis, Cephalalgia Epidemica, doloribus Arthriticis, et in Melancholia. Neque ab ejus uſu metuenda Diarrhœa in Morbis acutis. M. Stahl enim aſſerit, ſeſe nitrum purificatum ſæpe proſpero eventu dediſſe ad

gr.

gr. ij. iij. vel iv. pro doſi, quovis bihorio, etiam in Diarrhœis allatis, durantibus Febribus malignis, et variolis. Tales enim Diarrhœæ ſemper Symptomaticæ ſunt, a nimis magna Sanguinis colliquatione ortæ, ubi ſucci noxii quibus Glandulæ replebantur e carcere prorumpunt, perque inteſtina cum impetu exturbantur. Taliſque Diarrhœa, quæ poſt Inteſtinorum inflammationem accidit, cum ægri emolumento fit ſemper; prodeſt in affectione flatulenta ſpaſmodica, vel cardialgia hypochondriaca, quæ natales ducit a nimio Sanguinis affluxu ad Stomachi orificium, vel a levi inflammatione hujus partis. Noceat tamen internus ejus uſus in Ulceroſis affectibus, in Phthiſi, quoniam expertum eſt nullius commodi in hiſce querelis; exiſtimatur autem irritationem augere, et dari nequaquam debet, inquit Geoffroy. Draſtica purgantia ſubtilia acria mitigat, unde Syſtematis Nervoſi motus violenti, Stomachi inflammatio, &c. Bilem acrem obtundit, unde Vomitus enormes, calor, ſitis, anxietas, inquietudo, evacuationes enormes, dolores intenſi, &c. prodeſt quotidianis et tertianis chronicis Febribus, prægreſſa Catharſi idonea, ſi Nitrum hor. ij. vel iij. ante Paroxyſmi acceſſum exhibeatur, ægrique moderate calidi ſerventur, cito convaleſcunt. Eximium eſt Carminativum, et laudatur in Colica Spaſmodica, Bilioſaque præſertim; Hypochondriacis et Hyſtericis ſuccurrit, Spaſmos et Flatulentias ſubmovendo.

Ni-

Nitrum Purificatam in Aqua diſſolutum ventrem ſolvit, voto autem optatius ſatisfacit additis laxativis Tamarindorum decoctis, Foliis Senæ, Manna, &c. Decoctum Nitri fiat modo ſequenti.

℞. Nitri pulv. ℥i. conjice in Decocti florum Papaveris Rhæad. cum Aq. Fontan. facti pint. ij. (vel loco Flor. Papav. in Aq. Font. bullientis pint. ij. conjiciantur Coccinel gr. xvi.) addens Sacchr. alb. ℥iv. coque ad deſpumationem et per ſubſidentiam depuretur. Splendidiſſime rubens pulcherrime blanditur Oculis, nec palato valde eſt iniquum; inter omnes enim, quos (varie tentando) invenire adhuc mihi licuerit, hunc facile jucundiſſimum eſſe modum exhibendi ſalem Prunellæ didici. Mire refrigerans et reſolvens eſt Medicamentum in Febribus ardentibus, morbiſque aliis acutis; Sanguinis fervorem compeſcit, ſitim ſedat, urinam ciet; Febribus inflammatoriis, et ſpeciatim pleuritidi convenit, Arneulas expellit. Exhiberi poſſint ℥iv. bis terve in die.

Enema Nitroſum parari poſſit modo ſequenti. ℞. Fol. Senæ ℥ſs. decoq. cum Aq. hordeat. ℥x. admiſce Nitri puri pulv. ℥ſs. Mell. Roſac. ℥i. Electar. Lenitiv. ʒij. vel iij. f. Clyſma purgans in Angina inflammatoria, nonnulli huic adjiciunt Aceti ʒvi. vel ℥i. in Rabie canina, vel Mania a Morſu Canis rabidi.

Nitrum

Nitrum ſordes expurgat, cum Aceto inſtillatum. Nitrum, in Aqua calida aut Vino infuſum, inflationes ſanat. Dioſcor. per Ruellium. p. 470.

Obſervandum vero, nimium frequentem nitroſorum Diureticorum uſum, Renum tandem labefacere tonum ſolere; cavendum ne Nitroſis Chemicorum Spiritus acidi admiſceantur, quia liquorem acerrimum, Ventriculo noxium conficient: Si Spiritus Vitrioli, Sulphuris, Salis, Nitri ipſius, ſimileſve Nitro affundantur, fumum inſtar Aquæ Fortis excitabunt. Fuller. Pharm. extemp. Nitrum conſtat ex acido et alkali, ut patet ex Analyſi Chemica, Sal eſt neutralis, nec acidus, neque alkalinus. Solutio Nitri ſimpliciter diluit ſanguinem, nulla ratione mutat. Nullus Sal propius accedit ad naturam animalem, vel vegetabilem quam Nitrum, hinc Sal Hermaphroditicus vocatur. Sal hic diſtinguitur ab aliis, figura ſua, quæ in exacte depurato Nitro, ſemper eſt Priſma hexagonum. Ingreditur Trochiſcos e Nitro.

Nitrum Vitriolatum. p. 47.

Vulgo vocatur Arcanum duplicatum, ſive Sal Ducis Holſatiæ, Sal Polychreſtum, Sal Enixum Paracelſi, Nitrum Sulphuratum, quorum vicem hoc ſuppleat, longeque vires Salis vel Lapidis Prunellæ ſuperat. Potentiſſimum eſt

eſt Medicamentum in ardoribus Sanguinis, in inflammationibus ejus reprimendis et ſiſtendis; in Scorbuto Oris curando, in Angina, in forma Gargariſmatis exhibitum; diaphoreticum, diureticum eſt, interdum etiam per Alvum purgat; valde acutum et penetrans eſt, conducitque Morbis chronicis, Scorbuto et Hypochondriacis. Doſis eſt ℈ſs. Refrigerat, repellit, putredinem arcet, acrimoniam alkalinam temperat; Dyſenteriæ, Febribus malignis, inflammationi faucium aliarumque partium conducit. Doſ. a ℈ſs. ad ℈i. Sudoriferis additur ad gr. iv. vel vi.

Egregii uſus eſt in Melancholicis affectibus, Febribus omnibus ardentibus, in Calculo, Scorbuto, &c. a ℈i. ad ℈ij. Refrigerat, et Bilis æſtum compeſcit, Sitim ſedat, Siccum aridumque Os humectat, linguæ imponendo; Viſcera aperit, pituitam viſcidam incidit, humores putridos acidoſque temperat, vermes enecat, urinæ ardorem in Gonorrhœa mitigat, in vehiculo convenienti, ut in pulmentario, Juſculo, vel Aqua; Doſ. a gr. vi. ad ʒi. Cum Scammoniatis fœtorem eorum abſcondit, Vires auget, et aliquoties reprimit, ſecundum humores quibus obviam fit. Sal gratum eſt in Julepis, Gargariſmis, et ſimilibus.

Nitri Vitriolati, et Tartari Vitriolati puriſſimi, vis eſt aperiens efficaxque (Boerhaave inquit) et cum Catharticis optime commiſceantur, ambo operantur per urinam et ſedem data a ʒſs. ad ʒi. pro Doſi. Aqua mineralis ex

ex his parari poſſit valde proficua in Morbis chronicis. Geoffroy.

Parum abeſt, quin Nitrum vitriolatum idem eſt cum Tartaro Vitriolato, pro quo frequenter ſubſtituitur. Conſtat ex Vitriolico acido, cum Nitri baſi unito, quod a Sale fixo alkalino non aliter differt, quam in continendo miſturam terræ calcariæ minuſculam.

Nucis Moſchatæ, et Rhabarbari Torrefactio. p. 24.

Sartagini cuidam imponuntur, continuo agitantur, ut humore ſuo priventur; quo ablato, credunt Medici talia Vegetabilia quandam Vim aſtringentem ſortiri. Nuces Moſchatæ in ſtatu naturali, adeo molles et unctuoſæ ſunt, ut vix omnino reducantur in pulverem, in qua forma deſiderantur pro re nata; Rhabarbarum item difficiliùs pulveriſatur, niſi penitus exſiccètur. Torrefactio reddit eadem facile pulveriſabilia; et quam citiſſime hoc punctum aſſequantur, immediate intermittatur hic proceſſus, alioquin pharmaca multum corrumperentur. Hic modus Nucem Moſchatam tractandi proculdubio reddit eam minus aromaticam, orbatur enim oleo ſubtili, unctuoſo, molli, unde minus efficax redditur ad propoſita quædam meliora; atqui ſi ab analogia ratiocinemur, probabiliter fit magis aſtringens a tali diſpendio, atque in hac intentione

tione optime in uſum venit Nux Moſchata torrefacta in Diarrhœis, et Dyſenteriis a ℈ſs. ad ʒi. Rhabarbarum minus purgativum ab hac operatione evadit, et Doſis fere eadem.

Oculi dicti Cancrorun. p. 22.

Vide Schol. p. 83. ſub Chelis Cancrorum.

Oleum.

Oleum Schroderus deſcribens, vocat illud, liquorem pinguem, Balſamo tenuiorem; eo et nonnunquam craſſiorem, ut Oleum Nucis Moſchatæ expreſſum.

Olea Carui, Majoranæ, et Origani, tenuia et volatilia ſunt, facile immiſcentur cum portione Spiritus Vini rectificati, et hoc modo frequenter adulterantur, Aquæ autem additione, lactei evadunt coloris.

Olea Juniperi, Rutæ Sabinæ, naturaliter ſeſe conjungent cum Oleo Terebinthinæ, quo modo ſæpe falſificantur, fraus autem detegitur hac methodo. Spiritus Vini et Oleum Terebinthinæ in conjunctione albeſcunt ad inſtar Lactis, ideoque ſi Oleis Spiritu Vini adulteratis, addas tantillum olei Terebinthinæ, illico albeſcent, eodem modo ac ſi Oleis ſophiſticatis cum Oleo Terebinthinæ commiſceatur Spiritus Vini rectificatus.

N. 1. Olea Aromatica et fragrantia debent propinari vehiculo frigido, vel ſaltem tepido.

N. 2. Olea expreſſa exhibita cient nonnunquam nauſeam; hæc poſſunt vehiculo calido ſumi.

Differentia eſt ingens inter Olea Eſſentialia, et Salia volatilia. Aliqui, longe ſecus atque Ego, ſtatuunt Olea Eſſentialia plus in medicina, quam ſalia pollere. e. g. Olei Cinnamomi vel Caryophyllorum guttæ i. major facultas eſt, quam cujuſlibet Salis volatilis ℈i. vel ʒſs. Ita etiam Salis volatilis ℈i. ſi in aqua tabuerit vix odoratu vel guſtu percipitur, cum e contrario Olei eſſentialis gutt. i. tantæ Aquæ quantitati immiſta, utroque ſentiendi actu, facili negotio cognoſcitur.

Olea Eſſentialia adhibentur vulgo ad corrigenda purgantia reſinacea; uſui autem huic non bene adaptantur, quicquid enim commodi hic afferunt, hoc eſt nimirum quo placidius in Stomacho conſideant, nauſeamque reprimant; longe abſunt a mitigando irritantem qualitatem, cui, operandi Violentia maxime debetur, ut et inflammatio Viſcerum; a pungentia enim ipſorum Oleorum recens ſuperadditur ſtimulus. Salia Alkalina vel Sapones meliorem effectum ederent; quatenus diſponunt Reſinam ad ſolutionem, et operationem ejus promovent.

Olea Eſentialia nunquam per ſe dantur, ob ardorem eorum extremum, et pungentiam

S ſummam,

ſummam, adeo ut gutta unica in linguam inſtillata, gangrænoſam inducit Eſcharam. Illico a Saccharo puro, ſiccoque imbibuntur, et in hac forma convenienter exhiberi queant; terendo eo cum octuplo eorum pondere Sacchari, in Aqueis liquoribus ſolubilia evadunt, et ita in quemvis gradum aſſignatum dilui poſſint. Solvantur etiam in Spiritu Vini optime rectificato; fragrantioria in æquali pondere, et pleraque fere ipſorum in minori quantitate quam quadrupla. Solutiones hæ ſumi poſſunt cum Saccharo; vel Syrupis, ſimilibuſve commiſceantur; cum Aqua Oleum eſt ſeparabile et indiſſolubile; porro ſi Olea terantur cum Ovi vitello, miſcibilia fiunt cum Aqua.

Oleorum Eſſentialium gutta una vel altera plerumque ſufficit pro doſ. i. in forma Boli, Electarii, Pilularum, vel Pulverum. Oleorum Eſſential. diſtillat. ex Aromatibus. Doſ. vulg. Infanti 6 Ann. gutt. ſs. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. ij. Juveni 30 Ann. gutt. iv.

Oleor. Eſſential. cæteror. vegetabil. Doſ. vulg. Infanti 6 Ann. gutt. i. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. vi. Juveni 30 Ann. gutt. xx.

Oleor. Empyreumatic. diſtillat. doſis vulgaris Infanti 6 Ann. gutt. i. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. v. Juveni 30 Ann. gutt. xij.

Hæc omnia in Vehiculis idoneis ſumenda.

Oleorum Expreſſorum, vel Cochleatim, vel Infanti 6 Ann. ʒi. Adoleſcenti 16 Ann. ʒiij. Juveni 30 Ann. ℥i.

Oleum Abſinthi Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Hoc unum eſt ex Oleis magis ingratis; odorem emittit fortem abſinthii, et totum continet ſaporis ejus faſtidioſi, parum autem vel nihil amaroris ipſius, hoc integre, in decocto remanente poſt diſtillationem, relicto. Oleum hocce ab Hoffmanno commendatur ut mite anodynum in contractionibus ſpaſmodicis; ad hoc propoſitum, præſcribit Ol. hujus ʒi. ſoluti in Sp. Vini Rectificat. ℥i. cujus Miſturæ gutt. vij. vel viij. pro doſi i. in quovis vehiculo convenienti ſumendæ.

Boerhaave in Febribus tertianis magnopere prædicat hujus Olei circiter gutt. vij. prius triti cum Sacchar. ʒi. dein cum Salis Abſinth. ʒij. et abhinc cum Aqua ejuſdem Plantæ ℥vi. vel in ejuſdem defectu in decocti eadem quantitate: bihorio antequam Paroxyſmus expectatur, ægri pedes et crura in Aqua calida proluantur, tumque liquoris hujus medicati Salini ℥ij. ſingulis horarum quadrantibus ebibat, uſque dum hor. ij. expirentur; ab hac methodo, ait, omnes hujus generis caſus univerſe curantur tute et facile, ea lege ut nullus Scirrhus vel ſuppuratio adſit Oleum Abſinthii Stomachicum eſt interne ſumptum, Febribus intermittentibus confert, prodeſt ventri inflato externe applicatum. A Noſtratibus præcipue uſurpatur ut vermiſugum in Emplaſtris, ad

hanc intentionem Ventriculo vel Abdomini applicatis; vel Oleum externe adhibetur, et interne ſumitur. Vel Goſſipium, in hoc immerſum et umbilico applicatum, Vermes Infantium enecat: commodiſſime in forma Pilularum porrigitur, in quam reducatur commiſcendo cum Mica Panis. Doſis eſt a gutt. i. vel ij. ad viij. ix. vel x. in vehiculo idoneo.

Oleum Amygdalinum Amarum. }
Oleum Amygdalinum Dulce. } *per Expreſſionem.* *p.* 35.

Olea hæc ab utriſvis indiſcriminatim obtinentur; ambo enim congenera et ipſiſſima ſunt; ut et Olea Juglandium Lini et Sinapis per expreſſionem; nihil habent ſaporis peculiaris ſubjectorum, a quibus extrahuntur: Oleum Sinapi Seminum æque molle, inſipidum, et pungente vi vacuum eſt, ac Oleum Amygdalarum dulcium, Sinapi quippe pungentia in placenta integre remanet, poſt expreſſionem, relicta. Cum ſincera ſunt, omnia ejuſdem ſunt propemodum qualitatis, conveniuntque in virtute ſua communi emolliente. Solidas Fibras criſpatas et induratas leniunt, emolliunt, relaxant et flexibiles reddunt, Anodyna et Balſamica ſunt, acrimoniam humorum obtundunt; et hoc modo interne inſerviunt Stranguriæ, vel Urinæ ardori et ſuppreſſioni, Colicis et Nephriticis doloribus, Raucedini, Tuſſibus, Aſthmati, Phthiſi, Expectorationi,

pectorationi, etiamque Urinæ promovendæ, ventri ſolvendo, et dolori mitigando: Obſtructiones aperiunt, meatus lævigant, cruda et recentia carnis vulnera expedite ſanant, exſuccas ſcabies et Eſcharas decidere efficiunt, et partes denudatas tuentur ab Aere deſiccante. Hippocrates in ſævis doloribus commendat Hauſtum Oleorum talium expreſſorum, cum Aqua: ita ſi Cutis illinatur hoc Oleo in Morbillis, Variolis, vel Cauſo, multi emolumenti eſt in poris cutaneis relaxandis; Idem Medicamentum eximium eſt in omnibus ſpaſmodicis et inflammatoriis Caſibus, ut Ileo Angina, Pleuritide, Convulſionibus, &c. Hæc Olea nulla induuntur acrimonia, mitigant autem vim hujus in Corpore. Oleum utrumlibet, ſervando in loco calido, vel Aere aſpero perpaucos dies, æſtivo tempore, rancidum fit, lenem et mitem naturam exuit, admodum acre, corroſivum, inflammatorium, Cauſticum, et viroſum evadit, ſaporis valde pungentis faſtidioſique, Vomitum, Diarrhœam, tormina parit, qua ratione Medicus quotieſcunque præſcribit Olea expreſſa, caveat ut ſint recens extracta, alias hæc epota æque Cauſtica evadunt, ac Euphorbium ipſum, morboſque vehementer inflammatorios inducunt.

Ambo hæc Olea interne dantur a ℥ſs. ad ℥iij. vel ultra; Geoff. inquit ad ℥viij. repetantur trihorio vel quadrihorio quovis, ſi opus fuerit; Morbis Pulmonum et Thoracis valde

 ſuccurrunt.

ſuccurrunt. Ad Infantium tormina coch. i. pro vice una ſumatur cum Syrupo Pectorali, vel Syrupo ex Althæa; ad eorum Tuſſes cum Syrupo Papaveris Erratici, vel Violarum; Puerperis porriguntur ad aliquot uncias cito poſt Puerperium, per ſe, vel cum Juſculo ad Lochia ſuppreſſa cienda, Secundinas retentas expellendas; etiamque ad Pleuritidem poſt Venæſectionem, propriis intervallis, et valde prævalent, ubi morbus, et Oleum recentia ſunt. In Clyſteribus injiciuntur ab ℥iij. ad viij. ad inteſtina lubricanda, fœcum induratarum ejectionem promovendam; ad Colicam, Alvum adſtrictum, Arenulas Nephriticas, ſabulum, Calculum, Dyſuriam, Teneſmum, Dyſenteriam, et urinam cruentam. Externe applicantur partium particularium tenſionibus et rigiditatibus, Inflammationibus ſedandis, et Tumoribus reſolvendis. In Aures inſtillata, vel cum Goſſipio indita, cerumina emolliunt.

Oleum Amygd. dulc. exhibetur interne, cum dimidio Lixivii Tartari, in Iliaica paſſione, convolvulo, eodem tempore applicando abdomini Sacculum ex Paregoricis, ut Flor. Lavendulæ, Chamæmeli utriuſque, Mentha criſpa, Camphora, &c. Ol. Amygd. dulc. cum Sevo fiſſuris Papillarum, et Rhagadiis adhibetur.

Hauſtus Emeticus pro tenera conſtitutione.

℞. Ol.

℞ Ol. Amygd. dulc. vel Ol. Olivar. ℥iv. Aq. tepid. ℔i. m. et ſumatur ad ℥ij. vel iij. et ultra, viciſſim. Vel,

℞. Ol. Amygd. dulc. Oxymel. Scillitic. ana ℥iv. m. et ſumantur Coch. iv. per vices, donec operatur.

Mixtura Balſamica Nephritica.

℞. Balſam. Tolutan. ℥ſs. Vitelli Ovi ope permiſceatur et diſſolvatur, tunc adde Ol. Amygdal. rec. extract. Aq. Hord. Syrup. ex Althæa ana ℥iij. m. Doſ. pro re nata Coch. iij. vel iv. egregie cataractas Renales reſerat, Ureteres glabros reddit, Calculos Renum, et Urinam provocat, Ureterum eroſiones et Ulcera ſanat. Morbis pectoris medetur; Expectorationem promovet, Tuſſim ſedat.

Amygdalæ dulces N°. vi. vel viij. decorticatæ, ſemel et ſimul comeſtæ, ſodam vel ardorem ventriculi impræſentiarum mitigant.

Si L. B. Oleorum horum Vires ſpecialius voluerit, tradentur infra.

Oleum Anethi Eſſentiale Seminum. p. 36.

Hoc Oleum valde calidum eſt, ſaporis non valde congrui, aſſimilis ſeminum: Neuroticum eſt, Stomachum corroborat, eximium eſt Remedium, præſertim in Elæoſaccharo; interdum exhibetur adverſus Stomachi flatulentias; ſuccurrit Colicæ, convulſionibus, doloribus Capitis, Nervorum, Artuum; Singul-

tibus, Cardialgiæ, et hujuſcemodi. Externe commendatur ad Cephalalgiam, et ad ſomnum procurandum, in qua conditione recens eſſe debet, et ſupra tempora perfricari; non frequenter in uſum ducitur. Doſ. a gutt. i. ad iij. vel iv.

Oleum Aniſi Eſſentiale Seminum. p. 36.

Hoc eſt unum mitiſſimorum Oleorum diſtillatorum; Odorem et Saporem Aniſi perfecte poſſidet: odor hujus eſt valde durabilis et longe diffuſilis; eximium eſt Carmintaivum, Inteſtinorum ſolamen; eorundem et morbis, Stomachi debilis, et Thoracis ſuccurrit a craſſo viſcido, tenaci phlegmate, vel a cauſa frigida ortis: Pectorale eſt et frequenter adhibetur in Reſpiratione difficili, Aſthmate, et Tuſſi ſicca, in Colica, Diarrhœis, capitiſque doloribus. Doſis a gutt. i. ad iij. vel iv. in Saccharum inſtillata; vel in liquorem convenientem, Sacchari interpoſitione. Sumatur a gutt. ij. ad xx. pro Doſi, quanquam Praxis vulgaris raro excedit gutt. vij. vel viij. Non utile eſt in Pulmonum Phthiſi, Febribus Hecticis, vel hiſce, proclivibus. Valde penetrans eſt ad tormina Infantum, ſi eorum Umbilici eo ungantur; diſcutit et reſolvit, nonnullique, pubes, et Renum regionem hoc inungunt ad tormina, atque ad Urinam promovendam. Foreſtus hoc commendat in Ictibus, contuſionibus

onibus nigricantibus, et liveſcentibus, externe applicatum. Lac ex mammis ſuctum, poſt hoc aſſumptum, imprægnatur odore hujus, unde fortean fundamentum Virium pectoralium huic vulgo aſcriptarum, partim debetur: a nonnullis fertur hoc minus efficax eſſe in flatulentiis et Colicis, quam Semina ipſa, quorum doſis eſt a ℈i. ad ʒi.

Oleum vel Butyrum Antimonii.

Vide Virtutes ſub Cauſtico Antimoniali. Schol. p. 86.

Oleum Buxi. p. 37.

Hoc Oleum Empyreumaticum rari uſus eſt in Medicina; Sunt tamen, qui Oleum ex ligno diſtillant, ſumme narcoticum: idque non ſolum ſummopere commendant in Epilepſia, Odontalgia, dentibuſque carioſis, ſed in Verminatione. Schrod. Fertur eſſe Antiſpaſmodicum, et effecta fauſta edere in paroxyſmis Hyſtericis, et Hæmorrhoidibus. Geoffroy ait, quod hoc Oleum rectificatum, interne ſumptum, Anodynum et Diaphoreticum eſt. Doſ. a gutt. x. ad xx. Externe perhibetur curaſſe impetiginem vel Lepram Græcorum. gutt. i. cavo Denti carioſo inditum odontalgiam curat. Præſens praxis hoc non

non ſæpe præſcribit niſi externe. Oleum Buxi, ut et Saſſafras, Juniperi, Guaiaci, atque Olea acida cujuſvis vegetabilis, uſui ſunt in cura morbi venerei, in omnibus putridis, et Caſibus peſtilentialibus. Boer. Chem. Decocto Ligni Buxi Lues Gallica æque curatur ac Ligno Guaici. R. Cat. Angl.

Oleum Carui Eſſentiale Seminum. p. 36.

Hujus ſapor ad amuſſim ſimilis eſt Seminibus Carui, Oleum eſt valde calidum, pungens et diſcutiens. gutt. i. eſt doſis mediocris, et gutt. v. vel vi. doſis valde ampla. Non infrequens ejus uſus ut Carminativum, in flatulentis Colicis; et a nonnullis habetur peculiarius utile ad urinam promovendam, cui nonnihil odoris ejus impertit. Stomachum roborat, frequenter præſcribitur ad gutt. i. cum doſi pilularum Catharticarum, ad tormina prævenienda.

Oleum Caryophyllorum Eſſentiale Aromaticorum. p. 37.

Hoc Oleum acre, aromaticum eſt, Stomachum adurit, aliaque viſcera, in nimia quantitate aſſumptum. Morbis frigidis Capitis ſubvenit, Vertigini, Cephalalgiæ, Lipothymiæ, Cordis palpitationi, Stomacho debili, impotentiæ Venereæ, Menſium ſuppreſſioni, et

et Hyſtericis. Hujus Olei gutt. i. doſis eſt extrema, cum Catharticis immiſcenda. Externe prodeſt Oſſium cariei, Odontalgiæ, Apoplexiæ pituitoſæ. Gutt. i. cavo denti inditum cum Goſſipio dolorem mitigat ejus, et gutt. i. carnem corrodit, et cruſtam inducit, ſi aliquantiſper applicetur; miſceatur cum Sacch. cand. vel paucillo Ovi vitello, alias non diſſolvetur in Aqua. Si paretur in Elœoſaccharum, atque cum Vino vel Aqua commiſceatur, Remedium excellens præbet puerperis, in languore et dejectione parturientium, et maximi emolumenti in alleviando, vel eludendo Febris intermittentis paroxyſmum. Oleum hoc ſæpe adulteratur cum Oleo Amygdalarum dulcium, &c. fraus autem hæc facile detegitur ob gravitatis ſpecificæ debitæ indigentiam, et tardum in Aqua deſcenſum. Si cum duplici quantitate Spiritus Nitri commiſceatur Oleum Caryophyllorum, inſtanter flammam concipiet. Oleum Pimentæ chemicum ſuppleat locum Olei Caryophyllorum, Macis, et N. M^æ^.

Oleum Caryophyllorum Aromaticorum Eſſentiale ingreditur Pilulas ex Colocynthide ſimpliciores, et Pilulas ex Colocynthide cum Aloe.

Oleum Chamæmeli Eſſentiale Florum. p. 36.

Corrigit Cathartica uti præcedens: Carminativum eſt, Antiſpaſmodicum, aperitivum, modice anodynum, Anthelminthicum vel Vermifugum, Anticolicum, Antinephriticum, Antihyſtericum, Menſes et Urinam ciet, inſignis uſus eſt in cruciatibus ſpaſmi flatulenti, Colicis et convulſionibus. Exhibetur in Bolis a gutt. i. ad ij. pro doſi. Pilulæ ex hoc cum mica Panis convenienter parari poſſint: Flores Chamœmeli externe emolliunt, diſcutiunt, et reſolvunt; ingrediuntur Fotum communem, et Decoctum commune pro Clyſtere in dolore pleuritico.

Oleum Cinnamomi Eſſentiale Corticis. p. 104.

Acre eſt Aromaticum, pungens eſt ſtimulans; in nimia quantitate ſumptum Stomachum aliaque viſcera adurit, Congrui eſt ſaporis inſtar Cinnamomi ipſius; Menſes promovet, et partum accelerat, Viſcera ſpirituſque recreat. Hinc ejus uſus frequentiſſimus eſt in Virium imbecillitate, Lipothymia, Capitis, Ventriculi, et Uteri affectibus frigidioribus: prodeſt in partu difficili a virium proſtratione, et poſt puerperium, ubi nulla adſit inflammatio; præſcribitur ſæpe in Bolis, vel

vel pulveribus conteritur; gutt. i. ſufficiet pro doſi, quia valde calidum eſt; potenter Stomachum et Nervos corroborat, digeſtionem adjuvat, flatus diſcutit, et Colicam curat: nobile Antihyſtericum, et Cardiacum potentiſſimum eſt in Syncope ob defectum motus in ſpiritibus, cujus gutta una communicabit lautiſſimum Aromaticum ſlavorem Pintis v. vini; vel ſi gutta una prius ſimul cum Sacchari ʒi. diu trita ſit in Mortareo vitreo (quo diutius eo melius) tum diſſolvatur in Aq. font. ℔v. præbet Cordiale, quod mire reficit Spiritus animales, et protinus ſuſcitat Corpus a ſtatu languido et depreſſo.

N. Omnia Olea Aromatica diſtillata, interne ſumpta, prius debent inſtillari Saccharo, et debite dilui quam uſurpentur. Vis aſtringens ipſius ſi ullibi, in Extracto, vel Pulvere, vel Tinctura potius quærenda eſt, quam in Oleo ejus.

Cinnamomi ℔i. per diſtillationem præbet Olei guttas x. parvulas. Vid. Aq. Cinnam. Simplicem, et Spirituoſam.

Oleum Copaivæ Compoſitum. p. 39.

Ambigitur, utrum Guaiacum, quod in hoc Oleum ingreditur, Virtutes ejus huic Balſamo impertit; ideo Potio balſamica ſequens, quæ ex iiſdem conſtat Pharmacis ſine diſtillatione, locum

locum hujus Olei Empyreumatici ſupplere poſſit.

Potio Balſamica.

℞. Balſ. Copaiv. ℨiij. Gum. Guaiac. ℨi. cum Vitell. Ovi probe terentur, tum adde liquoris cujuſvis idonei, Vini albi, vel Aq. font. ℥vi. Syr. ex Alth. ℥ij. m. f. Potio, ad uſus infra dictos, cujus doſis ſit Coch. ij. bis in die. Alvum ſat bene purgat per inferiora, nonnunquam etiam per ſuperiora; ſi vero Alvum juſto magis moverit, vel doſis minuatur, vel per vices ſubinde omittatur.

Hæc Potio Balſamica, medicamentum eſt magni momenti et efficaciæ in Rheumatiſmo, Arthritide, Hydrope, Catarrhis, aliiſque morbis a Phlegmate, mucilagine, aut flatibus oriundis; in Lue venerea, Diarrhœa, Dyſenteria, aliiſque fluxibus Alvi; in Fluore albo, virulentia prius demolita; intrinſecus ſumptum ſuccurrit Renibus, Veſicæ, et Ureteribus cum ulcerentur, vel obturentur arenulis, Sabulo, vel Calculo; Meatus Urinarios ab immunditie detergit, inſigniter Viſcera roborat, in Dyſuria urinam provocat et ſudorem; hinc in Scorbuticis, cutaneis, aliiſque morbis, natales ducentibus a Glandularum excretoriarum obſtructionibus, et ubi torpidi ſeroſi humores abundent, eminenter utile evadit. Vulnera et ulcera interna detergit et ſanat.

Balſami Copaivæ Infanti 6 Ann. doſ. gutt. ij. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. xij. Juveni 30 Ann. gutt. xx.

N. B.

N. B. Balſama nativa, cum ad diuturnum uſum expetantur, debent minori doſi ſumi: ob eorum acrimoniam enim, æſtum et amaritiem, nonnihil Aſperæ Arteriæ, pulmonibuſque infeſta ſunt. Linimentum Balſamicum parari poſſit ex partibus duabus. Sp. V. et parte una Balſ. Copaivæ valde conveniens in Rheumatiſmo, Paralyſi, &c. Geoffroy.

Oleum Cornu Cervi. p. 49.

Hoc Oleum ſudorem pellit, Febribus intermittentibus, Epilepticis et Hyſtericis paroxyſmis permagno præſidio eſt. Doſ. a gutt. i. ad v. ſive Rectificatum, ſive ſemel modo diſtillatum ſit.

Oleum Rectificatum miſcetur cum Unguentis, ut Unguento viridi, vel ſimilibus, et externe applicatur Tumoribus duris, et frigidis emolliendis et diſcutiendis, in Glandulis induratis ſi inflammatio non adſit: Tumores frigidos imprimis reſolvit, et Partes paralyticas roborat. Effecta hujus Olei magis ſenſibilia ſunt, ad ſudorem promovendum, ſomnum magis placidum, quietum, ſerenum et pacatum procurandum, qui nonnunquam per horas 24 continuatur, et rariſſime comitatur cum languore vel aliis inconvenientiis, quæ frequenter uſum Opiatorum ſubſequuntur.

Oleum Cymini Eſſentiale Seminum. p. 36.

Hoc unum eſt majorum calidorum ſeminum, et minus gratorum Oleorum. Neuroticum eſt, Carminativum, uſurpatur præſertim a frigidis, flatulentis Hyſtericis in Tympanite, et Colicæ doloribus, Tumoribus Abdominis, præſertim puerorum; etiamque in morbis et doloribus thoracis, Lateris, Stomachi, et Inteſtinorum. Doſis gutt. ij. vel iij. Odorem fortem Urinæ impertit, hinc æſtimatur ſpeciatim utile excretioni ejus, præſtantius et efficacius Oleo Carui, et ejuſdem eſt qualitatis.

Oleum Fuliginis Lignorum combuſtorum. p. 50.

Diverſi animadvertunt hujus Olei gutt. ij. vel iij. datas iis, qui in extremis agoniis verſari videntur, mirifice illos reviviſcere, atque ſi ſudorem copioſum eliciat, convaleſcentiæ ſignum certum eſſe: ſin ſecus, mortis indicium imminentis: Sal volatile hujus probe purificatus idem efficiet.

Oleum Hyperici Florum per Infuſionem. *p.* 134.

Flores Hyperici nihil habent commendatione dignum, ut vulnerarium, præterquam præjudicium et ſuperſtitionem Monachorum. Nihilominus Hypericum diu celebratum fuit ut corroborans, diureticum, et vulnerarium; ſpeciatim autem in Hyſtericis, Hypochondriacis; et Morbis maniacis, Tertianis, Quartaniſque, cum Vino potum, liberat. Diaſc. per Ruellium. p. 300.

In fomento, Nervinum, Vulnerarium vel traumaticum eſt, doloribus omnigenis et debilitati multum ſubvenit, Contuſiones et Tumores reſolvit, vulnera et ulcera ſanat, et extrinſecus præcipui uſus eſt in iis detergendis, diſcutiendis vel conſolidandis: Eryſipelati, Ambuſtis, Colicæ, Tumoribus Arthriticis, Iſchiadicis, Artuum morbis, ut Luxationibus (adjuvante manuali operatione) ſuccurrit. Meatuum Urinariorum obſtructionibus auxiliatur: Sanguinem coagulatum reſolvit, Sabulum et Calculum Renum expellit, et vermes Infantium enecat. Hæmoptyſin, et urinæ cruentæ Mictionem ſublevat: Urinam et Menſes promovet. Adhibetur a Lithotomis.

Flores Hyperici ingrediuntur Oleum Hyperici, et Folia Confectionem Damocratis vel Mithridatium, et Theriacam Andromachi.

Oleum Juniperi Eſſentiale Baccarum. p. 36.

Carminativum, Stomachicum, ſpecifice diureticum et Emmenagogum eſt : præſcribitur ſæpe in Scorbuto frigido, doloribus colicis, Nephriticis, Arthriticis, Morbo Venereo, etiamque in Gonorrhœa ſimplici, Ulceratione venerea, et Partium Genitalium eroſione ; ſtimulans et detergens eſt, Meatus urinarios mundificat, uti liquet ab odore ejus in urina ; et impregnari videtur aliquantulum Terebinthinarum indole, vel earum Oleo diſtillato, quibus ſimilarem, communicat Urinæ odorem Violarum : Balſamicum eſt, cum purum ſit et ſine adulteratione ; aliquoties autem adulteratur cum Oleo Terebinthinæ : Eximie Nervos roborat, eorum affectibus frigidis, et imbecillitati conducit : Lethargo, Apoplexiæ, Tumoribus frigidis, Paralyſi, Sciaticæ, Viſcerum obſtructionibus, præſertim Hepatis, Ictero et Hydropi ſuccurrit, incidendo, attenuando, et aperiendo : Partum Lochiaque accelerat, et ſecundinas abducit, Vermes enecat, Febri Quartanæ, Articulorum contractionibus, Inflationibus, torminibus, Aſthmati, Hyſtericis, Tuſſi, et Morbis Thoracis ſubvenit. Doſ. a gutt. i. iv. vi. viij. ad xx. vel ultra in vehiculo idoneo. Vid. Aq. Junip. comp. p. 50.

Miſtura

Miſtura Juniperina modo ſequenti fiat.

℞. Ol. Junip. ʒi. Vitel. Ovi. N°. i. Syr. Simpl. ℥ij. m. et cola Doſ. Cochl. i. bis terve in die vacuo ventriculo, quem, et inteſtina refrigerata, flatuoſa, tono fracta, et dolentia, ſumme relevat: Renes et Ureteres debilitatos, a muniis feriantes, et infractos egregie reficit ſtimulat, et purgat.

Eodem Artificio efficaciſſimæ poſſunt inſtitui Miſturæ ex Quibuſlibet Oleis Chemicis, pro varia ſcribentis intentione.

Oleum Lateritium. p. 37.

Praxis vulgaris impræſentiarum hoc Oleum Empyreumaticum, et putidum Remedium integre expulit; et Collegium Edinburgi ex Pharmacopœia ipſius expunxit.

Oleum Lavendulæ Eſſentiale Florum. p. 36.

Medicamentum eſt frequentis uſus, tam externe quam interne, in Vertigine, convulſionibus, Epilepſia, Apoplexia, Paralyticis et Lethargicis conditionibus, doloribus Rheumaticis, et Nervoſi Syſtematis debilitate, a craſſis, frigidis, pituitoſis humoribus. Doſ. a gutt. i. ad v. vel vi. a nonnullis habetur Specificum in Convulſionibus et vulneribus Ner-

 vorum,

vorum, externe adhibitum, præſertim ſi miſceatur cum Balſamo Peruviano.

Vid. Sp. Lavend. ſimpl.

Oleum Limonum Eſſentiale Corticum. p. 12.

Hoc Oleum eſt Eſſentia Limonum ſic dicta; eſt Cardiacum, Carminativum, in Stomachi debilitate, &c. quanquam frequentioris uſus eſt ut odoramentum. Dat ſlavorem gratum Spiritui Salis volatilis Aromatico, et Pilulas Saponaceas Stomacho magis congruas reddit. Ingreditur Ung. ſimplex, et Ung. e Sulphure.

Oleum Lini Seminum per Expreſſionem. p. 35.

Hoc Oleum recens, et frigide extractum, anodynum eſt, lenit, demulcet, emollit, digerit, et maturat, acrimoniam et Aſperitates obtundit, aciditates involvit, et Ventrem relaxat; commendatur præſertim in Aſthmate, Dyſpnœa, Tuſſibus, Colica, Pleuritide, Rheumatiſmo, Iliaca paſſione, dolore Nephritico, Sabulo, Calculo, Pulmonum inflammatione vel Peripneumonia, Empyemate, dolore Stomachi, Hæmoptyſi, Dyſenteria, in Expectoratione promovenda, et partibus affectis ſanandis, per ejus Balſamicas et emplaſticas proprietates. Doſis ab ℥i. ad ij. pro re nata:

Venæ-

Venæſectione præmiſſa, in Arthritide vaga vel Rheumatiſmo nihil magis valet, quam Olei hujus ℥ij. quavis Aurora. Boer. de materia Med. In Tuſſi, Dyſpnœa, et Pleuritide, cochleatim ſumi poteſt, ab ℥ij. ad iv. et 4ta. vel 6ta. quaque hora repetatur, uſquedum ægro adjumentum afferat. Magnum Arcanum eſt in Dyſenteria, et Remedium eximium in Calculo, cum Terra Sigillata, Japonica, et Cimolia vel Fullonum.

Infantum Lumbricos vivos, enectoſve expellunt, Olei hujus ℥iij. in Clyſmatis forma: ad Ani abſceſſus, Hæmorrhoidum dolores, fæces induratas unde Colica, injicitur per Clyſterem. In Clyſteribus etiam adhibetur ad ℥vi. vel ℥viij.

Externe applicatum, dolores lenit et mitigat, membra rigida relaxat et flexibilia reddit, Tumoreſque maturat.

Vid. ſub Ol. Amygdal. p. 276, &c.

Oleum Majoranæ Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Oleum valde calidum eſt et Penetrans; Exiſtimatur ſpeciatim utile obſtructionibus, et egeriei mucoſæ ab alvo a cauſà frigida; Cephalicum, Carminativum, antiparalyticum, Emmenagogum, et Uterinum eſt: Epilepticis, et Apoplecticis, iiſque qui loquelam amiſerint, hoc oleum maxime opitulatur, gutta nempe i. vel ij. Linguæ impoſita cum Saccharo;

charo; Febri quartanæ reſiſtit, ante paroxyſmum propinatum, Nuchæ et Spinæ dorſi inunctum. Hartman. Chem. p. 417. Nonnulli hoc laudant ut arcanum adverſus Odontalgiam. Fragrantiſſimum eſt Aromaticum, odore ejus Cerebrum confortat, prodeſt Catarrhis et defluxionibus. Externe ſæpe uſurpatur in Emplaſtris pro Vermibus Infantum abdomini applicatum.

Folia Majoranæ ingrediuntur Pulverem Sternutatorium Officin.

Oleum Menthæ Piperitidis Foliorum. p. 36.

Inſigniter pungens et ſubtile eſt, calorem per Syſtema Nervoſum diffundit fere quamprimum ſumitur. Eximium eſt in Colicis frigidis, et Hyſtericis. Doſ. gutt. i. vel ij. generatim ſufficiunt. Cæteras vires vide ſub Aq. Menthæ piperitidis ſimplici. p. 51.

Oleum Menthæ Vulgaris Eſſentiale Foliorum, p. 36.

Calfacit, ſiccat et attenuat: ſummi uſus eſt in Flatibus diſcutiendis, ventriculoque roborando; non raro exhibetur in appetitus defectu, ſtomachi frigidi debilitate, nauſea continua, vomendi nixibus, Hyſterica paſſione, et hujuſmodi morbis non conſociatis cum ardore

dore et inflammatione, etiamque ubi materies Arthritidis intus in Viſcera ſit delata. Doſis gutt. ij. vel iij. vel plures. Boerhaave ait, quod debilitatem Stomachi fere paralyticam roborat; in Elæoſaccharis Stomachicis doſ. a gutt. ij. ad x. pro variis vicibus, apprime conducit. Externe etiam adhibetur ad eadem propoſita: Eximium eſt in Emplaſtro Officinarum Stomachico. Vis hujus adſtringens non reſidet in Oleo, aſt in Herba ſiccata vel Tinctura ejus, et diſtillatione per Alembicum nequaquam elevari poteſt. Vid. ſub. Aq. Menthæ vulgaris Spirituoſa. p. 52.

Oleum e Mucilaginibus per Decoctionem. p. 134.

Paregoricum eſt, lenit, digerit, et diſcutit: Tumores et Partes induratas magis emollit, maturatque, magis reſolvit, et citius Apoſtemata ſuppurat, quam Oleum commune, ſi partes eo fricentur. In Clyſtere acrimoniam Urinæ mitigat, Excrementa ſicca et dura humectat, emollitque, fibras inteſtinorum cum calore ſiccatas relaxat, unde nimis tenſæ et rigidæ evadunt pro ſuis naturalibus actionibus abſolvendis: uſus præcipui eſt in affectibus Veſicæ, in Pleuritide, &c. Illinit, obducitque Inteſtinorum Ulcera in Dyſenteriis, &c. Hoc Oleum paratur ad Emplaſtrum e Mucilaginibus, et ad Unguentum ex Althæa.

Oleum Nucis Moſchatæ Eſſentiale. p. 37.

Cephalicum eſt, Carminativum, Cardiacum, et Diureticum, conducit Epilepſiæ, Apoplexiæ, aliiſque Capitis affectibus; Torminibus, et Doloribus Nephriticis ſuccurrit; Stomachicum bonum eſt; ſingultum et Vomitum prævenit, et digeſtionem adjuvat, ſi Regio Epigraſtica eo inungatur. Doſ. a gutt. i. ad iv. Reſilit in Stomacho nonnullarum Conſtitutionum.

Vid. Aquam Nucis Moſchatæ ſpirituoſam. p. 53.

Oleum Olivarum maturarum per Expreſſionem. p. 14.

Peregre importatur, qualitas ejus non multum differt ab Oleo Amygdalorum, quod vid. Schol. p. 276.

Calfacit, humectat, emollit, maturat, digerit, Vulnerarium eſt, alvum ſolvit, ariditatem pectoris, vel ſtricturam relaxat, tormina Ventris mitigat, Meatus urinarios relaxat, eroſos abſtergit et conſolidat. Schrod. Optime acrimoniam omnigenam lenit, et obtundit; hinc eximium eſt ad Venena corroſiva omnimoda; Tuſſibus, Dyſuriæ, ſabulo, calculo,

calculo, ſubſidio eſt, et Vermes enecat. Cochleatim exhibitum Dyſenteriam curat, Ventri inunctum laxat ipſum, et Colicam alleviat. In Clyſteribus Vitello Ovi commiſceri debet, alias cum Aqua non uniet: Quando Excrementa ſunt emollienda, Enemata oleoſa convenirent, quæ dolorem Paſſionis Iliacæ pariter levant; cum Aqua calida ſumptum vomitum movet. Ab Experientia nuperrima compertum eſt, hoc Oleum abſolute mederi Viperarum morſibus, in partem vulneratam, ante focum, probe perfrictum; vel ad minimum, æque efficax eſt ac Oleum Viperarum. Venenum Viperinum agit, Sanguinem coagulando in Venis, a parte primo affecta verſus Cor, et dictum Oleum in hoc Caſu producit ſalutare effectum, præveniendo talem coagulationem. Ab hac circumſtantia, ſimul cum uſu frequenti Oleorum, et Unctionum, a Medicis antiquis, penitus cogor ſuſpicari externum uſum Oleorum potentiſſime prævenire Sanguinis coagulationem, cum ad concretiones diſponatur ab aliis cauſis, præterquam Morſum Viperarum. James, Pharmac. p. 385.

Hoc Oleum ſumme valet adverſus Viperarum morſus, ſi Vulnus hoc tepido perfricetur; Sin venenum ulterius altiuſque ſe diffuderit in corpore, Vulnus calefacere ſuper Batillum menſarium carbonum ligneorum, antequam Oleum calidum applicetur, plurimi emolumenti

menti et efficaciæ in moribundis foret a morſu. Admoneo hoc ſæpenumero adhiberi ad curam confirmandam, etſi nulla mala ſymptomata palam proferantur; quod ſi male ſe res habeat, Virus in interiora irrepſerit, totamque Sanguinis maſſam corruperit, æger hoc Oleum intus ſumat. Nunquam fruſtraneo eventu porrigitur, ſi modo recte applicetur. Nonnulli verum de hoc addubitant.

Regalis Societas in Philoſophicis Tranſactionibus. Vol. 39. No. 443. Vol. 40. No. 445. 451. et Tentamina Medica a Societate Edinburg. Vol. 2. p. 468.

Oleum Olivarum, &c. Oculis noceat, ob calidas, acres, acutas particulas in ipſo contentas; etſi hoc Oleum generaliter habetur ſummum mite et molle tam uſu interno, quam externo; quod demonſtrant Cuniculi domeſtici, Montis Peſſuli, Urinam enim cruentam reddidere ex foliorum Olivarum paſtu. Hans Sloan Mil. de Oculis.

Oleum Olivarum ingreditur Compoſita ſequentia Ph. Lond. Balſ. Locatelli, et Balſ. Sulphuris ſimplex, Catap. Maturans, Ceratum album, citrinum, Epuloticum, et Mercuriale; Emplaſt. ex Ammoniaco cum Merc. Commune, Commune Adhæſiv. Commune cum Gummi, Commune cum Merc. e Minio, e Mucilaginibus, Roborans, et e Sapone: Linimentum album, et Tripharmac; Lotionem Saponac: Oleum Hyperici, e Mucilaginibus,

cilaginibus, Sambucinum, et Viride: Saponem ex Oleo Olivarum: Unguentum Album, Album Camphoratum, ex Althæa, (Baſilicon Flavum, Nigrum, et Viride) Cæruleum Fortius, Sambucinum, Saturninum, Tetrapharmacum, Tripharmacum, et Viride.

Oleum Origani Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Oleum eſt valde pungentis, acris Saporis, et odoris penetrantis, rariſſime ſumitur interne, ob ſummum ejus calorem igneum. Aperit, abſtergit, uſus præcipui in obſtructione Pulmonum, Hepatis ac Uteri, in Tuſſi Aſthmate, et Ictero. Schrod. Externe adhibetur præſertim ut Errhinum, et pro dolore Dentium mitigando, cum linteo vel goſſipio exceptum, (gutta i. ad ſummum,) denti dolenti admotum.

Oleum Petroeli Barbadenſis. p. 37.

Oleum eſt valde acre et ſtimulans, ac Empyreumaticum; bonum eſt ſudorificum, multum valet in Morbis Thoracis et Pulmonum, ſi æger non inflammatione laboret; externe diſcutit, et morbos paralyticos prævenit. Inter Noſtrates rariſſime ducitur in uſum, quoniam genuinum non ſæpe occurrit.

Menſtruum

Menſtruum eſt pro Sulphure, in Balſamo Sulphuris Barbadenſi conficiendo, et Oleum diſtillatur ab hoc. Geoffroy arbitratur hoc diſtillatum nequaquam neceſſarium, quoniam Oleum non majores habet virtutes quam ſubſtantia ipſa. Hujus locum ſuppleat Oleum Succini.

Oleum Pimentæ, vel Piperis Jamaicenſis Eſſentiale. p. 16.

Oleum eſt valde elegans, magis congruum, quam Oleum Caryophyllorum, ſuppleat locum Olei Macis, et non multo inferius eſt Oleo Nucis Moſchatæ, quæ tria redolet. Roborat Cor, Ventriculumque, Utero confert, flatus diſſipat, obſtructiones aperit, Urinam et Menſes evocat, frigus pellit, Colicis et Iliacis opitulatur.

Oleum Pulegii Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Hyſtericis, et morbis pleriſque Uteri a cauſa frigida oriundis ſuccurrit: Menſes promovet, utile eſt affectibus ſoporoſis, Vertigini et Paralyſi. Doſ. a gutt. i. ad iv. vel v. Vid cæteras Vires ſub Aq. Pulegii ſimpl. Schol. 53.

Oleum

Oleum Rhodii Eſſentiale Ligni. p. 36.

Hoc odoris eſt fragrantiſſimi, hinc inter odorifera merito enumeratur. Nec alias uſurpatur quam pro odore grato conciliando Unguento Pomato vel Unguento ſimplici, et ſimilibus; in doloribus Capitis, fronti et temporibus applicandum, Cephalicum, Cardiacum, et Cerebrum roborare cenſetur: pro Diuretico habetur a nonnullis interne ſumptum. Odoriferis autem plerunque inſervit, et adeo carum eſt ut generaliter adulteratur. Nullum adhuc Præparatum hujus Ligni elegantis Aromatici in uſum venit internum, ab experientia compertum. Hoc Oleum ſuppleat locum Olei Roſarum Eſſentialis, et Doſis Olei Roſarum Eſſentialis eſt a gutt. ii. ad iv. in vehiculo idoneo vel in Aqua Roſarum cum Saccharo probe trito, Cardiacum et Stomachicum eſt, valet in Syncope et palpitatione Cordis, ambo autem hæc Olea rariſſime Fœminis conveniunt, ob ſummam eorum fragrantiam.

Oleum Roriſmarini Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Eximium eſt in Paralyſi; et Apoplexia, niſi ſanguinei generis ſit, vel ex Cerebri Hæmorrhagia ortum ducat; Ictero ac Fluori Mu-

Mulierum albo medetur, Lochiis et Menſibus promovendis inſervit, cum ſupprimantur a debilitate, partiumve atonia, vel a torpedine humorum mucoſorum: Cephalicum et Nervinum eſt, uſus præcipui in Epilepſia, vertigine, Caro, &c. Hepatis, Lienis, et Uteri obſtructionibus, atque paſſionibus Hyſtericis ſubvenit Doſis a gutt. iv. vel v. paulo ante paroxyſmi acceſſum, curat Tertianas in vehiculo convenienti. Vid. Conſ. et Sp. Roriſmarini.

Oleum Rutæ Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Alexipharmacum, Cephalicum, et Nervinum eſt, uſus præcipui in variis morbis, Peſte, aliiſque affectibus malignis, præveniendis ac curandis, ſudore promovendo, et Veneno arcendo, pleuritide curanda, imbecillitate Ventriculi emendanda, et Morſu Canis rabidi debellando. Emmenagogum eſt, et nonnunquam adhibetur adverſus morbos Hyſtericos, et ſicuti Anthelminthicum. Uteri, Capitis affectibus, Colicis, flatulentiis ſuccurrit, a Nervorum relaxatione, præſertim cum Epilepſia vereatur. Expellit Fœtum, Lochia et ſecundinas: prodeſt ſtupori, Lethargo, et Paralyſi. Vid. Conſ. et Extract. Rutæ. Doſis Olei a gutt. ij. ad v. vel vi.

Ol.

Oleum Sabinæ Eſſentiale Foliorum. p. 36.

Partium eſt tenuium, incidit, attenuat, diſcutit, Uſus præcipui in Menſibus ſuppreſſis ciendis, a languore et laxitate, vel a cauſa viſcida frigida, et debilitate Vaſorum circulantium, Urinam pellit, accelerat ac promovet; Fœtus in partu et Secundinarum excluſionem, cum a cauſa frigida inerti retardentur vel ab impotentia materna; alias detrimentum infert nimis ſtimulando: commendatur in Arthritide, Lochia movet, prodeſt Ulceribus Gallicis. Doſis ſit gutt. iij. vel iv. in Vehiculo convenienti cum Saccharo probe tritæ. Externe frigidis Nervorum affectibus conducit, ut et duo præcedentia Olea: in Emplaſtris adhibetur contra puerorum Vermes Abdomini applicandis, atque in Balſamis nonnullis ad detergenda Ulcera fœda, Tumores Scirrhoſos reſolvendos, clavos pedum curandos, et eorum dolorem mitigandum. Vid. Extract. Sabinæ. p. 180.

Oleum Sambuci Florum per decoctionem et Expreſſionem. p. 135.

Diſcutiens, emolliens, reſolvens, et anodynum eſt, Uſus ejus externus; acrimoniam lenit, puſtulis faciei, Eryſipelati, Tumoribus

Ar-

Arthriticis, Abſceſſibus, et duris Tumoribus a Lacte coagulato, ſuccurrit.

Oleum Saſſafras Eſſentiale Radicis. p. 36.

Hoc eſt ponderoſiſſimum omnium notorum Oleorum Eſſentialium, limpidum inſtar Aquæ, ſaporis modice pungentis, et odoris fragrantis, valde conſimilis Saſſafras. Eximie calfacit, ſiccat, reſolvit, attenuat, diluit, diſcutit, et Sudores movet: Uſus præcipui in omni Morborum genere, præſertim obſtructionibus tollendis, partibus internis roborandis, Sterilitate emendanda, Lue Venerea curanda, et dolore Nephritico. Multum commendatur ad Sanguinem et Succos depurandos, et multi eſt emolumenti in Aſthmate humido et Tuſſibus: Inſtar Panaceæ in Catarrhis habetur, Coryza, et defluxionibus. Doſis a gutt. i. ad viij. vel x. licet Geoffroy aſcendit ad gutt. xx.

Miſce hujus Olei part. i. cum Spiritu Nitri rectificat. part. ii. immediate flammam concipiunt, et reſiduum in ſubſtantiam Reſinaceam convertitur.

Radix Saſſafras datur in Rheumatiſmo et Podagra, Scorbuto, Hydrope, Calculo, doloribus Colicis et Nephriticis, obſtructionibus Uterinis, cachexia, Menſibus ciendis, Gonorrhœa virulenta, Fluore muliebri virulento, in declinatione Febrium intermittentium, Spaſmis

Spaſmis Hypochondriacis, &c. in forma Decocti, Infuſi, vel Theæ. Nota, quo diutius decoquitur, eo magis aſtringit; et quo minus, eo magis aperit et attenuat.

Oleum Sinapi Seminum per Expreſſionem. *p.* 35.

Semina Sinapi contuſa, et prælo commiſſa præbent quantitatem non exiguam Olei mollis inſipidi, penitus acrimonia vacui; et placenta ab expreſſione reſidua magis pungens eſt, quam ante expreſſionem. Oleum hoc multum laudatur in omnibus Calculoſis conditionibus ab ℥i. ad ij. pro re nata. Boer, Chem. Emollit, et relaxat ſolida, ac acrimoniam humorum obtundit, hinc interne evadit utile doloribus, inflammationibus, Tuſſibus, Raucedini, Urinæ ardori, &c. in Clyſtere lubricat Inteſtina, et promovet ejectionem fæcum induratarum. Externe, Oleum Expreſſum utile eſt Rheumatiſmo, et morbis rigiditati aſſociatis, ſi pars affecta eo inungatur. Mite eſt, et minime ſimile Oleo ejus igneo et acri per diſtillationem acquiſito; prius æque molle, ac acrimonia expers eſt, ac Oleum Amygdalarum, quod vide, p. 276.

Semen Sinapi ab acrimonia et pungentia ejus ſolida ſtimulat, viſcidos ſuccos attenuat, et diſcutit, diureticum eſt, multum irritat mea-

tus urinarios, et fluidorum ſecretiones auget; hinc eximium eſt in Paralyſi, Aſthmate humido, Hydrope, defluxionibus ſenium concomitantibus, in appetitu excitando, et digeſtione promovenda. Utile eſt omnibus morbis a phlegmate tenaci oriundis, et cruditatibus in primis Viis; Febribus intermittentibus obſtinatis, Morbis Hypochondriacis, Splenis affectibus, Ictero, Cachexiæ, Chloroſi, Catarrhis frigidis, Lethargo, et morbis ſoporoſis; etiamque egregium eſt ætate provectis. Contuſum et Vino albo commiſtum eximium eſt adverſus ſcorbutum. Seminum doſis vulgaris a ℥ſs. ad ℥i. Nonnulli aiunt Coch. i. hujus Seminis pro vice ſumptum, utile eſt arthritidi a Stomacho abigendæ. Externe applicatum cum Raphano, Febricitantibus cum Delirio, ſuccurrit capiti.

Semen Sinapi pulveriſatum et contuſum ad conſiſtentiam Lohoc cum Aqua calida, in qua modicum Salis marini diſſolutum ſit, cujus Cochlear. i. et interdum Cochl. ij. dilut. cum Aqua calida porriguntur jejuno Stomacho, probe operatur ut Diureticum, et egregium Remedium evadit in pleriſque Nervorum Morbis. Tentamina Medica a Societate Edinburg. Vol. II. p. 381.

Oleum

Oleum Succini. p. 49.

Oleum hocce, repetita diſtillatione Rectificatum, acre eſt, et ſaporis pungentis, Balſamicum, penetrans, excitans, Diaphoreticum: Morbis Capitis, Uteri, et Nervorum ſuccurrit, Emmenagogum, Hyſtericum, et æque ſubtile ac Petroleum eſt: Multum valet in Ictero, Gonorrhœa ſimplici, etiamque vetuſta, ubi Balſama Terebinthinata optima interne deficiunt. Verum Oleum Succini non omnibus æque convenit, ſiquidem cernere eſt aliquas, quibus idem ructus odioſos excitat et valde eſt ingratum. Doſ. a gutt. i. ad xij. et doſis Olei non rectificat. a gutt. i. ad iv. vel vi. aliquoties præſcribitur in morbis Nervorum cum Sp. Salis Ammoniaci, Lavendulæ, aliiſve liquidis. Ex. gr. Spir. Lavend. Comp. ℥i. hujus Olei ʒi. M. doſis eſt a gutt. x. ad xxx. in vehiculo idoneo.

Externe inunctum ſubvenit doloribus Arthriticis. Apoplexiæ, Epilepſiæ, Defluxionibus, morbis capitis, aliiſque a cauſa frigida, fricando in partes affectas: calfacit, ſtimulat, et omnes Secretiones fluidas promovet; præſertim autem celebratur in Morbis Hyſtericis, et defectu Uterinæ purgationis. Aliquando uſum obtinet in Linimentis pro debilibus, paralyticis et torpidis membris, Doloribus Rheumaticis et Contracturis. Ex. gr. Sp. V. Camph.

℥vi. Ol. hujus ℥ſs. probe agitentur et hoc fomententur Partes affectæ.

Oleum Terebinthinæ. p. 38.

Hoc ſtricte et revera Oleum Eſſentiale eſt, quamvis hoc Titulo non dignatur; a nonnullis vocatur Spiritus Terebinthinæ improprie; valde calidum eſt, ſtimulans, penetrans, detergens, ſudoriferum, diureticum, expurgans Renes, Ureteres, atque Veſicam, efficax in doloribus Colicis, Arthriticis, Tumoribus Artuum continuis, membris paralyticis et ſtrigoſis, Aurium tinnitu, puncturis Nervorum; et in aliquibus Ulcerum circumſtantiis multi æſtimatur a Chirurgis. Nonnulli hoc commendant in Gonorrhœis Venereis, hic autem peſſimas circumſtantias induxit, partium inflammationem, et morbi aggravationem; Guttæ paucæ hujus Olei diſtillati, plerumque gutt. ij. vel iij. ſufficient pro doſi. In majori doſi datum, magnopere corpus calfacit, Cephalalgiam inducit, Spermatis effuſionem et Liquoris Glandularum Proſtatarum: Nihilominus nuperrime aſſumptum fuit a gutt i. ad viij. vel ultra, una cum melle, et aliis vehiculis idoneis, adverſus Sciaticam; atque uti fertur, bono eventu. Externe non parvi uſus eſt adverſus dolores Rheumaticos, Nervorum intenſiones, Tumores frigidos ad diſcutiendos, Hæmorrhagias e Vulneribus reſtringendas,

das, calidum applicando. Colorem natura-lem diminutum reſtituit, gangrænæ multum obſtat, Nervos roborat, fibras diviſas ſanat, i. e. Vulnera conſolidat, nullumque Unguentum citius curam perficit, ea conditione ut membra convenienti tempore quieſcant. Ricinos plurimum, et brevi necat; inunguendo ter quaterve, illorum Corpora cito decident.

Oleum Terebinthinæ Æthereum. p. 38.

Eſt tenue, ſubtile, pellucidum, penetrans, aperiens, Aromaticum, Specificum, Diureticum, Sudoriferum, ſanans, conſolidans, Anodynum, Stypticum, et Balſamicum Oleum, omnium fluidorum leviſſimum, dempto Spiritu Vini, unde nanciſcitur nomen Olei Terebinthinæ Ætherei. Non multum abſimile eſt Oleo Terebinthinæ antedicto, in gravitate ſpecifica, odore, ſapore, et medica qualitate, vilius potito ex Veſica cuprea per additionem Aquæ. Interne ſumptum ad paucas guttas, ob calorem ejus, poteſtatem habet Febris intermittentis paroxyſmum differendi frigidum; vel perfrictum in Spinam dorſi antequam Paroxyſmus accedat, ſæpe curat quartanas ipſas, &c. Cum in nimis larga doſi ſumatur, Caput afficit, Diabeten, et Gonorrhœam benignam inducit; mediocrius adhibitum ad Venerem ſtimulat. Nonnulli hoc Oleo utuntur in Gonorrhœa curanda ſed in-

caute, cum ſæpius ſtagnationem materiæ ad Teſtes delatæ creet. Maxime convenit doloribus Nephriticis et Colicis, in quibus ad miraculum uſque operatur. Doſis interne a Gutt. iv. ad viij. vel x. Annis nuperis multum laudatur in Sciatica cum Melle, vel Vehiculo quovis convenienti: Remedium eximium eſt ad Iſchiadem, et ab homine forti tute ſumi queat ad Cochleare i. minimum, quali Theæ potatores utuntur, immiſtum cum Syrup. ex Althæa ℥ſs. operam dando ut exinde exſudet, ebibendo Serum tenue, Zythogala, Salviatum, vel quod melius eſt, Decoctum Lignorum. Si cum hoc Oleo frigidi, pituitoſi, durive, ſcirrhoſi, Cancroſive Tumores calide fricentur in corporis Glanduloſis partibus, eos calefaciendo, relaxando, emolliendo, diſcutit et reſolvit, vel imminuet diſpergetque, ut et Tendines contractos, membra marcida, ſicca, rigida, immobiliaque, a Vulneribus, Fracturis, &c. inungendo bis de die calida manu ante focum. Tempore Hyemali et Gelu tuetur quamlibet corporis partem a frigore, pernionibus, Manuum, Pedumque Tumoribus, Fiſſuris, quibus medetur formatis. Eximium eſt Antiſepticum, et ſubſtantias animales in hoc ſuſpenſas a putredine conſervat. Summi uſus eſt in Chirurgia, Anodynum et Balſamicum ſummum, quum calidum applicatum puncturis membranarum, Tendinibus vulneratis, et Nervis laceratis, quos calefacit, conſtringit, criſ-

criſpat, et a corruptione præſervat, inſtar incantamenti; primo autem momento augetur dolor, mox mitior redditur, et tandem totus evaneſcit. Stypticum egregium, et diureticum eſt, Hæmorrhagias ſiſtit in Amputationibus, ubi Vaſa majora diſcinduntur, panniculos mundos Oleo hoc fervido imbutos admovendo Arteriis ſanguinem fundentibus, cum linteo, ligaturis, faſciis idoneis, et retinaculis, unde occluduntur et vindicantur ab Inflammatione, Gangræna, &c. Oleum Terebinthinæ Empyreumaticum, ſive Balſamum Terebinthinæ, non magni æſtimatur in Praxi. Oleum ſupradictum eſt pollinctura præſtantiſſima.

Oleum Viride per Decoctionem et Expreſſionem. *p.* 135.

Paratur ad Unguentum Viride, olim Unguentum Martiatum; calfacit, emollit, relaxat, dolores lenit et mitigat, Tumores a frigore, diſcutit, maturat, et obſtructiones reſerat: a quibus qualitatibus emolumenti eſt in tenſione, rigiditate, contractione partium particularium, inflammatione, atque in doloribus ab hiſce cauſis prodeuntibus. Inſignis uſus eſt in Clyſteribus in Pleuritide, dolore colico flatulento, et Cruciatibus Spaſmi flatulenti. Ingredientia hujus Olei valde calida ſunt, et con-

ſequenter Nervos nimis languidos et Segnes excitant.

Oleum Vitrioli. p. 45.

Oleum Vitrioli improprie dicitur. Vid. Sp. fort. Vitrioli.

Opium colatum vel Purificatum. p. 25.

Vid. Extractum Thebaicum ad Schol. p. 181. &c.

Opium ingreditur Confectionem Paulinam, Diacodion vel Syrupum e Meconio, Electarium e Scordio, Elixir Paregoricum, Extractum Thebaicum vel Opium Colatum, Mithridatium vel Confectionem Damocratis, Philonium Londinenſe, Pilulas Saponaceas, Pil. e Styrace, Pulverem e Bolo Compoſitum cum Opio, Pulv. e Succino compoſitum, Species e Scordio cum Opio, Theriacam Andromachi, Tincturam Thebaicam.

Oxymel ex Allio. p. 106.

Hoc Oxymel commendatur ad Phlegma viſcidum incidendum et expectorandum, Succos viſcidos attenuandos, et Secretiones fluidas ge-

generatim promovendas; proculdubio Medicamentum eſt magnæ efficaciæ, etſi valde ingratum, Allii ſapore prævalente, non obſtante Seminum Aromaticorum additione. Doſis Cochl. ij. bis de die. Magis gratum eſt Oxymel Scilliticum quam hoc. Vid. Syrupum ex Allio. Allium calfacit, ſiccat, incidit, aperit, diſcutit, et Alexipharmacum eſt. Uſus præcipuus internus, et externus, in Colica flatulenta, Lumbricis, Peſte, Tuſſi, Calculo, Scabie, Urinæ obſtructione, Hydrope, &c. Schrod.

Oxymel Scilliticum. p. 107.

Hoc Oxymel eximium eſt aperiens, detergens, et expectorans; magni emolumenti in Tuſſibus, aliiſque morbis ubi Phlegma craſſum et tenax abundet; in morbis viſcidis et pituitoſis, præſertim in Aſthmate humido, in quo plurimum deprehendere eſt Sanguinem bullientem, obſtructionem Bronchiorum Pulmonum phlegmaticam incidendam, et conſtrictionem fibrarum ſpaſmodicam, quibus omnibus directe it obviam hoc medicamentum. Frequenter in doſibus exiguis exhibetur, ut ʒij. vel ʒiij. una cum Aq. Aromat. aliqua ut Cinnamomi, et Syrup. Pectoral. ad nauſeam inhibendam, quam cæteroquin concitaret, et hoc modo magis voto ſatisfacit. In Scorbuto lento Boerhaave hoc concedit ad ℥iij.

℥iij. et pro Emetico ab ℥i. ad ℥iv. de materie medica, et de Poteſtatibus Medicamentorum. Vulgo præſcribitur hujus ℥iſs. vel Aceti Scillitici a ʒi. ad ℥ſs. vel ultra pro vomitorio, et nonnunquam doſis major exigitur. Junker concedit Oxymel Scillit. ℥i. Infanti pro Emetico, quæ profecto nimis larga eſt doſis.

Quibus Mel incongruum eſt, Acetum Scilliticum ſuppleat locum Oxymellis Scillitici, et Oxymellis ſimplicis. Vid. Syr. Scillitic.

Radix Scillæ ſaporis acris et amari eſt, attenuat, aperit, diſcutit, Diuretica eſt; uſus ejus præcipuus eſt in obſtructione Hepatis, Lienis, Meatus biliarii, Menſium, Urinæ, in Mucilagine Pulmonum, Tuſſi, Hydrope, nec non Anaſarca, &c. Schrod.

Oxymel Simplex. p. 107.

Hoc ſimplex Præparatum in Efficacia non inferius eſt multis magis elaboratis Compoſitionibus. Gratum eſt, lene refrigerans, ſaponaceum, detergens, humores incidens viſcidos, attenuans medicamentum, et Sanguinis incaleſcentias mitigans; ſed locum habet in Corporibus tantum, ubi acidum non redundat; aperit, abſtergit, pulmonibus confert, Urinam ciet, Tuſſi medetur, Putredini reſiſtit. Doſis a ʒij. ad ℥ſs. ℥i. vel ℥ij. Frequentis uſus eſt in refrigerantibus, detergentibus Gargariſ-

mis,

mis, et non raro ut expectorans. Attenuat et digerit in Scorbuto lento, ad ℥iv. Boerhaave. Iſchiadicis, Epilepticis, et Arthriticis prodeſſe creditur, et ab Anginoſis utiliter gargarizatur. Magni momenti eſt, et apte additur Cataplaſmatibus reſolventibus, cum inflammatorios Tumores diſcutiendi intentio ſit. Mel cum Aqua tepida, et Mel cum Aceto commiſtnm diſſolvit Phlegma in Inteſtinis. Ii, quibus Mel diſpliceat, Aceto diſtillato uti poſſint, loco Oxymellis ſimplicis, cum Syrupo quovis apto, vel adhibeatur Acetum Scilliticum.

Philonium Londinenſe. p. 128.

Huic nomen indidit Philon, Medicus Antiquus illuſtris, a Gellio memoratus, qui Medicamenta ejus appellare ſolebat Deorum Manus, utpote divinitus ægris ſuccurrebat eorum uſus : vel ab Authore Philonide Siculo Enenſi, inſigni Medico antiquo, hoc denominabatur. Diaſcor. Materia Medica a Ruellio interprete. p. 370. Valde calidum eſt Opiatum ; in conditionibus plurimis nón melius eſt quam Opium crudum, Confectio Paulina vel Archigenis ; Acres humores temperat, uſus eſt in dolore Colico laxo, ſive cum Diarrhœa ſociato, flatibus, Catarrhis, vigiliis, et ad Colicam in temperamento frigido, hora ſomni &c. gr. 36. hujus Compoſiti continent

nent Opii. gr. i. Doſis a ℈ſs. ad ℈iſs. vel ℈ij. ad extremam Doſin.

Pilulæ Aromaticæ. p. 118.

Raro parantur vel præſcribuntur, licet medicamentum ſit eximium; pilulæ hæ excogitantur ad locum ſupplendum Pilularum Diambræ ſine Moſchatis, Pilularum Guaiaci, et Pilularum Alœphanginarum in Pharmacopœia veteri, quarum ultimæ olim vocabantur Pilulæ Aromaticæ, et in earum intentione non diſſimiles ſunt. Longe elegantiones æque ac ſimpliciores ſunt, in ipſarum ingredientibus vere uniformes, et egregie propoſitis adaptantur quibus inſtituebantur. Alterativæ potius ſunt quam Catharticæ, ideoque earum uſus aliquandiu continuari debet ad effectum expectatum procurandum, unde ulterius ſeſe inſerent in Sanguinis rivulos, et partes remotiores. Optima ſumendi methodus eſt in doſibus parvulis, ut pil. iij. vel iv. a cubitum ituris, vel ℈ſs. vel paulo plus, pro re nata repetendæ. Caput et Stomachum roborant, et calfaciunt, gradatim totum habitum incidunt, attenuant, et amandant viſcidos, pituitoſos, frigidos humores, qui ſenſoria aggravant; flatus diſcutiunt, cibi appetentiam inſtaurant, ejuſque faſtidium detrahunt, coctionem juvant, vomitum ſedant, perſpirationem promovent, et Secretiones omnes naturales: hinc in frigidis, phlegmaticis temperamen-

tis,

tis, morbis ſomnolentis, Lethargicis, torpidis indiſpoſitionibus Viſcerum, vel Glandularum remotarum, ab hiſce cauſis provenientibus, ſtimulans hoc medicamentum calidum inſigniter utile evadit ; quinetiam in Podagra, Rheumatiſmo, Gonorrhœa virulenta, et Fluore Muliebri albo. Si aliquandiu continuetur in doſibus minoribus, tandem fit purgativum, vel laxitatem ſalutarem inducit, cum doſis ſit ampla, ut a ℈i. ad ʒſs. leniter per ſedem operatur. Extractum Catharticum ſuppleat locum Pilularum Aromaticarum, et præſtantius eſt, ubi ſolum purgans fortius agiliuſque exigatur.

Pilulæ ex Colocynthide cum Aloe. p. 119.

Olim vocabantur Pilulæ Cochiæ, vel Pilulæ Cocciæ minores, a corruptione verbi Græci *κόκκος* vel *κοκκια*, et verbo Arabico, quod ſignificat, ventrem excernens, vel Pilulas communes purgantes ; Nomina generalia pro pilulis, et uſu longo applicantur huic particulari Compoſitioni. Hujus Maſſæ ʒſs. continet Aloes prope gr. viij. Scammon. gr. viij. Colocynth. gr. iv. Syr. de Spin. Cervin. et Caryoph ℈ſs. Pilulæ hæ ſunt fortia Cathartica ; vulgo uſurpantur, ubi agilia, velocia et cita purgativa ſint neceſſaria in doſibus ℈ſs. ℈i. vel ʒſs. et aliquando ℈ij. conveniunt in vertigine, morbis Capitis, &c. Efficaces ſunt in diſcutiendis

diſcutiendis viſciditatibus, flatulentiis, et humoribus aquoſis, pro quibus intentionibus ſæpiſſime præſcribuntur; profunt in doloribus Colicis cum Opii gr. i. quod eorum operationem mitigat, et nimiam membranarum irritationem prævenit, unde ſymptomata minuuntur. Agilius et lenius operantur cum Salis volatilis ſuccini granis aliquot. Salia alkalina vel ſapones optime corrigunt Colocynthidem, Reſinam ſolvunt, et earum operationem promovent. Ol. Caryophyllorum in his valet contra flatulentias. Pilulæ hæ, poſt mucum inteſtinorum ſolutum, expellunt menſes obſtructos. Colocynthis pituitam craſſam ac glutinoſam ex profundioribus, et remotioribus partibus expurgat, ut ex Cerebro, Nervis, Articulis, Pulmonibus, unde commendatur, et ſucceſſu exhibetur in Cephalalgia, Hemicrania inveterata, Apoplexia, Epilepſia, Vertigine, Aſthmate, Tuſſi, Diſpnœa, Morbis frigidis, dolore Colico flatulento, Hydrope, &c. Raii Hiſt. p. 643. Vid. vires Aloes Schol. p. 139. Scam. Schol. p. 134, 135, &c.

Pilulæ ex Colocynthide Simpliciores. p. 118.

Olim Pilulæ ex Duobus. Harum Pilularum ʒſs. continet Scammonii fere ℈ſs. Colocynth. ℈ſs. Syrupi de Spina Cervina et Ol. Caryophyllor. chem. ℈ſs. Doſis a gr. x. xv. xx. ad

ad ℥ſs. Pilulæ hæ ſunt valde fortia Medicamenta, fortius enim purgant quam Pilulæ ex Colocynthide cum Aloe, et efficaciores ſunt in conditionibus obſtinatis, ubi Aqua educenda eſt, ut in Hydrope; dari autem non debent ubi minus violenta purgativa effectum ederent; Sin Salis Succini gr. aliquot addantur, mitius operantur. Proſunt in Arthritide, et multis morbis chronicis; commendantur et interdum adhibentur in Venereis conditionibus; hic autem manifeſte ſunt impropriæ, utpote conſtitutionem magnopere debilitant, nimis rigide operando, frequenter Herniam Humoralem, vel Teſticulorum Tumorem, et Gonorrhœam immedicabilem introducendo ad damnum Virilitatis, quare porrigi non debent, niſi in Caſibus ubi extrema neceſſitas urſerit: Juvenes multi generoſi, ad curam Morbi Venerei, ſæpenumero harum Pilularum uſu, in Phthiſi inciderunt. Oleum Eſſentiale Caryophyllorum, quod additur ut ingredientium correctorium, non tantum contribuit quantum generatim arbitratur, ad operandi aſperitatem earum mitigandam. Ubi purgans Diarrhœam vel Dyſenteriam induxerit cum dolore, ſtatim adhibeatur confortans, acrimoniam temperans, ſimulquè parum aſtringens, quale eſt Electarium e Scordio, Theriaca recens, Extractum Thebaicum in Vino calido ad gr. ſs. Hinc ſi Dyſenteria vel Diarrhœa non tollatur aut imminuatur, dolorve non ſedetur, poſt horam circiter exhibeatur

beatur altera Doſis, et ſic porro quamdiu tuto tramite procedas.

Colocynthis in larga doſi aſſumpta violentiſſimum eſt Catharticum adhuc notum; non ſolum parum putum Sanguinem educit, ſed etiam Colicas truculentas, convulſiones, Inteſtinorum Ulcera, et Hypercatharſes fatales induxit. Cum pulpa ejus in ſubſtantia adhibita ſit, nimis tenaciter Tunicis Stomachi adhærendo, tormina acerbiſſima peperit, &c. Geoffroy.

Pilulæ Ecphracticæ. p. 119.

Rariſſime parantur, vel præſcribuntur; ita vocantur ab εκφράσσω, deobſtruo, vel aperio. Calculantur ad intentionem a Titulo expreſſam, et proſunt in Chloroſi, vel Morbo virgineo, Scorbuto, cachexiis, aliiſque obſtructionibus aperiendis, ubi calida medicamenta deobſtruentia conveniunt; præſertim Lienis, Hepatis, Uteri ac Meſenterii; adeoque morbis inde natis ſubveniunt. Ex Maſſæ ʒi. fiant Pilulæ No. xij. Optime ſumantur pil. iij. quavis nocte, ſub lecti ingreſſum, per menſem integrum et ultra. Sanguinem depauperatum invigorant, Stomachum roborant, digeſtionem adjuvant: Menſes provocant, Hyſtericis et Hypochondriacis ſuccurrunt, utpote laxativæ ſunt, et vitioſos humores jam præparatos deorſum evacuant. Humores viſcidos incidunt,

cidunt, attenuant, et eorum exitum promovent; valent in Menſium ſuppreſſione, Hydrope, Aſthmate, et morbis nonnullis Chronicis. Sanguinem exagitant, obſtructiones expediunt, Circuitionem per minimos Machinæ humanæ meatulos liberiorem vindicant, et fibris laxis tonum conciliant. Doſis a ℈i. ad ʒſs.

Non ſum neſcius quidem, quod Cl. Sydenhamus toto illo ſpatio, quo Chalybeata ſumuntur, a Catharticis omnino abſiſtendum eſſe contendit; quia Chalybis vires a Cathartico infringuntur, et quando ad Palmarium illi ſit, ut ſpirituum ſyſtema redintigretur, firmeturque, quod toto vix octiduo reſuſcitatur Chalybis ope, et Cathartico (vel leniſſimo) exhibito, die unica rurſus demolitur: Et haud illi dubium eſt, quin Aquæ etiam Minerales ferreæ, purgantium intercalatorum uſu, minus reddantur efficaces.

E contra vero, ſæpiſſime notavi Effectus ſatis felices, ex Chalybeatis et Catharticis ſimul maritatis, eveniſſe. Ideoque ut Difficultatem hanc expediam, hoc modo diſtinguendum eſſe judico.

Si Chalybeatorum exhibitorum intentio ſit unica, ut Sanguinis depreſſi craſis exaltetur, et Spirituum Syſtema corroboretur; tunc quidem a Catharticis prorſus abſtinendum erit.

Sin vero una cum Sanguinis exaltatione, Obſtructiones inſuper ſint amovendæ, et col-

luvies limoſa eliminanda; tunc Cathartica Chalybeatis adjuta optime operabuntur, et unitis viribus proſpere rem conficient. Atque huic opinioni conſtans Medicorum praxis abunde ſuffragatur, certaque et fidelis Experientia ſemper aſtipulatur. Fuller Pharm. Extemp. p. 216.

Pilulæ Gummoſæ. p. 119.

Calfaciunt, emolliunt, digerunt, incidunt, reſolvunt omnem pituitam craſſam, viſcidam, lentam, imo et ſeroſos humores in Ventriculo, Cerebro, Nervis, Renibus, Inteſtinis, Utero, Senſoriis, Artubus et Thorace; Flatus diſcutiunt, et Ventrem laxant; proſunt Tuſſi inveteratæ, Raucedini, Pulmonum et Inteſtinorum mucilagini, et morbis inde natis, Spaſmo, Defluxionibus et Catarrhis. Antihypochondriacæ, Antihyſtericæ, et Emmenagogæ ſunt, quibus intentionibus optime calculantur; nec non Convulſivis, Apoplecticis, Epilepticis, Paralyticis, Vertiginoſis, &c. prodeſſe queant. Utiles ſunt in Nervorum morbis, doloribus Colicis, Arthritide vaga et fixa, Cardialgia, Lumbagine, immunditie Uterina defæcanda, obſtructione menſtrua promovenda, Rheumate, et Scrophulis, in parva doſi ſæpe repetenda. Doſis vulgaris ℈ſs. ℈i. vel ultra ſumi queat omni nocte ſæpiuſve, vel ℈i. bis de die.

Aſa

Aſa fœtida, Galbanum, Ammoniacum et alia ejuſdem generis Gummi fœtida, faſtidioſa ſunt diſſoluta cum Vitello Ovi in formam liquidam, ergo formentur in Pilulas, vel Bolos et Auro obvolvantur.

Vid. Gummi hujus Pilulæ. Schol. p. 194, 195, 196, 197, 198.

Gummi hæc, ex quibus formantur Pilulæ Gummoſæ, ſunt fœtida deterſiva Uterina, quæ Viſcoſitate eorum adhærent, et poteſtate eorum Saponacea ſeſe immiſcent cum pituita et Muco Inteſtinorum inerti, quem diſſolvunt, atque eodem tempore ſtimulant, et promovent ejus expulſionem; hæc enim aſſumpta facile diſſolvuntur a calore corporis noſtri, atque dum reſtant diſſoluta, acredo, quæ in ipſis continetur, exhalat, ſtimulat, et Viſcera leniter detergit: non agunt itaque poteſtate quavis Utero directe appropriata; qualitate autem ipſorum diſſolvente, utpote Saponacea, Aromatica et Nervis amica. Medicus igitur, qui Menſibus ſuppreſſis mederi velit a Plethoræ defectu, has Pilulas uterinas deterſivas præſcribere debet. Detergunt enim primas Vias, et conveniunt ubi Chyli ingreſſus in Vaſa lactea a cauſa modo memorata obſtruitur, uti frequenter Hypochondriacis et Hyſtericis evenit, atque mucum Inteſtinorum ſupradictum diſſolvunt cum additamento Ol. ſtillat. Succin. Rect. q. ſ. Mucus diſſolutus expelli poteſt Pilulis ex Colocynthide cum Aloe, et ſingulæ fiant gr. iij. quæ deaurentur. Capi-

at ex iis ſub aurora, ubi adſint ſigna ſolutæ pituitæ, et dormiat per horam unam aut alteram. Boerhaave de Poteſtatibus Medicamentorum paſſim.

Pilular. Gummoſar. ʒiiſs. vel ʒiij. et Pilular. Colocynth. cum Aloe, vel Aloes Socotorinæ optime per ſe, a ℈i. ad ℈ij. vel in aptiori quantitate ſpeciatim, uti mavis, locum ſuppleant Pilularum Fœtidarum veteris Pharmacopœiæ ex quibus f. Pilulæ in glutinoſo, ſpontaneo, Muco, pituita, ſtimulantes, reſolventes, deterſivæ, aperientes, Emmenagogæ, quæ deorſum purgant ſtagnans liquidum, in Virginum morbis, a Pilulis Gummoſis jam prius ſolutum.

Pilulæ Gummoſæ ſunt Medicamentum uniforme compoſitum et extempore præſcribi queant.

Pilulæ Mercuriales. p. 120.

Parantur ad imitationem Pilulæ Barbaroſſæ vel Belloſte. Hujus Maſſæ abſque Oleo Olivarum gr. xxxv. continent Mercurii crudi gr. xviij. f. Pil. No. x. ex ʒi. quarum Pil. iv. vel v. ſat ſunt pro Doſ. i.

Generaliter præſcribuntur in Caſibus venereis, Salivationi prævie, vel in curſu Alterativorum ; Ægri autem ſumma cura et diligentia, inter operandum, calidi aſſervari debent. Multum valent in Podagra, Lepra, Lue Ve-

nerea,

nerea, Cutanea immunditie ulceroſa; in Morbis Chronicis pleriſque, præcipue Scrophuloſis a ℈ſs. ad ℈i. vel ℈iſs. quotidie per dies 30 ſimul; vel alternis diebus in Rheumatiſmis, Meſenterii et Viſcerum oppilationibus. Valde efficax eſt Medicamentum ad hæc propoſita; continuus ejus uſus pervadet, et perrumpet omnes Glandularum obſtructiones; abigetque humores acres, qui vaſa capillaria corrodunt, ulcerant, vitiant, et deturpant, præſertim in ſuperficie, ubi frigus externum eos detinet, et figit, uſquedum Cutis operiatur, labefactetur et deturpetur ab ulcuſculis ſordidis.

Mane aſſumptæ commode operantur; atque exhiberi poſſint ubicunque Phlegmatis onus inteſtina aggravat; materia lenteſcens corporis habitum obſidet; ſerum ſalinum fixum Scorbutum infert; ſucci acres ulcera vellicant; Ichor polluens cutim afficit; demumque ubi Vermes infeſtant.

Præſcribuntur in affectibus ulceroſis Viarum urinariarum aliarumque partium, fluxu Seminis, &c. ad dolores nocturnos, et Vagos Scorbuticos; Item ad Strumas. Sumantur Pilulæ No. iv. omni nocte, et intra horæ Spatium, ſugatur Caſſiæ ex Canna ℥iſs.

Hoc Catapotium, Catharticum eſt Mercuriale, et in hac intentione doſis augeatur ad ʒſs. vel ultra. Ut Alterativum optima Methodus adhibendi eſſet, in doſibus gr. viij. ad x. vel Pil. i. Nocte et Mane ſumpta; poſt

 duos

duos primos dies, ſedes duas vel tres de die ciebit ſine torminibus vel ægritudine. Mercurius hoc modo optime datur, et eximium eſt Remedium adverſus multos Chronicos morbos; iſtiuſmodi ſunt Lues Venerea, variaque ejus ſymptomata; morbi cutanei omnes a pruritu ad lepram. Arcanum totum hoc cardine movetur et vertitur. Viz. in talibus quantitatibus et temporibus dando, ut præveniatur Ptyaliſmus; nam quo longius in Corpore moretur, eo melius pro eo, ac Salivatio ne hilum quidem ad curam contribuit. Confiteor hoc opinioni communi in praxi repugnare; utcunque ſi quis effecta Mercurii æque perpendat, ut Topicam, agnoſcere et profiteri cogetur, quod peculiarem habet, non auſim dicere Specificam proprietatem, Venenum venereum deſtruendi; ſub primo intuitu oris ulceroſi, uſus Pilularum ſuſpendi debet uſquedum penitus evaneſcat, tum Catharticum adhiberi oportet ad humores deorſum derivandos. Pilulæ illæ optimæ habentur, quæ minime purgant, modo evitari queat Salivatio. Noſocomii Pharmacopœiographi inſtituunt eorum Pilulam laxativam alternis diebus ſumi ad ʒſs. pro vice, probabiliter ſub hac conditione et proſpectu. Sc. ad Salivationem vitandam. Quod dixi non ſuperſtruitur in vacuam Theoriam, verum ab examine et experientia reſultat.

Pilulæ

Pilulæ Rudii. p. 33.

Vid. Extractum Catharticum. Schol. p. 161.

Pilulæ Ruſi. p. 120.

Olim vocabantur Pilulæ Peſtilentiales, ſeu Pilulæ communes, quarum Author erat Rufus Epheſius, Medicus antiquiſſimus, qui floruit tempore Trajani. Morbis omnibus malignis, putridis et Peſtilentialibus reſiſtunt. Hoc eſt Catharticum mite, datum ad ʒſs. vel ℈ij. propoſitis autem melioribus, in minoribus doſibus inſerviret a gr. v. ad viij. vel x. ut alterativum nocte, vel veſperi et mane; Vires exerit non vulgares abſque dubio in ſanguine et Succis, in Stomacho calfaciendo et roborando, æque ac digeſtione adjuvanda, in frigidis conſtitutionibus et Chloroſi, Menſibus promovendis, et Utero depurando. Vid. Schol. p. 14.

Si dentur ad ℈ſs. vel ultra per 3 dies ſucceſſive, juxta plenilunium et novilunium cum Oleo Sabinæ chemico, fiant Pilulæ vermifugæ; longus harum uſus Hæmorrhoides produxit, ob Aloes tenacitatem, quæ lenius, agilius, et potentius operatur additis granis aliquot Salis volatilis Succini; tardius opera-

 tur

tur in forma Pilularum, et ægris magis arridet, quam in forma liquida, ut Vini Aloetici Alkalini, Elixir Aloes ſeu Elixir Proprietatis, ob amaritiem Aloes in forma liquida adauctam.

Pilulæ Saponaceæ. p. 120.

Parantur ad locum Pilularum Matthæi, alias Starkei, ſupplendum. Hoc Compoſitum eſt optimum aperiens anodynum Medicamentum, et experientia ſolum docebit, utrum necne Pilulæ hæ meliores, vel pejores ſunt, quam Pilulæ Starkei antiquitus paratæ. Harum ℈ſs. continet Opii prope gr. i. Doſ. a gr. iij. ad ℈ſs. vel ℈i. ad ſummam, et ſuperbibendus eſt hauſtus largus liquoris appropriati, vel cujuſvis Decocti emollientis. Diaphoreticæ, Diureticæ, Nephriticæ, Lithontripticæ, Hydropicæ, Hypochondriacæ, Colicæ, Bechicæ, Anodynæ, et Paregoricæ habentur inſignes. Felici ſucceſſu dantur in Febribus, præcipue tertianis et quartanis, in Catarrho, Tuſſi, Cephalalgia, Odontalgia, doloribus Ventriculi, Crapula, Arthritide, Diarrhœa, Dyſenteria; et ulceribus internis mirifice ſubveniunt. Pharm. Bateana Galenic per Fullerum. p. 148.

Vires ſuas citius exerunt quam Pilulæ a Styrace ſeq. Opium, ut citius operetur, in forma

forma liquida exhiberi debet; ut tardius, in forma Pilularum.

Pilulæ hæ et Elixir Paregoricum minus incraſſant quam Diacodium. Sapo amygdalinus ſolutionem Opii in Stomacho promovet, et hac occaſione celerius agit; quæ ſola eſt intentio cui magis laborioſus Sapo Tartari correſpondere queat. Eſſentia Limonum, ſaporem magis congruum impertit, Medicamentum in Stomacho magis commode conſidere facit, et Nauſeam prævenit, quam alioquin concitaret ſapo.

Pilulæ e Styrace. p. 121.

Inſtituuntur quoniam tardius in Stomacho diſſolvuntur quam Pilulæ Saponaceæ, et conſequenter magis gradatim effecta durabilia producunt: Harum gr. v. et $\frac{4}{5}$ continent Opii gr. i. Doſis a gr. iv. ad viij. vel x. ad ſummum.

Dantur ſæpe ad dolorem mitigandum, ſomnum procurandnm, defluxiones ſiſtendas, et tuſſes ſedandas; Abortum præcavent a Tuſſi moleſtia, multi ſunt uſus ad Tuſſes titillantes a Rheumate in Pulmones; calfaciunt, exiccant, et pectorales ſunt. Exhibentur ad Catarrhum, Coryzam, Raucedinem, Aſthma, Dyſpnœam, &c. Hoc Medicamentum deſignatur ut opiatum pectorale, et ſæpe miſcetur cum Carthartico miti, ut Pil. Rufi ad

ad Tuſſim; ſerum ſalſum temperat, omnes humores Pulmones afficientes incraſſat, unde facilius expectorantur, qui alias Tuſſim inducerent; Lymphæ tranſudationem prohibet, ſerum acre vellicans mitigat; irritationis ſenſum obtundit, inde Tuſſim ſiſtit, et ſomnum accerſit. Sumantur veſperi, et ſingulis vel alternis noctibus repetantur pro re nata.

Pulvis Antilyſſus. p. 108.

Pulvis hic parvi valet. Titulum habet ab *ἀντι* contra, et *λύσσα*, vel *λύττα* Rabies (proprie Canum) a *λύω* ſolvo, hinc *λύσις* ſolutio. Paratur ad morſum Canis Rabidi, raro autem præſcribitur. Vid. Schol. p. 15. Cucurbitulæ applicentur loco demorſo quam citiſſime a morſu, optimo eventu.

Hactenus vero nullius ea comperta fides, cui credi queat ſalus miſerrime periclitantis hominis, quum nullum ſit notum, cujus experientia certa; ſed vel ſpeculationi ortum debent, vel deſcriptis ex alio confiſum fuit: nec in jactata Palmarii medela; vel in nimis laudato, Mayerno, Grew, et Venatoribus, Stanno cum Mithridatio; nec in inſomniis ſacris revelata Radice Cynorrhodi, in Plinio memorata; aliiſve in Cœlum elato Lichene cinereo terreſtri, et ſimilibus.

Loco Pulveris Antilyſſi, Methodo ſequenti utere in demorſis a Cane Rabido.

1. Sangui-

1. Sanguinem educe, et locum vulneratum quam citiſſime ſemel ſæpiuſve de die cum Unguento Mercuriali Cæruleo fortiori, vel Unguento Cæruleo mitiori, vel Unguento e Mercurio præcipitato albo ad ℥i. Unge.

2. Mercurium Emeticum flavum concede pro Vomitorio in Doſi proportionata ad ætatem et conſtitutionem Patientis ſemel; et ultra intervallis idoneis repete, unde a Salivatione caveretur.

3. Interea Pulveris ſequentis præſcriptio nequaquam omittenda erit.

℞. Cinnabar. Nativ. et Factit. ana gr. xxiv. Moſch. opt. gr. xvi. ſubtiliſſime pulverizentur et probe invicem miſceantur. Pulvis hic ſumendus pro doſi una ex Aq. Puleg. ſimp. ℥ij. et poſt dies 30. eodem modo repetendus: fieri autem debet quam citiſſime a morſu; ſin ſecunda doſis non ſufficiet, tertia Doſis repeti debet poſt 30 Dies. Verum ſi æger adhuc Symptomata ulla Maniæ habeat, Doſis altera tribus horis poſt primam repetenda erit, et ſufficiet pro Medela. Hæc Doſis calculatur Adultis, et minui debet junioribus, pro ætate et viribus.

4. Et poſtremo per Menſem Balneum ingredere quovis mane, Nata, et ſubmerge. Vid. Schol. 212, 213, 254, 255.

In Rabie Canina ſequenti modo præſcribit Boerhaave.

Statim poſt prima ſigna invadentis mali, Morbus tractandus, ut ſummus Inflammato-

rius

rius, mittendo Sanguinem ex lato Vulnere magni vaſis ad animi deliquium uſque, Corpore quieſcente ſupino, et reſpiratione, dum fluit, tuſſi ſuſpiriiſque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, et leniter perfricto; Mox cataplaſma ex aqua nitroſa, modiceve ſalſa, cum Pauxillo Aceti injicienda; hæc repetenda audacter, etiam plus quam in aliis Morbis prudentia concederet: interim hoc facto, obnubilatis oculis in Piſcinam frigidam demittendus, vel Aquæ frigidæ injectu humectandus tam diu, donec Aquam vix amplius paveat: tum ſtatim plurimum Aquæ bibere cogatur; et de die ſic vexato veſperi concilietur ſomnus: Victus ſit tenuiſſimus, mollis, refrigerans, humectans ſemper, levis, laxans, cavendo a nimiis Aromaticis, Vino, calfacientibus, ut et a motu nimio corporis, vel Animi, a calore aeris, Solis, foci, lecti, Victus, Medelæ; abſtineat a ſalſamentis, et Liquoribus ſpirituoſis: Vitam Maſſulis et tali Diæta degat.

℞. Nitri vel Salis Prunellæ ʒij. Acet. Sambucin. (vel Flor. Sambuc. in Aceto decoct.) ℥i. Mell. Roſac. ℥i. Aq. Hordeat. ℥x. m. f. Clyſma in Rabie canina. Vel,

℞. Salis marini ʒij. Acet. Calendul, (vel Flor. Calend. in Aceto coct.) ʒvi. Mell. commun. ℥i. Aq. Stillat. Rutæ (vel Puleg. ſimpl.) ℥x. m. f. Clyſter.

Pulvis Ari compoſitus. p. 108.

Recens fiat, quoniam diu ſervando humectat in Aere, volatilitas et Pungentia Radicis Ari exhalant; non Bolis vel Electariis commiſceri debet, quia ab Oc. Canc. et Sale Abſinthii fermentantur. Hoc Medicamentum Phlegma, viſciditates, et obſtructiones Stomachi, primæ regionis, nec non Pectoris, Pulmonum, Bronchiorum, et Viſcerum, peculiariter incidit, reſolvit et diſcutit, proin ejus uſus creber eſt in cachexia, Aſthmate humido, mucoſo, pituitoſo, Paralyſi, Rheumate, Tuſſibus, Hydrope, urina cienda, &c. Stomachicum eſt in frigidis torpidis temperamentis; ubi Phlegma viſcidum, et crudi acidi Succi abundent in primis viis, utile evadit, humorum noxiorum ſolutionem et expulſionem promovendo, Appetitum excitando, non ſolum Viſcerum obſtructiones, quinetiam Glandularum magis remotarum, aperiendo, hinc etiam commodi fit in conditionibus Scorbuticis; et bonum habetur in Scorbuto frigido; practici autem calidis antiſcorbuticis cautiſſime uti debent, quia eorum diuturnus uſus Hepar adeo calfaciet et exiccabit, ut friabile reddi pene poſſit, hinc Icterus, Hydrops, Mors, quæ morbo ſæpe, etſi generaliter Medicamentorum effectibus, ſine judicio ſumptorum aſcribuntur. Hic Pulvis continet Radicis

dicis ſiccatæ Gladioli lutei circiter $\frac{1}{5}$. Doſis a ℈ſs. ad ℈i. ʒſs. vel ℈ij.

Pulvis Bezoardicus. p. 110.

Abſorbens eſt, omnium Subſtantiarum hujus Claſſis maxime debile, et carius eſt, non autem melius, medicamentum, quam Oſtreorum teſtæ præparatæ: Animale illud Bezoardicum e Cerva, vel Vipera paratum, hodie obſoleſcit ac nuſpiam uſui eſt; et Oſtreorum Teſtæ, ac Oc. Canc. emolumenti ſunt majoris, quam Margaritæ, et Bezoar Orientale in pulvere Bezoardico hoc.

Pulvis e Bolo compoſitus cum Opio. p. 109.

Calidum, abſorbens, glutinoſum, aſtringens, ſanans, Inteſtina confortans, roborans eſt Medicamentum; in Diarrhœis, Dyſenteriis, Hæmorrhagiis, Hæmoptyſi, Catarrhis, et omnibus defluxionibus, Hypercatharſi medicanda remedium eſt omnibus numeris inſtructum, et generatim emolumenti eſt præſtantis. Hujus Pulveris gr. 45. continent Opii gr. i. et Doſis a ℈i. ad ʒſs. pro re nata repetenda. Hoc melius eſt Electario e Scordio, cujus forma vim aſtringentem remittit, et in nonnullis Caſibus præfertur Pulveri ſequenti ob Opium, quo potentior eſt ratione Opii;

Opii, in fluxibus omnigenis compeſcendis, coercendiſque. Suppleat locum Specierum e Scordio cum Opio ut aſtringens. Non autem ut Alexipharmacum, vel Antipeſtilentiale exhiberi debet loco Electarii, vel Specierum e Scordio cum vel ſine Opio, niſi adjiciantur Alexipharmaca, ut Radix Serpentariæ Virginianæ, &c.

Pulvis e Bolo compoſitus ſine Opio. p. 108.

Pulvis hic debilior eſt Aſtringens quam Pulvis antedictus. Doſis a ʒſs. ad ʒi. pro re nata repetenda. Quoniam Bolus ambos hos pulveres ingreditur; arrepta obiter occaſione, Paragraphum ſequentem, ex Wedelio (alkali et acidi patronis legendum) huc transferre fert Animus. Notandum (inquit ille) teſte experientia, Terrea et Bilem præcipitare ac acidos ſuccos; ipſoſque ſeroſos abſorbere; Unde concludi abſolute non valet, ubicunque proſunt Medicamenta Alkalina, ibi peccare Acidum; teſtatur enim experientia, in plurimis ægris, et affectibus, Terrea prodeſſe, ubi omnium conſenſu, acida non peccant, ſed Bilis regurgitat, et ſpumeſcit, quam diſſociant, inhibent, et in motu ſuo præternaturali refrænant. Quibus conſentaneum eſt hoc Domini Floyeri experimentum, quod Species Infuſi Amari, Lixivio e Teſtis Oſtreorum

rum parato incoctæ, Amaritudinem deponunt, et ſubdulceſcunt.

Pulvis e Ceruſſa Compoſitus. p. 109.

Olim Trochiſci albi Rhaſis vel Razi, et Trochiſci e Ceruſſa; in totum externe applicatur in Collyriis, Lotionibus, et Injectionibus; Vino albo, Aqua Roſarum, aliove liquore diſſolvitur pro Collyriis; vulgo, quantitas hujus Pulveris eſt circiter ʒſs. ad liquidi ℥ij. quo ſoluto albeſcit uti Lac: temperat, inhibetque humores acres ad Oculos fluentes, eorum dolores et inflammationes mitigat, calidaque Rheumata repellit. Vel Collyrium album f. modo ſequenti.

℞. Aq. Roſarum ℥vi. Pulv. e Ceruſſ. comp. ʒi. Vitriol. alb. gr. x. m. et f. Collyrium. Vid. Collyrium Aluminoſum. Schol. p. 103, 104. Pulvis e Ceruſſa compoſitus uſui eſt pro Injectionibus, in Gonorrhœis, ad refrigerandam Urethram, muniendo contra humores corroſivos, efficax eſt ad Ulcera Virgæ, &c.

℞. Pulv. e Ceruſſ. comp. ℥ſs. Aq. Roſar. ℔i. f. Injectio optima in fluore albo immani a Vagina nimis laxata, prægreſſis idoneis Catharticis, et Enemate Terebinthinato. Vel commiſceatur Pulv. e Ceruſſ. comp. ℥ſs. Aq. Roſ. rub. Decoct. Flor. Papav. Rhæad. et Sambuc. ana ℥v. pro Injectione.

Injectiones

Injectiones e Saturninis (præmiſſis præmittendis) in Penem vel Uterum, Antivenereæ ſunt: ad Luem Veneream, Gonorrhœam Virulentam, Fluorem Muliebrem virulentum, ad Gonorrhœam ſimplicem vel Fluorem Muliebrem benignum fiant ex mediocriter adſtringentibus, ut Corticibus Malicorii, Vino Rubro, Terebinthina cum Vitello Ovi ſubactis, vel Lacte tepido mixtis, aliove convenienti liquore.

Ceruſſæ pulveriſatæ vis mirifica refrigerans, aſtringens, abſorbens omne acidum, ſalinum, acre, externe adhibitæ, ut ad Ulcera humida, ſanioſa, laxa, et viſcoſa, præſertim cum materiem acidam vel Salinam ſtillant, eaque ad cicatriculam perducit: Oculis humidis et inflammatis, in ſicca forma applicata, prodeſt: Interne, in majori doſi ſumpta Venenum eſt. In Morbis omnibus ab alkalina Cauſa oriundis, ut Peſte, Febribus malignis, &c. multum nocet, et nunquam interne dari debet; Aſthma enim, Maraſmum, Tabem, et Phthiſin immedicabilem induceret ejus uſus. Pernicioſa eſt, quando adhibetur ut Fucus vel Pigmentum pro Facie, quam aliquandiu belle albificat, poſtea autem pallorem ſubodioſum infert, et colorem extinguit.

Sarcocolla hunc Pulverem ingreditur; calfacit, ſiccat, aſtringit, digerit, detergit, et maturat. Uſus præcipui in Vulneribus extergendis, conſolidandis, et ciccatrice obducendis, unde nomen Sarcocollæ adepta eſt,

a σαρκος, et κόλλα, a carnibus glutinandis, i. e. Vulnerum, &c. Mirifice prodeſt in Oculorum fluxionibus, albugine, nubeculis; in Hæmorrhagiis Narium, Anacollematibus admiſcetur.

Mulier Aſthmate deplorando ex fumis plumbi contracto laborabat, et curabatur Aceto. Idem fiat Succo Limonum.

Pulvis e Chelis Cancrorum compoſitus. p. 109.

Olim vocabatur Pulvis Gaſconicus. Hic Pulvis eſt anti-ſpaſmodicus, abſorbens et deſtruens aciditates in Stomacho, et primis Infantum viis Lac ſugentium, et Adultorum debilis conſtitutionis, quorum victus eſt acceſcentis generis; Cardialgiam curat, Phlegma acre corrigit, Sanguinis Orgaſmum ſedat, Bilis acrimoniam obtundit: Catarrhis occurrit, Diarrhœæ Bilioſæ, et Infantum torminibus, quorum Stomachis, ſi ſucci acidi nulli continentur ibi, injuriam potius quam beneficium adducit; et ſubſtantiæ qualitatis contrariæ, ut liquores aciduli mites, generatim proſperiora ſunt medicamenta, ubi vis vitæ non longe deprimatur; ubi hæc eſt conditio, Terræ inſipidæ indolentes nihil hic contribuere poſſunt ad eam ſuſtentandam, vel excitandam; in hoc ſtatu, earum locum ſupplere queant Alexipharmaca, ut Pulvis contrayervæ compoſitus, Aq. Alexet. ſimpl. &c. Pulv. e Chel. Canc. comp.

comp. ne immiſceatur in Hauſtus vel Julepa, quoniam viſui injucunda ſunt; commiſceatur autem Syrupi tantillo et Conſervæ, et f. Bolus. Hujus Pulveris doſis a gr. vi. ad ℈i. ʒſs. vel ʒi.

Huic præfertur Pulvis e Teſtaceis ſimplicibus, ut e Teſtis Ovorum, Oſtreorum, et Cretæ: viliorique pretii ſunt quam tres Articuli, qui Pulverem hunc conſtituunt.

Margaritæ dicuntur roborare Cor, bona valde ſunt abſorbentia, alias quoque qualitates habent: cedunt per Retortam Salem volatilem urinoſum, qua ratione Cardiaca et depuratoria evadunt. Corallia rubra aliquantulum fluxus Alvi, et Uteri ſiſtere dicuntur. Geoffroy.

Corallia rubra minus ſaturant acidum, quam Creta, Oſtreorum Teſtæ, vel Margaritæ; plus autem quam alii pulveres vocati Teſtacei.

Corallii rubri et albi gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. LX.

Cretæ gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. c.

Oſtreorum Teſtæ gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. cxx.

Margaritarum gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. LXXX.

Ovorum Teſtæ gr. x. deſtruunt aciditatem Sp. Salis gutt. L.

Lewis Pharmac. p. 5. Cancrorum Chelæ, et Oculi. Vid. Schol. p. 83.

Pulvis Contrayervæ compoſitus. p. 110.

Olim Lapis Contrayervæ: præfertur pulveri ultimo. Hoc medicamentum utile eſſe poſſit in habitibus relaxatis, acido abundantibus in primis viis; ubi autem ſummus æſtus adſit, caute adhibeatur; Pulvis eſt Alexipharmacus, ſudorem excitat in Febribus lentis, ubi alvus ſit nimis laxa, vis Vitæ debilitetur, et Diaphoreſis promovenda: prodeſt Febribus malignis contagioſis, præcipue ubi Pulſus demiſſus ſit et Spiritus labantur, et cujuſdammodi uſus ſit in Diaphoreſi critica continuanda, vel promovenda, cum Natura hujus neceſſitatem indicaverit, ſponte eam excitando. Hujus Pulveris ʒſs. continet Radicis circiter gr. viij. Contrayervæ doſis vulgaris eſt ℈i. Geoffroy autem præſcribit a ʒſs. ad ʒi. quæ profecto eſt doſis nimia ob indigentiam repetendi frequentem; et ʒij. in Infuſo cum Aq. vel Ptiſana ſumend. ab ℥ſs. ad ℥i.

Ambo hi pulveres ſuperiores non debent immiſceri in Hauſtus vel Julepa, quoniam viſui ſunt turpia; formentur autem in Bolos cum Syrupi tantillo, et Conſerva.

Radix Contrayervæ ab Hiſpanis ita nominabatur, ob qualitatem ejus Alexipharmacam. Contrayerva enim in Lingua Hiſpanica ſignificat Antidotum, i. e. *counter-Poyſon*; appellatur etiam Drakena ab illuſtriſ-

ſimo

ſimo Drake, qui ex Perua in America hanc Radicem nave advexit. Per ſe Remedium eſt calidum, ſudoriferum, alexipharmacum efficaciſſimum, incidens, leviter aſtringens, unde Cor confortat et corroborat, Venena expellit, noxia repellit, Febres tollit, et proficuum eſt in Dyſenteriis Epidemicis.

N. Radicis Contrayervæ Vires, ut et Serpentariæ Virginianæ, Nardi Celtici, Zedoariæ, optime extrahuntur per Infuſionem cum Vehiculo aquoſo; debili verum Stomacho, in Corpore a febre continua ardente exſucco, magis convenient cum Acidulis; ubi autem ægri laborent Comate, vel Apoplexia, Radices memoratæ, et Rad. Valerian. Silveſtris, Semina Naſturtii, omniaque ſinapina et piperina maxime efficacia ſunt in Vehiculis ſpirituoſis. Si Febris non nimis excandeſcat, optima forma ſumendi eſt in ſubſtantia Pulveris, cujus Doſis extrema eſt ℈i. Medicamentum nulli ſecundum in omnibus Febribus relevandis, abigendo earum cauſam per Poros cutaneos, ac in expellendis variolis et morbillis, ubi expulſione opus fuerit.

Radix Contrayervæ ob pungentiam volatilem, ſeſe odori et guſtui manifeſtat eſſe Alexipharmacum. Si in Bolum formetur cum Syrupo ſolum, nimis erit tenuis, [illegible] ſervando indureſcat, quare optime [illegible] cum additione conſervæ tantillo, vel [illegible]tione Alkerm. ſatis excocta.

Radix Contrayervæ, Serpentariæ Virginianæ, et Flores Croci pulveriſati, Virtutes medicinales aliquandiu retinent; ideo ob uſum horum frequentem et repentinum in promptu eſſe debent pulveriſata.

In Præſcriptione extemporanea Pulverum, Salia omnia volatilia ſpeciatim præſcribi non debent, ut Sal. C. C., Ammoniacus, &c. Sal autem volatilis Succini tantillum fixus eſt, et in hac forma reſtabit aliquandiu cum exiguo diſpendio.

Pulvis Epilepticus ſequens ſuppleat locum Pulveris ad Guttetam in veteri Pharmacopœia: Nomen obtinet a Verbo gallico, Goutte, quo intelligitur Convulſio.

Pulvis Epilepticus.

℞. Rad. Valerian. Silveſtr. ℥i. Contrayerv. Serpent. Virgini. Sem. Rutæ, Myrrh. Caſtor. ſuccin. alb. ana ʒij. Cinnab. fact. ℥i. m. f. Pulvis, cui addi poſſint ad libitum Moſch. gr. vij. vel ultra. Infanti Doſis a gr. x. ad ℈i. Adultis a ℈i. ad ʒi. Medicamentum hoc mire efficax eſt in omnibus Morbis Nervorum, ſi cum diligentia aliquandiu ejus continuetur uſus. Sumatur ex quovis Syrupo craſſo, vel formetur in Bolum vel Electarium. Convulſionibus Infantium ſuccurrit Hæreditariis a quacunque cauſa, Vertigini, et grave-

dini

dini Capitis, Cephalalgiæ, Epilepſiæ, et Hydrophobiæ, Morſui Canis Rabidi.

Vid. Tinct. Valerian. ſimpl. Myrrh. Caſtor. Serpentar. et Succin. in Schol.

Pulvis e Myrrha compoſitus. p. 110.

Olim Trochiſci e Myrrha. Eximium eſt Medicamentum, et omnia hujus ingredientia pleniſſime coincidunt ad ſcopum eundem, ac extemporanee præſcribuntur Hyſtericis, Menſium obſtructionibus, et Convulſionibus; Menſtrua quiete et placide prolectat, ubi cum dolore excruciante fluant; omnes viſciditates attenuat, partum accelerat; Fœtus mortuos expellit, ut et Secundinas, atque Lochia tarda; quamprimum intentioni ſatisfecit, ab ejus ulteriori uſu omnino abſiſtendum erit, ne Hæmorrhagiam inferat. Doſis a ℈i. ad ʒſs. vel ʒi. ultrave bis terve de die in Bolum formanda, vel ſumi poſſit ex Aq. Pulegii, vel ex vehiculo quovis convenienti. Vid. Elix. Myrr. Comp. 141.

Pulvis e Scammonio compoſitus. p. 111.

Subſtituitur loco pulveris Cornachini, ſive Pulveris Comitis Warvicenſis. Experientia demonſtrabit utrum hic vel Pulvis Cornachini ſunt præſtantiores. Hujus gr. vij. con-

tinent Scammonii gr. iv. Scammonium mire detergit Meatus et Glandulas a mucoſis et viſcidis humoribus, et probe deſtruit Vermes, qui in iis nidificantur. Infantibus datur frequenter ut acre Catharticum a gr. ij. vel iij. et nonnunquam ad gr. vi. Adultis a gr. x. vel xij. ad gr. xv. vel ℈ſs. Sumatur in Pulvere vel Bolo, nequaquam in Hauſtibus; Reſina quippe in maſſulas non facile ſeparabiles in Stomacho concreſcit. Si Sal. vol. Succini gr. aliquot addantur, agilius et lenius operabitur. Eximium eſt Purgatorium in omnibus Hydropicis conditionibus, morbiſque catharſi curabilibus. Scammonium in hoc pulvere adeo dividitur et comminuitur a C. C. C. ut tutius ſumi queat ſine gravibus ſyptomatibus diriſque querelis. Vid. Scammonii Vires, doſes, et cautelas ſub Elect. e Scammon. Schol. p. 133, &c.

Fama hujus Pulveris debetur ſedulitati, et ſolertiæ Marci Cornachini M. D. et Profeſſoris in Academia Piſæ. Utrum hic, vel pulvis ab Auctore primitus confectus, ſit præſtantior, judicium ferant B[i]. L[s]. ab authore ipſo præſtantiſſimum habetur Medicamentum, atque ab eo plurimum laudatur ad omnes corporis humani affectiones, ab humoribus copia, vel qualitate peccantibus genitas, quo tuto, cito, et jucunde curantur. Cui magis arrideat præſcriptio extemporanea hujus Pulveris, Ecce ſeq.

℞. Antimon.

℞. Antimon. Diaphoretic. vel Calc. Antim. gr. xvi. Scamm. gr. xij. Crem. Tartar. gr. v. miſceantur omnia accuratiſſime in Mortario Vitreo, fiatque Pulvis ſubtiliſſimus pro una Doſi, pro viro. Reſerat Obſtructiones internas, ciet ſudorem, movet alvum, et ſæpe vomitum; hinc Febribus, et pleriſque morbis chronicis medetur. Plura videantur apud ipſum Cornachinum in libello de methodo hujus pulveris.

Pulvis e Sena compoſitus. p. 111.

Olim Pulvis Diaſenæ vocabatur. Pulvis hic Melancholicos et Bilioſos expurgat Humores, flatus diſcutit, &c. Hujus Pulveris ʒi. gr. 17¼ continent Fol. Senæ, Cryſtal. ana ʒſs. Scammon. gr. vijſs. Caryophyl. Cinnam. Zinzib. ana gr. iij. et ¾ atque hujus ʒſs. gr. viijſs. continent Fol. Senæ Cryſtal. Tartar. ana gr. xv. Scammon. gr. iij¾. Caryoph. Cinna. Zinzib. ana gr. iſs. Vid. Schol. p. 15. Sumatur in Bolo, vel Miſtura cum vehiculo convenienti. Doſis a ℈i. ad ℈ij. vel ʒi. vel doſ. Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ℈ij. Juveni 30 Ann. ʒiſs. Cum Cryſtalli vel Cremor Tartari, vel quodvis acidum ejuſdem Naturæ miſceatur, vel ſumatur cum Jalapio, Scammonio, vel Reſinis Catharticis ſimilibus, multum minuit earum Vim purgatricem. Boer. Chem. Pulvis hic raro ducitur in uſum,

uſum, frequentius autem Infuſum Senæ commune. Schol. p. 203, 204. Vid. Infuſum Senæ Limoniatum. p. 205.

Pulvis Sternutatorius. p. 111.

Olim denominabatur Pulvis Cephalicus. Titulus ſufficienter exprimit Intentionem hujus; prodeſt in omnibus capitis doloribus, in Cephalalgia, Vertigine, Lethargo, ſurditate, paralyſi, et podagra, ſi pulvis hic, vel Sp. Vol. Aromaticus, ſuffletur in Nares, dilutus cum Aq. Roſarum Damaſcenarum, &c.

Errhinum eſt congruum efficaxque, ſuperius pleriſque aliis Herbaceis pulveribus Sternutatoriis, qui ſub hoc nomine væneunt: Membranam pituitariam expurgat, a ſternutandi motu convulſivo; unde a diſploſione ſubſequenti ſubvenit capiti. Sternutatoria Cerebrum purgant, irritando Spiritus undulantes in Nervis, quorum extremitates Naribus diſſeminantur: Spiritus enim commoti ſpaſmos, et motus tumultuoſos ineunt; atque ita humores viſcoſos antea impactos a locis ſuis excutiunt, et per infundibulum et glandulam pituitariam e cerebro in Venas eliminant; Pus vero et Putrilago, quæ e naribus per ſternutationem ejiciuntur, e glandulis tantum, et vicinis partibus eliciuntur.

Folia Aſari ſiccata et pulveriſata ad ℈i. veſperi ſumpta ſub lecti ingreſſum per noctes tres vel

vel 4 ſimul, ubertim Caput purgant, et multum tenacis, mucoſæ lentæ materiæ e Capite educunt.

℞. Fol. virid. Aſar. contuſ. a N°. v. ad ix. affunde Zythi (vel Vini) ℥iij. macerentur frigide per horam i. et exprimendo coletur pro Hauſtu Emetico. Fuller. Pharm. Extemp.

Fol. Aſar. pulveriſat. ℈i. per ſe diu continuatus, ut Sternutatorius, Hœmorrhagiam Narium frequenter induxit.

Rad. Aſar. ℥ſs. per noctem infuſ. in Vino, Medicamentum eſt Emetico-Catharticum eximium adverſus Febres intermittentes, Hydropem, Podagram, dolores Iſchiadicos, ſpeciatim Dyſenterias, et Diarrhœas. Etmuller.

Rad. Aſari craſſam pituitam, Bilem utramque, per Vomitum ac nonnunquam per ſeceſſum violenter expurgat, Diureticum eſt, ac Emmenagogum inſigne; Hepar, Lienem, Veſicamque Fellis aperit. Hinc utile eſt in Arthritide, Hydrope, Febribus, præcipue Tertiana, Quartana, Icteroque, &c. Schrod.

Pulvis e Succino compoſitus. p. 112.

Subſtituitur loco Trochiſcorum e Carabe vel Succino priorum Pharmacopœiarum; Elegans et utilis eſt Pulvis aſtringens, licet ingrediens, a quo denominatur, parum contribuit ejus virtutibus. Adverſatur Hæmorrhagiis, et Menſium fluxui enormi et Hœmorrhoidum;

dum; Hæmoptyſi, Dyſenteriis, etiamque Lienteriis, et Gonorrhœis ſummum levamen conciliat. Hujus Pulveris gr. XL. continent Opii gr. i. Doſis a ℈i. ad ℈ij.

Succinum per ſe non multum in uſu eſt. Chemia autem aperit texturam ejus nimis compactam, unde corporis elaborationi naturali cedit vires ejus.

Pulvis e Tragacantha coompoſitus. p. 112.

Olim Species Diatragacanth. frigidæ. Hoc eſt refrigerans, humectans, emolliens, leniens, acrimoniam mitigans, incraſſans, agglutinans medicamentum, acrimoniam ſeri leniens in Bronchiis et Inteſtinis, hinc nonnullis emolumenti evadit in Ardoribus Hecticis, Hæmoptyſi, Tuſſibus titillantibus, faucium aſperitate, defluxionibus Pectoris et Pulmonum; Pleuritide, Tabe, Phthiſi, Siti intolerabili, ſtranguria, Urinæ ardore, nonnullis fluxibus alvinis, aliiſque morbis a tenui humorum ſtatu exortis, vel a Muci naturalis inteſtinorum abraſione, Gonorrhœis pungentibus, Diarrhœis, Dyſenteriis, et Ulceribus Renum; majorem conſiſtentiæ gradum primis impertit, et ab irritando et excoriando poſtrema tuetur, ubi Sanguinis rapiditas aliquoties abradit, diſrumpit, lacerat capillaria, et ſecum abducit, hæmorrhagiaſque internas inducit.

Doſis

Doſis a ʒſs. ad ʒij. vel iij. frequenter repetenda.

Sumatur vel in forma Lohoc vel Linctus, hujus Pulveris q. s. admiſcendo Syrup. ex Althæa et Ol. Amygd. dulc. ſenſim deglutiatur in Morbis Thoracis: ſive in forma Emulſionis cum Aqua hordeata paratæ, in quavis intentione memorata.

Pulvis optime recens paratur.

Vid. Vires Gum. Tragacanth. Schol. p. 264.

Radix Eryngii condita. p. Ph. 29.

Vires hujus videantur. Schol. p. 108.

Reſina Aloes. p. 34.

Nonnulli opinantur Vim purgatricem Aloes integre reſidere in ejus Reſina; experientia autem demonſtravit, quod Reſina pura parvam vel nullam obtinet qualitatem Catharticam; et Partem gummoſam, a reſinacea ſeparatam, potentius agere et purgare. Virtus vulneraria et balſamica Aloes reſidet præcipue in Reſina ejus; hinc Aloe Hepatica quæ magis reſinoſa eſt, quam Aloe Socotorina, majoris emolumenti reperitur ad externas applicationes.

Vires

Vires Reſinæ Aloes videantur ad Scholii hujus 159, 160. Omnes Reſinæ diſſolvi poſſint in Oleis, vel Syrupis quibus Menſtrua ſunt.

Reſina Flava. p. 38.

Remanet in Veſica, poſt diſtillationem Olei Terebinthinæ ex Veſica Cuprea cum Aqua. Interne aſſumpta Diuretica eſt, et Odorem violaceum illico Urinæ impertit, ratione ejus Virtutis penetrantis: Terebinthina vix inferior eſt ullis Balſamis nativis in Medica ipſorum intentione. Emplaſtris dat conſiſtentiam; maturat, et attrahit, uſurpatur tantum in externis applicationibus, et ſimilibus propoſitis. Reſina flava omnes Reſinæ proprietates habet, nam inflammabilis eſt ad ignem, Aquæ non miſcibilis, friabilis ubi frixerit, in Oleo vel Spiritu Vini ſolubilis, parvo caloris gradu liquefit. Si Reſina flava diu ſervetur in aperto vaſe ſupra focum, vertitur tandem in Colophoniam. Reſina flava ingreditur Empl. Attrahens; Cephalic., commune Adhæſiv., Veſicatorium, Ung. ex Althæa; Baſilic. flav. Baſilicum nigrum, Baſilic. viride, et Ung. ad Veſicat.

Reſina

Reſina nigra vel Colophonia. p. 38.

Reſtat in fundo Retortæ poſt diſtillationem Olei Terebinthinæ Ætherei, quæ eſt Reſina eouſque excocta, et omne ipſi fere perierit oleum; cæterum eſt inflammabilis ad ignem, Aqua ſolubilis, liqueſcens etiam parvo caloris gradu, friabilis, reſolvique iterum in Oleum poteſt, ſi ab igne urgentiori vehementiorique nondum diutius premeretur. Hæc autem Colophonia eſt meta ſive finis ultimus Balſamorum.

Colophonia a Reſina differt, utpote minus viſcoſa, difficilius ſolubilis, durior autem et fragilior ubi refrixerit. Reſina nigra vel Colophonia etiam obtineri poteſt ex Reſina flava poſt diſtillationem Oleorum diverſorum, &c. Reſina nigra reſtat in fundo Retortæ.

Vires Colophoniæ videantur ad Schol. hujus. p. 106. 107.

Rhabarbarum et Rhabarbari torreſactio: p. 24.

Ita nominatur a Rha fluvio, juxta quem creſcit, ſupra Pontum, Iſid. Radix ipſa Rhabarbari pulveriſata et in ſubſtantia exhibita, pluris valet quam Syrupus, vel Tinctura ejus, et in fluxibus omnigenis prodeſt, exhibita a gr.

x.

x. ad ℈ij. vel Doſ. Pulveris Infanti 6 Ann. gr. x. Adoleſcenti 16 ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi.

Catharticum Vermifugum optimum habetur pro Infantibus, frequenter repetendum. Bilem purgat, acrimoniam tollit. Qualitas purgativa Radicis reſidet in partibus gummoſis ejus, quare optime extrahitur cum Menſtruuis aquoſis, ſale lixiviali impraegnatis. Infunditur a ʒi. ad ʒiij. pro Doſi una. Siquis aſſumpſerit Hauſtum Infuſi Rhabarbari, vel Croci jejunus, quadrante horæ, Urina tingetur colore intenſe flavo, perinde ac Tinctura, vel Vinum horum vegetabilium fuerit. Vires Rhabarbari. Corroborat Fibras laxas, Stomachum et Viſcera; Hepaticum, Diureticum, et anti-nephriticum eſt, in Ictero fere infallibile, Sabulo, Renum calculoſis concretionibus, Glandularum Inteſtinalium et Meſentericarum obſtructionibus. Verum pernicioſus eſt hujus uſus Renibus, et Veſicis inflammatis, quoniam calfacit; adeo improprie adhibetur Hæmorrhagiis.

Succurrit Diarrhœis, quia eodem tempore purgat ſimul et corroborat. Rhabarbarum ingreditur Pilulas Ecphracticas, Pil. Mercurial. Tinct. Rhab. Spirir. et Tinct. Rhab. vinoſam. A Torrefactione, Rhabarbarum minus purgativum redditur, magiſque aſtringens, ad Dyſenteriam, Diarrhœam, Lienteriam, fluxus alvinos et Vomitum.

Rob

Rob Baccarum Sambuci. p. 30.

Rob, Rohob, Robub, vel Apochyliſma. i. e. Succus inſpiſſatus Fructuum ad craſſitudinem Mellis; eſt Verbum antiquum jamdudum abſoletum. Quandoque ei et Saccharum, cum Succo ſimul inſpiſſandum, additur. Hic Succus Diaphoreticus et Alexipharmacus eſt, prodeſt in Scorbuto, Ictero, cachexia, eryſipelate et Hydrope; Serum acre, Bilem et Aquam prolicit. Doſis Infanti 6 Ann. ʒi. Adoleſcenti 16 Ann. ℥ſs. Juveni 30 Ann. ℥i. et ultra. Summe Saponaceum, reſolvens et Antiſepticum eſt Medicamentum; cui in praxi regulari non adeo frequenter proſpicitur ac meretur. Ex frigore vulgari ſuſcepto nihil melius eſt quam hujus cochlear. i. ſoluti in Aq. font. pint ½ ſub lecti ingreſſum ſumpti. In Dyſenteria eximium edidit effectum Diureticum, Sudoriferum; et utiliter obſtructiones Viſcerum aperit, ſi diuturne continuetur uſus ejus.

Saccharum. p. 17.

Vide Vires hujus ad Schol. p. 231, 232, &c.

Saccharum ingreditur Confectionem Alkermes, omnia Condita, Confectionem Car-

 diacam,

diacam, Conſervas, Electarium Lenitivum, Emulſionem communem, Julepa, Syrupos, Tabellas Cardialgicas, Tincturam Roſarum, et Trochiſcos fere omnes.

Saccharum Roſaceum. p. 115.

Olim Saccharum Roſatum Tabulatum. Multum præſtat Conſervæ Roſarum, in multis intentionibus. Maxima, pro curandis Phthiſicis, Rhodoſaccharo vis, atque Poteſtas egregia eſt; nam modice refrigerat ob febrim, ob ulceris ſaniem detergit, ob ſolutionem continui agglutinat, et aliquantulum aſtringit. In Catarrhis, Tuſſibus inveteratis, &c. proficuum eſt. Nonnulli hoc præparatum æſtimant ob reſtringentiam levem; eximium additamentum habetur in Phthiſicis et Hecticis conditionibus. Aſt Roſæ in primis duobus Menſibus, abſterſionis cauſa, ſint exungulandæ, in ultimis non detrahuntur Ungues.

Saccharum Saturni. p. 57.

Saturni Sal, Vitriolum, Magiſterium, Cryſtallus, ſeu Saccharum Saturni ſunt Synonyma. Authores varii hoc multum commendarunt, et deprædicarunt ſupra fidem omnem humanam, adverſus Hæmoptyſin, urinam

nam cruentam, Fluorem album muliebrem, Gonorrhœas, &c. Verum internus ejus uſus nocet, et neutiquam tutus eſt: Intrinſecus doſis a gr. i. ad ij. iij. vel gr. iv. Externe ad libitum, vel q. s.

Extrinſecus porro caute uſurpatum Mira præſtitit in Ulceribus cancroſis, malignis, corroſivis, Hæmorrhoidum doloribus et ſimilibus; contra ambuſta, Inflammationes, puſtulas faciei rubras, obtundit acrimoniam humorum acrium, detergit ulcera obſtinata, madida, ſanioſa, eaque exſiccat et cicatrizat. Geoffroy et Zwelſer.

Intus ſumptum, occurrendo alkali in corpore humano, convertitur in Calcem vel Ceruſſam, quam omnes norunt eſſe Venenum, ab acido Aceti antea demolito exiſtente; ubi Acidum ab alkali ei occurrente abſorbetur, unde poſtea evadit ſumme periculoſum corpori et Virus immedicabile. Hinc multi queritantur de pondere in Stomacho, appetitu diminuto, acerbis viſcerum doloribus totiuſque corporis, obſtinatis conſtipationibus, ſpaſmis, tremoribus, impotentia et debilitate Nervorum, Morbiſque variis, ab uſu interno Sacchari Saturni, citius vel tardius ſubſequentibus doſes nimis liberales hujus.

Interne pro veneno habitum fuit a veteribus, hinc nunquam intro corpus dandum, cum triſtiſſima ab ejus uſu viderit Exempla Dominus Boerhaave; quod ſi forte in ullis caſibus profuerit, peſſimos ſemper alios induxerit

morbos, uti Tabem, Aſthma, Phthiſin; ideo cavendum ab interno hujus uſu, ut et Tincturæ Saturninæ, ne interne porrigatur ut expectorans, neque in Diarrhœa.

Idem cum Aqua, in forma Fomenti, ſolutum lacteſcit, unde conficitur Lac virginale, ita vulgo vocatum, in Opthalmiis vel Oculis inflammatis, rubris, humidis, ut Collyrium uſitatum, et plurimum valet ad ſedandas inflammationes, a cauſa acida, verum non ab Alkalina oriundis. Externe opitulatur Lippitudini Oculorum, Ulceribus ſordidis, ſanioſis, membris ambuſtis, imo ſingulis prope Cutis vitiis; valde exſiccat et aſtringit, unde nonnullis hujuſmodi ſaturnina inſtar omnium ſunt, ut nihil ſupra poſſet.

Epithema de Saccharo Saturni Full. Pharm. Extemp. ℞. Acet. ℔ſs. Sacchari Saturn. ℥i. m. huic immergatur petia Linea dupla: frigide Cordis regioni applicetur, et quoties tepeſcat, renovetur. Experimentum eſt mirabile contra Narium Hæmorrhagiam (ob frigus impreſſum) horrorem leviculum incutiet, et mox effluxum (uſque licet profuſum) certiſſime cohibebit. Valet in faciei rubore, puſtulis, inflammationibus curandis, &c.

Si Saccharum Saturni commiſceatur Unguento ſimplici ſuccurrit Impetigini, et aliis morbis cutaneis.

Calidæ ſolutiones aquoſæ Sacchari Saturni, Vitrioli, Aluminis, Salis Chalybis, vel Aqua calida, Alcohol, et omnes Spiritus Acidi, dempto

dempto aceto, incraſſant et coagulant Sanguinem; et e contra Aqua frigida vel tepida, Solutiones Salis marini aquoſæ, vel Salis Gemmæ, Nitri, vel Boracis Sanguinem attenuant et liquefaciunt: His annumerantur Sal Ammoniacus, Sal Diureticus, omnes Alkalini Spiritus, et Sapones, ſub quibus Acetum includatur, utpote Salem et Oleum ſtricte unita continens, eundem liquant, et diſſolvunt.

Sal Abſinthii. p. 40.

Sal Abſinthii, Cardui benedicti, Fabarum ſtipitum, Geniſtæ, &c. ex Cineribus prolectus, perinde enim erit ex quacunque Planta ſucculenta, viridi et recenti comburantur Sales alkalini fixi; nullas enim vires ſpecificas conſervant earum plantarum, ex quibus eliciuntur, ſi penitus calcinentur, et ab omni Oleo liberentur. Hi Sales dicuntur alkalini, propter ſimilitudinem, qua accedunt ad ſalem illum, ex Planta ſpinoſa Kali, in Ægypto ubertim creſcente in Solo arenoſo prope Nili oſtium, olim paratum; hinc omnes Sales fixi vocantur Alkalini, adjecta particula Arabica Al, ex cineribus hujus Plantæ vehementi igne combuſtis, donec omne phlegma, ſpiritus, et Oleum penitus fugantur. Ex his cum Aqua extrahunt Lixivium, quod inſpiſſant; et hoc inſpiſſatum eſt Sal ille Alkali ſtricte vocatus.

N. Sales Alkalini non debent cum acido aliquo ſumi, quando ſola eſt intentio debellandi Acidum in corpore humano. Sales Alkalini fixi exhibentur ut plurimum ad infringendum acidum, adque viſciditatem humorum incidendam, quare non modo ſudorem pellunt, ſed ſubducunt inſuper et alvum, ſtimulando et irritando ad excretionem retentorum. Juxta Medici intentiones, variis admiſceri ſolent remediis. Sales Lixiviales omnes potenter attenuant, aperiunt, reſolvunt, incidunt, ſtimulant, fundunt humores quoſvis craſſos, viſcidos, participeſque Acidi in momento deſtruunt, ſibi adjungunt, et cum eo in Neutrum Salem concreſcunt; movent Urinam, obſtructiones reſerant, alvum laxant, ſudores cient, cutis poros aperiunt; hinc in morbis lentis, Hydrope, Scorbuto, podagra, Ictero, ex acido et auſtero, egregii ſunt uſus. Verum ſi in nimia adhibeantur copia, totam maſſam ſanguineam, Veneni inſtar, deſtruunt. Morbis infinitis conducunt, nempe omnibus iis, qui ex humorum infarctu, et ab acido generantur, etiam morbis pituitoſis, Scorbuto et Epilepſiæ; atque in morbis plurimis Chronicis utiles evadunt hi Sales, ubi reſolvens ſimul et ſtimulans exigatur vel toleratur, h. e ubi ægri conditio ferat. Non Phthiſicus ſit, non Hecticus, non Inflammatione laboret, non diſſolutum nimis habeat Sanguinem.

Omnium horum Salium vires, doſes, et intentiones eædem ſunt. viz. a ℈ſs. ad ℈i. vel

ʒſs.

ʒſs. in idoneo Vehiculo; at Barchuſen, Boecler, Zwelfer, &c. aiunt ad ʒi. Memento autem, quod Sales omnes hi lixiviales probe dilui debent, ita ut Salis ʒi. in Aq. ℥ix. ſolvatur, alias Oeſophago et Stomacho nocerent ſuis qualitatibus cauſticis.

Sal Abſinthii modo ſequenti in Salem Neutralem converti queat, commiſcendo hujus Salis ʒiij. Succ. Limonum ℥iij. unde obtinetur Medicamentum antiemeticum, quod vomitum vehementem tute, mirum in modum ſiſtit, modo abſit Stomachi ulcus et ejuſdem inflammatio.

Sales Alkalini curant Febres intermittentes, cum Cortex Peruvianus fruſtraneo eventu adhibetur, ſi Sal Abſinth. ʒiij. ſolvantur in Aq. font. pint. ij. et Saccharo edulcoretur, cujus ſumatur pocillum, quali Theæ potatores utuntur, alternis horis. Atque ſummæ ſunt efficaciæ, ſi v. g. Salis Abſinth. ʒiij. ſolvantur in proportionata Aquæ quantitate, et exhibeantur vicibus variis in intervallo Paroxyſmorum duorum, raro fallent in curanda Tertiana obſtinata vel Quartana; penetrante enim et activa eorum virtute omnes Capillarium obſtructiones perrumpent, tranſitum præbendo materei impactæ per Glandulas cutaneas, unde totus febrilis lentor tandem funditur, et penitus corpore exturbatur.

Sales hi Alkalini fixi Febribus lentis conducunt, nocent autem Febribus inflammatoriis; proſunt Ictero, Scorbuto, Arthritidi ab

acida cauſa, et ſuccurrunt Hydropi, in Vino decocti, a ſimili conditione, ubi Hepar et Viſcera ſana ſint. Obſervare autem debemus hos ſales non exhiberi iis, ubi conſtitutio jam nimis ſalina ſit, vel ubi ſolida nimis debilia ſint ad ſuſtinendam eorum actionem.

Omni fere liquido humano ſunt miſcibiles, attenuant omnia quæ ope acidi creſcunt, et reſolvunt glutinoſa omnia in corpore: Bilis, Lymphæ, Seri, et Sanguinis coagula reſolvunt, coeuntia hæc diluere iterum poſſunt, ſi Aqua calida juventur et adhibeantur. Dentes a Carie non exeſos quam optime e ſordibus liberant, atque dealbant. In omni morbo calido, in omni febre maligna, in omnibus Variolis et morbillis; in morbis denique omnibus, in quibus Sal Alkalinus prædominatur, vel Sal muriaticus, hi ſales venena ſunt, et morbum in mortem ſubito mutant. Mercurium ſublimatum, in Aqua ſolutum, præcipitant ſemper in pulverem rubrum; Succos Plantarum, et Violarum et Roſarum, vertunt in virorem; quæ omnia Alkali præſentiam demonſtrant, ſi ſuccedunt; et abſentiam, ſi minus. Nunquam ex vegetabilibus aſſumptis Sal in nobis ingeneratur Alkalinus, verum talis in nobis fit, et generatur per motum Sanguinis vehementiorem et Morbos.

Sal Alkalinus fixus non eſt nativus plantæ, nec ulli per Naturam ineſt Plantæ; ergo Filius tantum Artis et Ignis, et non Naturæ.

Sal

Sal Alkalinus fixus cum Lacte recenti coctus, idem rubefacit.

Sydenhamus commendat Lixivium Cinerum Geniſtæ in Hydrope, alii laudant in Sabulo.

Sal Tartari et Sales omnes fixi habentur incidentes, utileſque in ſudore et urina promovenda.

Conferantur antedicta cum Sale tartari. et cum Sale Cornu Cervi volatili alkalino.

Sal Ammoniacus purificatus. p. 40.

Sal Ammoniacus coquendo deſpumando, filtrando, evaporando ad pelliculam in Aq. q. s. dein affundendo in Vaſa magna ad cryſtalliſandum, convertitur in purum album Salem, ſubtiliſſime ſtimulantem et penetrantem, mobilem per omnia noſtra viſcera, et canales humani corporis, exceptis ſolum nervis, et potenter reſiſtentem Putredini. Hic Sal mire miſcibilis eſt omnibus noſtris fluidis animalibus, aperiens, attenuans, reſolvens, ſudorificus, perſpirationem augens Sanctoriam: hinc celeberrimus febrifuga virtute, ante paroxyſmum datus ad ʒi. vel ℈iv. pro doſi una, ſolutus in Aqua vel Vino, appetitum egregie reſtituens; mire curans Quartanas in conſtitutionibus a Scirrhis et Hectica immunibus; alias vulgo morbum augens. Medicamentum vere

vere eximium eſt tam in acutis quam chronicis morbis, utpote Sal eſt benignus; multo mitior in operatione ejus quam Sales foſſiles et congener in corporibus Sali noſtris, minime tendens in Naturam alkalinam, et mediocriter ſolvens Sanguinem.

Galenus de hoc probe obſervavit, quod minoris eſt ſpecificæ gravitatis quam Sal marinus, ſanguinem diluens ſine quavis violenta commotione, ob quam rationem exhibeatur in multis morbis majori cum emolumento, ubi corpus ferre nequit commotiones et perturbationes ; ubi ſolvitur in Aqua intenſum frigus creat, non multo inferius glacie ipſa ; unde liquores in hac ſolutione immerſi redduntur vehementiſſime frigidi, et grate potabiles in ſummo æſtu. Non acidus nec alkalinus eſt ; in Cryſtallos ſingulares oblongas cryſtalliſatione vertitur, ſemi-volatilis eſt et ſemi fixus ; ex recenti obſervatione videtur eſſe Nitrum Hippocraticum, et Veterum Ægyptiorum. Febribus reſiſtit, obſtructiones tollit, prodeſt menſtruis ſuppreſſis, peſti, &c. Doſ. a gr. xx. ad ʒiſs. Boer. Chem. impreſ. et M. S.

Commendatur ut grande ſpecificum in Febribus intermittentibus ad ʒſs. cum Oc. Canc. pp. ℈i. ante paroxyſmi acceſſum : proſpero eventu præſcribitur in Pleuritide, cum Expectoratio indicetur, a ℈i. ad ʒſs. cum Syr. Papav. erratici, Externe, hic Sal minutis ſpiculis ſolidas fibras penetrat, fluida pituitoſa attenuat ; itaque in Tumoribus tonſillorum vel Uvulæ

forin-

forinſecus Sal Ammoniacus, Gargariſmis cum aliis admixtus, Anginæ, &c. inflammationibus medetur. Hic Sal non mutat Tincturam Heliotropii inſtanter, ſed paucis abhinc horis dat rubrum colorem (i. e. a dark red colour.) Non coagulat Lac, neque ullo modo afficit ſolutionem Mercurii corroſivi vel ſublimati. Cum Lixivio Tartari, vel Aquæ Calcis commiſceatur, penetrantem odorem præbet; et cum Sp. Vitriol. fort. violenter efferveſcit ad magnum frigoris gradum. Geoffroy.

Contra Hydropicorum Tumores auxiliatur, dolores fotu mitigat, et pruritus ſedat cum Oleo (amygd. vel oliv.) et aceto infrictus ad ignem donec ſudent; item Lichenes, Lepras, Pſoraſque levat illitus. Ambuſtis ab Igne, et Aquis ferventibus, cum Oleo impoſitus puſtulas erumpere non patitur. Podagricis idem imponitur; Eryſipelata et Ulcera, quæ ſerpunt, cum Aceto illitus, ſiſtit. Dioſcorid. Materia Medica per Ruellium. p. 467, 468. Solutiones aquoſæ Salis Ammoniaci liquefaciunt et ſolvunt Sanguinem.

Salis Ammoniaci Solutio nulla ratione mutat ſerum Sanguinis, niſi quod diluat ut marinus. Hinc uterque hic Sal Sanguinem naturaliter conſtitutum ex animali eductum a coagulo impedit. Unde Laniones hos addunt Sales, ubi Sanguinem non coagulatum, per aliquod temporis ſpatium, ſervare voluerint.

Sal

Sal Ammoniacus nonnunquam vocatur Armeniacus, ut quidam volunt, ab Armenia, unde in Europam tranſportari ſolet. Sal Ammoniacus vel Sal Cyreniacus peculiariter Natione laudatur, loco nempe ubi invenitur videlicet ab Ammonia, Mediterranea Libyæ Cyreniacæ parte in Africæ Regione, vel a fluvio in Arabia, ubi Ammonii habitant ab ἄμμος arena, in qua ultima Regione Jovi Ammoni templum vel delubrum exſtruebatur, ubi illud ferulæ genus imprimis naſcitur, unde Gummi Ammoniacum provenit, et Sal iſte effoditur, vocatus Sal Ammoniacus, ubi Jupiter Ammon ſub ſpecie Arietis cultus eſt in Libya. q. d. arenarius.

Alii ab Hamo Filio ſeniori, vel ut alii volunt filio tertio Noæ vel Noachi, cujus Poſteri Libyæ cultores, unde Ægyptus χημία, (i. e. terra Chemi) a Chamo, ſeu Cham uti Pſaltes eam vocat, vel Ham, culto in Africa ſub nomine Jovis Ammonis. Boer. Barchuſ. Dioſcorid. per Ruellium, &c.

Sal Ammoniacus olim ad nos delatus, a loco Natali templo Jovi Ammoni ſacro proximo nomen deſumpſit, circa quam ex Urina Camelorum, a Magnatibus, Fanum vel Oraculum Jovis conſulendi gratia, advenientibus eo delatorum, ibidemque pernoctantium, depoſita, ut et Spiritu ſubterraneo, ibidem dato ſubacido, permixta concretum fuiſſe putatur. Le Mort. Collect. Chem. Leydenſia. p. 18.

Hujus

Hujus defectus nunc Artificiali vel factitio Sale ſuppletur cujus præparatio ſequens eſt.

℞. Urinæ partes x. adde Salis Marini partes ij. Fuligini Lignorum combuſtorum partem i. Omnia hæc ſimul digerantur aliquandiu in loco tepido; et mixtura leniter poſtea diſtilletur ex Retorta vitrea in calore Arenæ, donec Maſſa remanens fiat fere ſicca; ignem diminuendo ſub finem operationis, ad Materiem a ſublimando reſiſtendam: exime dein Maſſam reſiduam, contunde in Pulverem, et ſublima in Vaſis magnis, cum propriis gradibus caloris, in glebas vel fruſtula, quæ appellantur Sal Ammoniacus vulgaris. Ut gargariſma uſurpatur, et efficax eſt in tumore Uvulæ et Tonſillarum, atque in Paralyſi Linguæ, a pituitoſis, viſcidis, mucoſis humoribus oriunda, colluendo et fomentando partes affectas.

Sal Catharticus Glauberi. p. 47.

Olim vocabatur Sal Mirabile Glauberi.

Paratur a reſiduo poſt diſtillationem Sp. Salis marini Glauberi, in Aqua ſoluto, filtrato, hinc evaporato, et cryſtalliſato: vel potius a reſiduo Sale menſali, de quo Spiritus Vitrioli fortis abſtractus fuerit.

N. Ut hic Sal optimus habeatur inſtar adamantis pellucidus, et puriſſimus, ſæpius ſolutio repeti debet et Cryſtalliſatio; hac nempe ratione

ratione emittit acrimoniam ſuam corroſivam, et tutius fit Medicamentum. Ergo in hoc conſiſtit omnis Ars præparandi; Cryſtalli debent eſſe amari quodammodo, vel ſalſo-dulcis (quæ eo meliores) ſaporis. Boer. Chem. M. S. p. 141. et Barchuſen Synop. Pharmac. p. 27.

Agillimum eſt Catharticum mite, adhuc notum, leniter et efficaciter operatur ſine torminibus, ægritudine, vel aliis inconvenientiis, quibus reſinacea purgantia ſæpius concomitantur: Solutionem ejus in Aqua diſtillata quavis commode mentiri queas per additionem Rubri, Cærulei, vel flavi Syrupi: Hujus Salis doſ. a ℥ſs. ad ℥i. vel ultra in Aquæ purgantis, vel Aq. font. pint. i. vel ij. Operatio ejus eſt cathartica et diuretica; reſpondet intentionibus omnibus plurimarum purgantium Aquarum Mineralium. Egregiæ virtutis deobſtruentis eſt, unde a multis ut Specificum bene audit in Hypochondriacis, et Hydropicis; fortaſſe non melius datur purgatorium mite quam hocce; bono effectu in parvulis doſibus exhibeatur, frequenter repetendis, ut refrigerans et deobſtruens, copioſe ebibendo fluidum quodvis diluens.

Hic intelligo Salem Catharticum Glauberi, non Salem Catharticum amarum, qui frequenter hujus loco ſubſtituitur. Hic Sal ita tractari queat, ut determinetur per Urinam, ſudorem, perſpirationem, cum Vehiculo idoneo; ſi æger calidus ſervetur, perſpirationem auget,

auget, et per exercitationem mediocrem in Aere ſrigido, urinam ciet.

Uti autem oportet prudentia, quoniam ſopire aſſolet, vel integre poteſtatem genituræ obolere; inquit Boerhaave Chem. Egomet ſæpe expertus ſum hunc Salem Catharticum Glaub. ab ℥i. ad ℥iij. pro doſi una, in multa Aqua ſolutum proſpero dari eventu in Mania, atque in minore doſi in fluore uterino, et fluore muliebri albo: V[æ]. S[e]. et Emetico præmiſſo.

In Chirurgia hic Sal verus eximii uſus eſt in putrefactionibus et Gangrænis. Si probe præparetur, ſiccetur, pulveriſetur, et cum triplici pondere Aceti, Cereviſiæ, Vini vel Aquæ, ſupra ignem permiſceatur, poſtea in loco frigido ſeponatur per horas 12 vel 24 illos liquores in glaciem convertit.

Chemiſtæ nonnulli volunt hunc Salem Catharticum Glauberi eſſe Tartarum Vitriolatum verum, longe autem hallucinantur: Tartarum enim Vitriolatum non habet proprietates Salis Cathartici Glauberi, quatenus ad Figuram, Saporem, effecta, utque Menſtruum in Metallis ſolvendis, &c.

Hæ Cryſtalli Aurum, necnon alia corpora ſolvunt. Cum in Crucibulo liquentur, et quarta Antimonii pars fruſtulatim per Vices injiciatur, mire illud ſolvunt. Menſtruum præterea eſt, ad aperienda alia corpora Metallica et Sulphurea, mirabile.

Solutio

Solutio Salis Cathartici Glauberi, in Aqua, ſerum Sanguinis coagulat extemplo, et albeſcit, quaſi Sp. Vitrioli fortis cum eo permiſtus fuerit.

Sal Cornu Cervi. p. 49.

Hic Sal eſt volatilis Alkalinus penetrantiſſimus, Alexipharmacus, Cephalicus, Uterinus, fœtidus, acer, ſtimulans, aperiens, diureticus, ſudoriferus, reſolvens, ſepticus, et cauſticus. Unuſquiſque Sal Volatilis, in genere, viſciditatem humorum incidit et attenuat, quodvis acidum in corpore peccans enervat et abſorbet, ſpiritibus animalibus ſuccumbentibus auxiliatrices ſpondet opes, Syſtema nervoſum ſtimulando; maxime ſpiritus labantes ſuſcitat ſub declinatione febris ardentis; prodeſt in Nervoſis caſibus, Vertigine, Epilepſia, paralyſi, lethargo, Syncope, Cordis tremore, Febribus intermittentibus, Ictero et Pleuritide: Diaphoreſin aliaſque naturales ſecretiones promovet, et magni momenti remedium eſt in Scorbuto, Cachexia et Menſium obſtructione: Speciatim utilis eſt in Apoplecticis, Lethargicis, ſoporoſiſque affectibus; in Hypochondriacis, Melancholicis, et Hyſtericis morbis et languoribus, Cephalalgiis, Stomachi inflationibus, Colicisfl atulentis, et aliis ſymptomatibus, quibus aſſociantur: generatim

generatim compertum eſt, hunc majoris eſſe emolumenti ætate provectis, et habitibus phlegmaticis, quam in oppoſitis circumſtantiis. In febribus autem inflammatoriis nocet, demptis iis, quæ ſociantur cum Tuſſi, Raucedine, et Phlegmatis redundantia: convenientiſſime exhibeatur in forma liquida, affatim diluta cum Aqua vel aliis idoneis liquoribus, in Hauſtibus. Doſis Salis puri a gr. ij. vel iij. ad gr. x. xij. vel ultra ad gr. xx. vel Doſ. Infanti 6 Ann. gr. iv. Adoleſcenti 16 Ann. ℈ſs. Juveni 30 Ann. ʒſs. Sales volatiles debent ſtatim in Vehiculo frigido propinari, avolant ſecus. Nequaquam præſcribantur in forma Boli, Electarii, vel Pilularum, quoniam decies maſſam augebunt, vel volatilitas eorum exhalabit.

Methodus ſequens eſt optima ſumendi Salem Volatilem C. C. et Salem volatilem Succini, unde f. Hauſtus e Volatilibus ſecundum Fullerum.

℞. Sal. vol. C. C. ℈ſs. Sal. Succin. gr. v. Vin. Canar. ℥iv. Ol. N. M. gutt ij. Sacchar. alb. ʒij. m. commodiſſima hæc videtur forma, qua, minima cum palati offenſa, aſſumi poſſint ſalia volatilia, atque eſt plane quoddam Sal volatile oleoſum extemporanee paratum; ſpiritus labaſcentes, aut proſtratos exſuſcitat; Sanguinem grumeſcentem reſolvit, lenteſcentem incidit, ſtagnantem commovet, fæculentum depurat; et urinam ciet; Utiliſſime præſcribitur ad Capitis gravedinem, Lethargum,

 Para-

Paralyſin, Lipothymiam, Cordis tremorem, Pleuritidem, et Hydropem.

Etmullerus, egregius quidam practicus, ſcribit, quod, in Epilepſiæ paroxyſmo, Salia volatilia cum Clyſteribus injecta tam Infantibus, quam adultis, non ſine experto eventu commendat. Hic Sal eſt antacidus, i. e. cum acidis effervеſcens, cum iis in Salem neutrum concreſcens, qui tum eſt ſemi-volatilis, Ammoniacus. Cauſticus eſt volatilis, calore facile mobilis a termino calefaciente in peripheriam, hinc minus agens quam Alkalia fixa in ſolida; ſi vero coerceatur cum ſuis ſolvendis, validiſſime agens. Sic ſi talis ſal volatilis imponatur manui nudæ, nullum ederet effectum, ſed omnis difflabitur, quod ſi vero ita coerceatur ut agere in illum cogatur, agit vehementiſſime. E. g. ſi cooperiatur veſica oleo madida, vel ſimilibus, quo vis determinetur intus, et impediatur ne corporis calore avolat; hoc modo tractatus effectum ejus cauſticum brevi edit, in Fontanellis formandis, Verrucis duriſſimis, vel Oculorum excreſcentiis ſublevandis, uti frequenter expertum eſt; et fortaſſe cum emolumento idem applicari poſſit in Scirrhoſis et tumoribus Cancroſis; ſpecie fumi alkalini pulmones, Cava oſſis frontis et oris, intrans, lædens, emundans: Hinc ſi lateat in Pulmonum tenerrimis vaſis, aut cavitatibus ſupra et infra memoratis inacceſſis Acidum peccans, huic Remedio ſoli locus eſt, quippe quod ad locum affectum pertingere

tingere valeat. Summa autem cautela adhibendi ſunt hi Sales, propter inflammationes. quas citiſſime inducere poſſint, et peſſimas Sanguinem attenuant, ac ſi dentur in nimia quantitate, Hæmorrhagias produxerunt. Si quis ex improviſo per nares attraxerit fumum Sp. Nitri, vel aliorum acidorum corrodentium, ut ſæpius evenire Chemicis ſolet, Pulmones ſentiunt conſtrictos et læſos; nullum eſt præſtantius Remedium hiſce Salibus volatilibus alkalinis in Nares attractis.

Sal C. C. eximius eſt pro odoramento, ubi materies viſcoſa, vel mucus narium membranas infarſerit, vel circa Oſſa frontis, Os Sphænoides vel Cuneiforme, &c. hoſpitaverit; ſin Membranæ nimis fuerint nudæ, cauſtici ejus qualitate nihil minus noceret externa ejus applicatio, quam ſi per Os aſſumeretur, et revera odor ejus nimis frequenter et copioſe in Nares attractus, facile corrugaret, et inflammaret, et corroderet teneram Pulmonum ſubſtantiam, gangrænam partis, peripneumoniam, ſuffocationem, vel Phthiſin concitaret. Perniciosum igitur eſt Dominulis illis, debiles, tenellos, et languidos Pulmones habentibus, perpetim Phialas Olfacere odoriferas, hoc pungente, volatili, alkalino, et cauſtico Sale refertas.

Inter hos Sales animalium omnium nulla eſt differentia, ſi pariter tractentur, optime rectificentur, et depurentur. Ergo Sal Alkalinus purus volatilis ubique in rerum natura

idem eſt, quemadmodum antea de eorum Alkali fixo dictum eſt, et omnis diverſitas ab Oleo adhærente, vel magis vel minus accurata in alterutra depuratione et rectificatione, pendet. Ergo ipſorum Aqua, Terra, Alkali purum volatile ubique eadem. Non conſtat Salem Viperarum ullis aliis virtutibus indui quam Sal C. C. vel alius Sal animalis. Conferantur quæ dicta ſunt de viribus Alkalium fixorum ſub Sale Abſinthii. Schol. p. 357. Lixivio Tartari, p. 223. Boer. Chem. M. S. p. 113. 114.

Sal volatilis, vel Spiritus urinoſus, cum Oleo mixtus, ſtatim craſſeſcit, nec amplius volatilis ſpirat; quoniam ſub particulis oleoſis Sal volatilis ſe abſcondit.

Sal Volatilis, cum acido mixtus, fugitur; et ſalſum, i. e. acido-ſalſum, Sali Ammon. ſimilem, acquirit ſaporem: quapropter illi peccant, qui hos junctim potionibus, Syrupis, vel aliis acidis admiſcendos præcipiunt; excepta tamen conditione, ſi aliquiſpiam rem acido-ſalſam expreſſe deſideret. Ita et ſe habent Sales Alkalini fixi.

Sales volatiles in Mortario æneo contriti, ſtatim æruginem contrahunt; ſicque peregrinis viribus potiuntur. Et hi Sales non modo ab hoc, ſed a reliquis metallis inquinantur.

Solutio Alkali volatilis in ſero Sanguinis ſimplicem dilutionem facit, fœtorem autem nullum.

Solutio

Solutio Alkali fixi diluit, cum nullo alio mutationis ſigno, niſi quod fœtorem induat, imprimis ubi aliquantulum incaluerit. Boer. Chem. M. S. p. 120. Barchuſen Synopſ. Pharm. p. 22, 23.

Sal Diureticus. p. 44.

Vocatur quoque Sal Sennerti, Terra foliata Tartari, Terra foliata Philoſophorum; et Tartarus Regeneratus, improprie. Si Phlegma Aceti non evaporaretur in parando hoc Sale, qualitatem haberet Mixturæ Antiemeticæ ex Sale Abſinthii et Succo Limonum. Salis Diuretici doſis Infanti 6 Ann. gr. vi. Adoleſcenti 16 Ann. ℈i. Juveni 30 Ann ℈ij. vel doſis hujus Salis eſt vulgo a ℈ſs. ad ʒi. vel ʒij. robuſtis Diureticum et Aperitivum eſt inſigne; ſanguinem purificat, et malignitati reſiſtit. Doſis eſt a gr. x. ad xx. et ultra. Inſigne eſt Digeſtivum in humoribus craſſis incidendis et attenuandis; pro ſtimulo et corrigente, purgantibus additur Reſinaceis; Alii Elixirio Aloes adjiciunt, Tincturæ ſacræ et cæteris potiunculis laxantibus. Doſ. a gr. iv. ad ℈ſs. vel ʒi. in Aqua vel Vino, vel in aliquo liquore pro obſtructionibus antiquis reſerandis. Collectanea Chemica Leydenſia, p. 196. Omnes Scirrhoſos et Strumoſos Tumores, vel Glandularum indurationes potenter reſolvit. In Podagra et Hydrope pro-

deſſe queat, ea lege ut viſcera non corrumpantur. Penetrantis innocuæ eſt Naturæ, ſumma cum lenitate et clementia agens ut Sudoriferum, Diureticum, vel Catharticum, prout determinabitur virtute vehiculi, vel Pharmaci quocum exhibeatur. Boer. Chem.

Sal Diureticus eſt compoſitus, Saponaceus, Oleoſus, attenuans, aperitivus, depurans, detergens, nec Acidus neque Alkalinus, et Menſtruum pro diſſolvendo Myrrham, Gummi Hederæ, Gummi Laccæ, Succinum et ſimilia glutinoſa vegetabilia, cum mediocri calore, et ad multa alia aliter irreſolubilia; penetrat nempe omnia, quibus intime admiſcetur. Qualitate ſaponacea aperit omnes viſcerum obſtructiones efficacius, quam ullum aliud Medicamentum adhuc inventum et notum; Huic cedunt Scirrhoſitates etiam Hepatis, quas gradatim tuteque imminuit, et diſſolvit benigne, ſine acrimonia. Prodeſt in morbis Oculorum, uti cuticulis, Membranulis, Maculis, Cataractis non inveteratis, et abſtergit Oculos; inconvenientia unica huic occurrit. Sc. caritas ejus, quare minus univerſe uſurpatur, ob quam rationem homines rei anguſtæ locum ejus ſuppleant cum Cinerum Clavellatorum ſolutione ſequenti.

℞. Ciner. Clavellat. ℥i. Acet. ℥xx. ſolvuntur cineres calore, et ſolutio filtratur ad propoſita ſupra memorata. Porro ſi externe adhibeatur ad modum Fomenti, Medicamentum eſt mirabile in tumoribus ſcirrhoſis et Scro-

Scrophuloſis; Cavendum autem eſt ut Sal hic plane ſaturetur acido; alias, partes ad quas applicatur, excoriabit. Interne Doſis hujus Solutionis ℥ij. vel ℥iij. ex vino, vel Hydromelle, bis terve de die, in Hydrope, Scorbuto, Phthiſi; vel commiſceatur cum Melle, Syrupo Pectorali, vel Balſamico, ad Hydropem. Boer. Chem. paſſim.

Hic Sal eſt neutralis Saponaceus; quo candidior, eo purior: Eximium eſt Diureticum et Alterativum a ℈ſs. ad ℈ij. Mite eſt Catharticum Anti-hydropicum a ℥iij. ad ℥iv. ſemel vel bis in hebdomade ſumptum; Spiritus nunquam deprimit, non effectus edit violentos, neque Menſes concitat in Hyſtericis, vel Sanguinem in Vagina elicit; ſine ulla perturbatione operatur, nec robur diminuitur vel afficitur, duas autem treſve movet ſedes cum larga Urinæ evacuatione. Tentamina contracta Edinburgi. p. 166, 167.

Mixtura ſimplex Salis alkalini et Aceti, ſine exſiccatione, fortaſſe non multo inferior eſt ſale hoc magis elaborato, ut Medicamentum: Novi Alkali ad ℥ij. cum Aceto ſaturatum in Caſibus Hydropicis civiſſe ſedes decem vel xij. et copioſæ Urinæ exitum, ſine ulla inconvenientia. Lewis Pharm. p. 296.

Egregii uſus eſt ad extrahendas Metallorum Tincturas, Subſtantias omnigenas viſcoſas ſolvit, Olea, Gummi, et Reſinas; inſuper eliquat potenter humores glutinoſos humani corporis, et aperit obſtructiones Vaſorum;

nullam habet ſenſibilem acrimoniam, et tute ſumi poteſt interne in calidis æque ac frigidis morbis, in Pleuritide et Hydrope. Eximie Sanguinem depurat, diuretica ejus qualitate detergit Renes, et Meatus urinarios a materie mucilaginoſa, arenulis, et ſabuloſis concretionibus; etiam Diaphoreſin promovet, et alvum ſolvit; Morbos Abdominis generatim curat, et uſui nobis eſt in Atrophia, Febribus intermittentibus, et morbis ab obſtructionibus oriundis; multi emolumenti eſt in affectibus Cachecticis, paralyſi, et hydrope, Doſis a ʒſs. ad ʒi. Geoffroy.

Sal Fuliginis. p. 50.

Attenuat Sanguinem, corruptioni ejus prævenit; ſuccurrit Hypochondriacis, Hyſtericis, Lethargo, Paralyſi, Epilepſiæ, Apoplexiæ, &c. Sal Volatilis et Sp. Volat. Fuliginis vel animalis cujuſvis non differunt eſſentialiter ab iis a C. C. Urina et cæteris elicitis, ſi pariter pura reddantur; nec niſi odore diſtingui poſſunt, licet a nonnullis præferuntur in Nervorum querelis, ſpeciatim in conditionibus Epilepticis. Vires eædem ſunt, ac Salis Ammoniaci, vel Salis cujuſvis animalis: Hartmannus Salem Fuliginis commendat extractum e placenta in fundo Vaſis remanente adverſus Cancros, etiam quando ulcerantur. Sp. et Sal, eximie

ſuſci-

ſuſcitant Spiritus in Lethargo, Epilepſia et Moribundis. Hoffmannus in Schrod. ait, ſe obſervaſſe, Salem hunc volatilem probe purificatum, cum Aceto miſtum, et datum iis, qui in extremis agoniis verſarentur, illos mire vivificare, atque ſi eos in ſudorem copioſum conjiciat, ſignum eſt certum convaleſcentiæ; ſin alias Lethi indicium. Doſis Salis a gr. iv. ad x. et ſpiritus guttæ aliquot in Vino, vel Aqua quavis diſtillata idonea. Boer. Theor. Chem. aliique.

Sal Martis. p. 56.

Sal Martis, vel Ferri, vocatur Saccharum, Magiſterium, vel Vitriolum Martis. Virtus ejus Medica partim a Metallo ducit originem, partimque ab acido Spiritus Vitrioli fortis in ferro fixati. Doſis hujus Salis eſt Infanti 6 Ann. gr. iij. Adoleſcenti 16 Ann. ℈ſs. Juveni 30 Ann. gr. xv. vel Doſis a gr. i. ad iij. v. vi. ℈ſs. vel ℈i. aperiens eſt; hinc exhibeatur in obſtructionibus Menſium, Viſcerum, Uteri, Meſenterii, Hepatis, Splenis, in Paſſionibus Hypochondriacis; Chloroſi vel Cachexiæ medetur; corrigit humores acres. Viridis eſt coloris, dulcis vitriolici et ſtyptici ſaporis; in formas nonnullas convenientius introducitur quam in alias, ob doſis exiguitatem, quæ vulgo eſt a gr. iij. ad ℈ſs. Sapor ejus magis ſe prodit et manifeſtat in liquida, quam

quam in forma ſicca; magis convenit in Electariis vel Bolis, non autem in Pilulis quas friabiles reddit, eodem modo ac Sal Tartari. In formis liquidioribus adhuc magis ingratum eſt, et Vomitum frequenter ciet ob aſperitatem ſpiritus Vitrioli fortis in hac compoſitione, quæ membranas Stomachi irritat, et hujus ejectionem provocat in conditionibus tenerioribus, a conſtrictione nimia Ventriculi toni et fibrarum. Sal hic Sanguinem depauperatum exaltat, fæculentum depurat, in partes ſecedentem remiſcet, et cunctantem accelerat; dein Saburram Scorbuticam, aut atrabilariam in habitu corporis depoſitam, et obſtructiones figentem diſſolvit; poros et ſuccorum itinera aperit, detergit et tranabiles reddit; denique circuitionem per minimos Machinæ humanæ meatulos liberiorem vindicat; omniumque functionum vitalium munia redintegrat, et commode ut obeantur, efficit, inquit Fuller Pharmac. Extemp. p. 198.

Salis hujus egregia eſt Vis ſtimulans, purgans in mediocri doſi, in majori vomens, diuretica, aperiens, vel aſtringens ſecundum humorum diverſitatem quibus obviam fit; Fibras exiles corporis exiccans, et criſpans, qua ratione habetur eximium ſtypticum, corroborans, et deſiccans medicamentum, quando apte adhibeatur; Anthelminticum etiam eſt, plurimum deſtruens Vermes in primis viis; Anti-ictericum, a quo (ſi morbus levis et a prin-

principio Icteri ſuerit) adhibito a gr. v. ad vi. leniter calcinato ad albedinem, plerumque ſolvitur Icterus, et pro arcano inter Batavos habetur.

Ex Sale vel Vitriolo Martis fieri poſſunt Acidulæ Artificiales; videlicet hujus Salis tantum aquæ dulci commiſceto quantum videtur ſufficiens pro ſapore ordinario Naturalium acidularum imitando, tunc hanc Aquam in Urceis lapideis, ſulphure incenſo prius fumigatis, reſervato; vel affunde ſpiritum vitrioli volatilem. q. ſ. Barchuſen Synop. Pharm. 181. Si Aquæ limpidæ pint. i. addas Sal. ſeu Vitriol. Martis gr. i. et Sp. Vitrioli fortis pene gutt. i. ad amuſſim æmulatur Aquas Spadanenſes. Alibi ait, ſi Salis hujus ʒi. in Aquæ fontanæ ℔i. diſſolvatur, inſtillando guttulam unam vel alteram Sp. Vitriol. fortis, Aquam dat ferratam egregie aperientem. Boer. Chem. M. S. 154. Si adhuc cuipiam quolibet mane adhibeatur cum regimine Aquarum Spadanarum, de quo vide Henricum ab Heers in Tractatu de Spada crene qui de hoc optime, accuratiſſime et candidiſſime ſcripſit. Hinc diſcimus originem vitriolorum ſeu Salium Metallicorum, qui ſcilicet ab acido Sulphuris in ferro fixato, maxima ex parte conſtant. Hinc novimus naturam Ochræ ſeu fæcis Vitriolicæ. Hinc diſcimus cur Aquæ acidularum Ochram deponunt, et cur tunc cum Vires amiſerint ſuas medicas nihili valent, ut et quomodo ab hac Ochræ jactura præſervari

vari poſſint. Si Sc. pauxillum Sp. fortis Sulphuris, v. g. Gutta una inſtilletur ſtopæ integræ (Stopa i. continet pintas anglicanas fere v. et Pintas Belgicas iv.) tunc nempe Aquæ illæ Spadanæ integrarum virium ad loca remota portari poſſint atque uſurpari, quæ alias, poſt depoſitam Ochram, Vim ſuam amitterint vitriolicam. Hinc novimus vires ferri crudi in corpore humano, et ubi convenit, ubi nocet; ſi nempe occurrat acido, uti in hac compoſitione, effervefcentiam, calorem, emiſſionem fumi ſulphurei continuam, vel odorem Allii emittit, et diu, unde omnia Phænomena, ejus uſum ſequentia facile deducuntur. Tunc fit inde Sal Martis vel Vitriolum, quod vi ſtimulante, purgante, ſimul agit. Hinc in tali caſu prodeſt nec alibi; talis vero caſus eſt, ubi debilia viſcera, circulatio lenta, et a victu ex Vegetabilibus prædominatur acidum. In Chloroſi, vel in omni tali languore, qui Virginibus maxime familiaris eſt, vix quicquam præter crudum ferrum tutius et efficacius medicamentum ad ℥ſs. datum pro vicibus variis; in tali enim caſu, plus agit dum ſolvitur ab acido in corpore, quam quidem ageret jam ſolutum in hac compoſitione junctum cum acido Spiritu Vitrioli fortis, quia motum facit, qui diu durat. Si detur ferrum Cachecticæ in qua abundat Acidum quamplurimum a defectu virium Viſcerum mox ſuperare aptorum Vegetabilia aſſumpta, natura ſua tunc ſemper in acidum degenerantia,

rantia; tunc ſequentia oriuntur a ſtimulo Viſceribus impreſſo. Augetur in iis Motus a Ferro per Acidum in corpore perfecte ſoluto, fiunt omnia eadem in corpore quæ extra illud in Sale Martis conficiendo; hinc calor excitatur, Pulſus augetur, Ructus emittuntur putridi, diſſolvitur Ferrum in corpore, quæ omnia ſigna boni effectus, unde conſequenter ſanantur morbi ab hujuſmodi acido oriundi. Hinc patet nil melius eſſe quam crudum ferrum, nam miracula fere facit in dato caſu, in quo præſtantiſſima quoque remedia nil efficiunt. Sic ut non immerito hic ſpecificum audiat. Si vero hauriatur a Stomacho, in quo prædominatur Alkali, Bilis, vel Pituita viſcida hæreat ſine ullo acido, tunc vel nil agendo nocet, vel concreſcit in Pollinem indiſſolubilem, fitque ſic adſtringens, quum in priori caſu fuerit aperiens. Hinc notæ utilitatis aſſumpti fere ſunt. 1. Calor major. 2. Rubedo major. Pulſus elevatior. 4. Ructus ſulphureus perpetuus, vel Allii odor. 5. Fæx alvina nigreſcens. Si vero nihil harum adſit, ſimul ac uſi ferro ſumus, ſtatim deſiſtendum eſt, nocebit enim. Et a neglectu harum tam ſimplicium regularum, periere plurimi ægri. Quæ eadem locum habent inter famoſum illud Antihecticum Poterii, quod nulla habita ratione circumſtantiarum allegatarum, in omni adhibetur Hecticæ genere ab ignaris, qui ſæpe, imo ſemper, ægros ſuos hoc Medicamento enecant, ubi ab

Al-

Alkali Febris eſt; quod ſi vero a Cacochymia acida, qualem ſupra deſcripſimus, a Viſcerum debilitate, Infantibus atque Puellis frequenti, tum optimum eſt Remedium; alias ſumme ſemper nocuum, per Alkali nempe in Febre hectica, in Ochram ſeu Calcem Ferri adſtringentem ſolvitur, plurimos morbos, ipſamque denique mortem accelerantem; in iis tamen Caſibus ubi prodeſt Antihecticum Poterii, inferius eſt virtutibus Ferri crudi.

Quicquid ex Marte expectare poſſimus illud in puro illo et crudo quærendum eſt, vel in Tinctura illa Ludoviciana; reducuntur nempe omnia ad aperientia et adſtringentia; quibus binis ſcopis optime ſatisfaciunt hæc bina.

Hic Sal etiam eſt Baſis omnigeni Atramenti nigri Scriptorii. Vitriolicæ Aquæ in Peripneumonia non conveniunt, inquit Helmontius, Vitriolum enim in Ochram ſive Rubricam convertitur in ipſorum corporibus (ab Alkali in hoc morbo) Aqua limpida ſolum eliminatur, et Ochra ſive Ferri Calx relinquitur in Corpore, indeque moriuntur. Hinc diſcitur, quod quoties Aquæ Chalybeatæ vel acidulæ ſedimentum deponunt flavum, ſive Ochram, ſeu fæcem vitriolicam, toties nullius ſint uſus in re medica. Boerh. Chem. M. S. p. 154, 155.

Salis Martis ſolutiones aquoſæ, ſi in nimia quantitate ſumantur, vel Sanguini commiſceantur,

antur, ipſum incraſſant, coagulant, et nigricant. Idem.

Sal Martis, vel Chalybis ſolutio in Aqua facta et Lacti affuſa, illud minime coagulat; Ideoque Sal ille, licet cum Sp. Vitrioli forti, acidiſſimo paretur, nullam tamen in ſe continet aciditatem, quod ſatis mirabile, inquit Fuller. Pharm. Extemp. p. 276. Hoc fit quoniam Sp. Vitrioli fortis aciditas penitus minuitur, diffringitur, et deſtruitur a Metallo Alkalino ferri in præparatione Salis Martis, præſertim cum plus Ferri quam par eſt in hujus Confectione ſumatur.

Salis Martis Solutio Sanguinem totum eouſque inſpiſſat, ut tota fiat Maſſa coagulata, et hinc ſi Sanguini in Corpore permiſceatur coagulum plane lethale eſt, unde Mors certa, refert vero coagulum Pus album quodammodo. Idem verum de reliquis vitriolis metallicis, ut illo Sacchari Saturni Vitriolo, &c.

Hinc ratio dari poteſt illius obſervationis Medicorum, qua Vitriolum ſi ſuper Diaphragma actiones ſuas ederet, lethale deprehenſum fuerit, ſi vero infra, ſalutiferum. Prius nempe demonſtrat, illud ſanguini permiſtum coagulaſſe eundem, adeo ut per Pulmones permeare nequeat. Poſterius vero indicat illud reperiſſe in Inteſtinis Salem ſibi oppoſitum, cum quo tertium componere poſſit. Vitriolum eſt acidum glebæ metallicæ junctum, ut fiat Sal; hoc acidum ſi abſorbetur ab Alkali, cadit gleba Metallica,

Acidum

Acidum verum Vitrioli cum Alkali, ſalem facit compoſitum. Gleba Metallica tunc Ochræ nomine ejicitur per Inteſtina, cumque Alkali in Corpore noſtro fit volatilis, Sal quoque qui componitur volatilis evadit, unde quidam approbaret quaſnam in corpore noſtro actiones exercere poteſt. His innititur judicium de Aquis mineralibus ferendum. Boer. Chem. M. S. p. 120.

Sal Succini. p. 49.

Sal eſt præcipua pars Succini, et maximi momenti; Medicamentum eſt acidum, gratum, unctuoſum, balſamicum, penetrans, aperiens, antiſepticum, præſervans nervos, ſtimulans, et Spiritus excitans, quippe verum eſt Sal volatile oleoſum, ſi ſublimatione purificatum fuerit; ab Oleo ejus ſeparatum eſt valde candidum, et præbet optimum diureticum adhuc notum; propter ejus caritatem adulteratur autem frequenter cum Oleo Succini, Sale Ammoniaco, Sale Epſam, &c. Solubile eſt tam in Aqua, quam in Spiritu Vini rectificato vel Alkohol, nulloque alio, quod criterion eſt ejus puritatis. Boer. Chem. et alii. Cum Alkalinis liquoribus effervefcit, nullum autem cum acidis motum ſenſibilem init; cum Salibus Alkalinis fixis lævigatum, non exhalat ullum urinoſum odorem. Doſis Infant. 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann.

Ann. gr. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. Humores attenuat, fundit; cardiacum eſt, et analepticum, nobile Cephalicum, et magni uſus in morbis Capitis et Nervorum; Antiſpaſmodicum, Emmenagogum, Menſes movens, et Lochiorum fluxum; in Febrium deliriis convulſivis cum Alexipharmacis diaphoreſin promovet; Colicæ Viſcerum, et Stomacho flatibus repleto ſuccurrit. Specificum eſt in Hyſtericis, convulſivis, et ſpaſmodicis morbis. Wilſon inquit quod doſ. Salis eſt a gr. ij. ad ℈i. Geoffroy a gr. x. ad ʒſs. Adhibetur in Epilepſia, vertigine, apoplexia, paralyſi, Caro, Catalepſi, Comate, Lethargo, Catarrho; in Suppreſſione Urinæ, Sabulo, Arenulis, et Ulceribus in Collo Veſicæ; Urinam et Calculum pellit, Vaſa ſpermatica defæcat et detergit. Catharticorum operationem, præſertim Aloetici, et Reſinoſi generis mitigat et accelerat. Optime convenit in forma Pilularum, Boli, Pulveris, Electarii; Cave ne in Julepo, vel hauſtu præſcribatur, unde nauſea creatur et per vomitum confeſtim a ſumptione rejicitur.

Barchuſen ait, quod Sal Succini eſt neque fixæ, neque volatilis, ſed mediæ, tanquam Sal Amoniacum, naturæ: ſublimari equidem poteſt; ſed non tam alte, quemadmodum reliqua, aſcendit: nec dotatum eſt odore urinoſo, nec aeri expoſitum in Auras avolat, nec cum Alkali quodam volatili commiſtum efferveſcit; habet præterea ſaporem acidum.

 Igitur

Igitur ex his dictis conficitur, injuſte id ab aliquibus in Alkalinorum volatilium genere collocari. Synopſis Pharm. p. 144 145.

Caput mortuum Succini poſt diſtillationem Spiritus, Olei, et Salis ejus, in Lumbricis ſpecificum habetur, et venire ſuſpicitur ſub Titulo Pulveris Antiſpaſmodici Doctoris Morton.

Sal Tartari. p. 41.

Sal Alkalinus citiſſimus, acerrimus, et fortiſſimus fiat ex tartaro crudo, qui apud Helmontium vocatur Reſpublica alkalina. Sal Tartari eo magis igneus eſt et acer, quo diutiori, et vehementiori igne fluxerit, eoque magis colores ſuos mutat et vires ſuas, idque hoc ordine. 1. Cinereus fit, vel fuſcus. 2. Candidus vel ſubcæruleus in multis locis. 3. Fuſcus iterum. 4. Fuſco-ruber inſtar Marmoris; Horum omnium poſterior ſemper priore eſt acrior, et poſtremus adeo omnium acerrimus: ſi pergitur ultra urgendo in igne omnis fit volatilis, poſtquam per omnes jam memoratos gradus pervenerit prius. Vires in Corpore humano hæ ſunt. 1. Quodvis Acidum ubique latitans deſtruere, ſi ad id accedere poſſit. 2. Simul effervefcere, cumque eo acido in Salem Neutrum abire. 3. Movere a centro ſuæ molis quaquaverſum; movere illas contractiles fibras, et ſegnes ſpiritus erigere, ubi ab acido opprimuntur. 4. Attenuare

are omnia quæ ope Acidi eo creſcunt et reſolvere glutinoſa omnia in Corpore. 5. Oleoſa aquoſis miſcibilia reddere; hinc vis pendet depuratoria, abſtergens Lintea, &c. 6. Bilis, Lymphæ, Seri, Sanguinis coagula reſolvere; coeuntia hæc diluere iterum poteſt. Boer. Chem. M. S. p. 21. 23.

Salia hæcce ſunt acris ignei Saporis; Olea Vegetabilia, Reſinas et Pinguedines animales in Aqua reddunt ſolubiles, et omnes ſuccos animales, dempto lacte; intra Corpus ſumpta, ſolida ſtimulant et detergunt, fluida attenuant, viſcidam et tenacem materiem ſolvunt et incidunt; hoc pacto obſtructiones vaſorum aperiunt, et ſecretiones omnes naturales promovent. Horum ſolutio ubertim diluta cum multa aqua in lecto epota, ſudorem copioſum generatim excitat, et urinam ciet; deambulando in frigido aere, actio eorum determinatur ad Renes; aliquandiu ſumpta in propriis doſibus, eximium evadunt Remedium ad Alvum adſtrictam, præcipue ſi grana pauca Aloes pro re nata interponantur; præ cæteris medicamentis purgantibus et laxantibus, hoc habet commodi, quod cum quærelæ ſemel amoveantur, nunquàm iterum recidivæ fiunt. Salia hæc uſitatiſſima ſunt in frigidis phlegmaticis conditionibus, et ubi aciditates in primis Viis abundant: Acida potenter abſorbent, et uniuntur cum ipſis in mitia aperientia neutralia Salia. Salia Tartari ſtimulante vi ſumma dotantur, adeoque Sedes,

 urinas,

urinas, ſudores excretioneſque omnes promovere poſſunt. Hinc in Morbis lentis, Hydrope, Scorbuto ex acido et Auſtero, Ičtero, Podagra, egregii ſunt uſus, et in Epilepſia; Sanguinem diſſolvunt et attenuant; huic autem propoſito fortiſſimis et fixiſſimis uti non oportet, quoniam canalibus exilioribus proprietate ipſorum corroſiva nocerent. Sal autem diureticus, et Tartarum ſolubile rite præparatum, vel his ſimilia in eorum loco ſubſtituantur, quibus, tute et cum emolumento, uti licet ad ſuccos coagulatos; eodemque tempore quo Sanguinem diſſolvunt, ejus colorem exaltant, magis fluidum ſanumque reddunt. Uſus hujus Salis optimus, ut Salis lixivioſi vel Alkalini ſub ſale abſinthii, cum quo conferatur, niſi quod minor doſis Salis Tartari requiratur; determinatio verum et regimen eadem ſunt. Tartarum leviter calçinatum ad Nigrorem eximium eſt Medicamentum ad Hydropem in juſta doſi cum Vehiculo idoneo, ut Vino, vel Hydromelle exhibitum. In omnibus calidis inflammatoriis Conſtitutionibus, et morbis; in omnibus colliquativis vel Febribus malignis, variolis, morbillis, in omnibus peſtilentialibus caſibus, et ubi corpus humoreſque tendunt ad Alkalinum putredinem; quando Sanguinis nimius motus; ubi ſolida et fluida nimium ſolvuntur et liquefiunt a chronicis morbis; ubi ſigna ſunt Alkali volatilis prædominantis, ubi Bilis nimium diluitur et attenuatur; ubi Pul-

Pulmones exulcerantur, &c. in omnibus hiſce conditionibus Sal Tartari evitandus tanquam venenum, quoniam hic ſumme noceret, et Morbum in Mortem ſubito mutaret, Oleum igni addendo, dum putrefacta jam alkalina exaltat. Boer. Chem. impreſs, et M. S. paſſim.

Doſis horum Salium eſt a gr. ij. vel iij. ad ℈i. vel ultra ubertim diluta cum multa Aqua fontana, vel Doſ. Infanti 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xv. Juveni 30 Ann. ℈ſs.

Mirum, tutum, innocuum coſmeticum, et optimum eſt Remedium in Vulneribus, Ulceribus, Serpiginibus, Tinea, Scabie, &c. tam interne, quam externe, adminiſtratum in Aqua Roſarum multa, &c. Pharm. Bat. Hermet. p. 2. Full. p. 53.

In Chirurgicis Ulcera ſordida, putrida, ſanioſa, phagedænica optime depurat et detergit; licet obſtinatiſſime reſiſtant omnibus aliis; hinc multis pro arcano fuit, parum hujus inſpargere ſalis. Cauſticum eſt in corpore humano, Verrucas, Maculas et ſimiles erodit Tumores; Dentes quoque quam optime a ſordibus liberat et dealbat, a carie nondum exeſos: Carnem fungoſam atterit, et omimodas excreſcentias, labia calloſa vulnerum, &c. Fontanellas effingit, tumores aperit, et eorum puri exitum reſerat: Partibus Nervoſis autem non tute applicatur, quoniam dolorem acerbum in hoc caſu excitat.

Ad Gangrænas deſperatiſſimas ſiſtendas, linea circumducantur partes affectæ cum lixivio hujus Salis, quod Eſcharam inſtanter efficit, unde repaguli inſtar impedit, ne ulterius ſerpat malum: Si partes jam mortificentur, primo ſcarificari debent uſque ad carnem ſanam; dein hujus Salis aliquantulum apponendo Eſchara inducitur, quæ poſtmodum ut moris eſt ſeparat, vivaſque reddit Carnes; Ulcera fœda laventur tantummodo lixivio hujus Salis; Caro fungoſa, labia Vulnerum calloſa, verrucæ, &c. leviter tangantur Sale ipſo in ſubſtantia; ad Tumores autem aperiendos, et Fontanellas formandas, portiuncula hujus aliquandiu ſupra partem cohibeatur cum ligamine convenienti.

Solutio Alkali fixi ſanguinem diluit, cum nullo alio mutationis ſigno, niſi quod fœtorem inducat, imprimis ubi aliquantulum incaluerit. Chem. M. S. Boer. p. 120.

Sal Tartari ſi Aquæ fontanæ admixtum fuerit, præcipitatio in eadem fieri ſolet, eaque colorem quendam album acquirit; certo utique indicio ſal quoddam indolis acidæ Aquis fontanis ineſſe. Full. Pharm. Ex. p. 84.

Sal Tartari præcipitat Pulverem rubrum a ſolutione Mercurii corroſivi ſublimati in aqua, convertit Succos Violarum, Roſarum, Heliotropii, &c. in viridem colorem. Boer.

Lac per ſolutionem Salis Tartari a coagulatione vindicatur, ut et per Salem Ab-

ſinthii.

ſinthii, Sp. C. C. Salem volatilem Salis Ammoniaci; Salis Nitri ſolutionem, Fuliginis, &c. Willis.

Sal Vitrioli. p. 46.

In præparatione hujus Salis adjicitur Sp. fortis Vitrioli, quo promptius in cryſtallos formetur: commendatum fuit ut vomitorium eximium, faſtidioſum autem eſt; olim ut plurimum fuit uſitatum, verum impræſentiarum in deſuetudinem venit a Radicis Ipecacoanhæ detectione, tranſvectione, et uſu. Emeticum eſt pro Infanti 6 Ann. gr. vi. Adoleſcenti 16 Ann. ℈ſs. Juveni 30 Ann. ℈ij. vel ʒi. ex hauſtu ſeri cereviſiati, vel ex vino, Juſculo, panatella, jure carnium, cereviſia calida, Thea Cardui benedicti vel ex Aqua Cinnamomi tenuis ſive Roſarum ad ℥i.

Ex hoc Sale emeticum fiat pro puero 6 Ann. ℞. Sal Vit. gr. iv. Oxymell. Scillit. ʒvi. m.

Vitriolum album crudum mitiſſimum eſt minerale Emeticum, mitius operatur Sale hoc Vitrioli, nec tanta cum violentia, quantam cæteroquin Antimonialia cauſari ſolent, operationem exercet; quare aliquando cum materia peccans primis viis adhuc hæret, haud ſine emolumento adhibetur: Aliqui opinantur, hoc totum ejici primo vomendi conatu ideoque tot doſes ſumunt quot vomitiones ha-

 berent.

berent. Angelus Sala Vomitorium hoc ad Cœlum uſque evehit in Epilepſia, aliiſque Cerebri affectibus, Febribus peſtilentialibus, Lipothymia, in Hepate, Liene, et Renibus obſtructis ; item naribus inſpiratum ſternutationem egregie ciet, citra vim cerebrum ſeroſis ſuis excrementis expediens ; prodeſt Catarrhis, et Lumbricos fugat ; omnes autem Vitrioli ſolutiones aquoſæ Sanguinem incraſſant, et coagulant.

Boerhaave, de poteſtatibus Medicamentorum, ait Vitriolum album eſſe Hydragogum, et doſin a ʒi. ad ℈iv. ſumendam ut ſupra, vel hæc doſis formetur in Pilulas cum Butyro inſulſo, et deglutiatur in Stomachum non nimis vacuum ; mite eſt, et leniter operabitur ; exindeque Stomachi eroſio ne metuatur, vel exhibeatur modo ſequenti. ℞. Aq. Hordeat. ℥iv. Vitriol. alb. crud. ℈iv. m. f. Hauſt. Harris Phatmacolog. Anti. empiric. p. 138.

Vitriolum album a Paracelſo et aliis Chemiſtis habetur Emeticum egregium miteque ad Stomachum emundandum, porro autem ad eum, et inteſtina roboranda ab aſtrictione ejus, unde eventu bono, in Diarrhœis et Dyſenteriis conceditur ; ubi tarde operatur, Vomitus provocari debet ſero cereviſiato, vel penna gutturi immiſſa ; externe applicatur potiſſimum in Collyriis ad mitigandam Oculorum inflammationem, et eorum fluxum ſiſtendum. Vid. p. hujus 59. ſiquis forte venenatur

nenatur a Vitriolo, concede Aquam tepidam, Oleum, vel glutinoſum quodvis.

Sal Volatilis Salis Ammoniaci. p. 50.

Vires cum Sale Ammoniaco convenientes, aſt ipſo fortiores, petantur ſub Sale Ammoniaco purificato. Schol. pag. 361. Operatio hæc inſtituitur modo ad Salem ipſum Ammoniacum depurandum; vel ſi ei fraudulenter nimia quantitas Salis communis addatur, is tunc ope ſublimationis ab hoc demum liberari poteſt, unde Sal Ammoniacus magis purificatur; nec Alkalinus neque acidus eſt hic Sal volatilis penetrantiſſimus, pollens magna vi incidendi, attenuandi et aperiendi in Febribus, in perſpiratione, urina et ſudore ciendis; multo præſtat Sali febrifugo Sylvii, et Sali digeſtivo vel Hypochondriaco Etmulleri, quorum titulus indicat Vires. Sal Volatilis Salis Ammoniaci, et Spiritus Salis Ammoniaci ſunt antiſeptici, acidos ſuccos in corpore latitantes mitigant, corrigunt, et circulationi Sanguinis auxiliantur: Oſcillationes nervorum excitant et augent, hinc obſtructiones aperiunt, proſunt Apoplexiæ a cauſa frigida, pituitoſa, etiamque Arthritidi vagæ vel Rheumatiſmo, Epilepſiæ, Scorbuto, paralyſi, Vertigini, torpori ſenſuum, Lethargo, morbiſque omnibus ſoporoſis, paſſionibus hyſtericis, variolis, Febribus malignis, et Peſti;

præ-

præſcribatur in forma Boli cum aliis ingredientibus congruis, non item in forma Pilularum, quas tumefacit; neque in forma pulveris, quoniam volatilitas ejus avolat. Boerhaave ait ſe non noviſſe melius efficaciuſque medicamentum in Febribus intermittentibus Sale Ammoniaco, vel Sale hoc volatili dato ad gr. circiter xx. in hauſtu vini calidi, vel cujuſvis alius liquoris tepidi convenientis, hor. i. vel ij. ante Febris acceſſum expectatum, ad ſudorem conciliandum, coagulum Sanguinis febrile perrumpendum, adque tertianam vel quartanam curandam; unica doſis paroxyſmum prioris plerumque differt, et doſes tres vel quatuor poſterioris medelam efficient, ea conditione ut æger non ſit Cachecticus. Idem auctor nullo modo voluerit hunc Salem vel Spiritum in Nares fortiter inſufflari, ne nervos opticos olfactorios, membranam pituitariam, membranam internam Narium, et teneras pulmonum veſiculas, Stomachum vel Oeſophagum corrodant, vel inflamment, et cauſtici evadant; ideo probe dilui debent quovis liquore proprio copioſe, neque in nimia quantitate porrigi interne ob eandem rationem.

Externe adhibentur in Lipothymia, vel Syncope, Vertigine, Hyſtericis paroxyſmis, &c. proſpero eventu. Doſis Salis a gr. v. ad x. et Spiritus a gutt. x. ad xx. xxx. vel xl. Sal hic uſitatiſſime geſtatur in Phialis pro

olfactorio

olfactorio junctim cum Aromaticis diſtillatis.

Sapo. p. 42.

Sapo eſt Gallorum inventum. Non intelligo Saponem hic deſcriptum, verum Hiſpanicum, ut Caſtellanum et Alonenſem, vel Italicum ut Venetum, et Genuenſem, qui maximi æſtimantur interne adverſus morbos; Regiones illæ nempe abundant fortiſſimo fixo alkali, et optimo Olivarum Oleo.

Sapo eſt maſſa in aqua ſolubilis, Oleo, Lacte, Vino, Sp. Vini, et Sp. Vin. rectificatiſſimo; Vis huic ineſt ſtimulans penetrans, attenuans, aperiens, deobſtruens, incidens, demulcens, emolliens, emundans, detergens, abſtergens, reſolvens, laxans. Cholagogus ex Sero Lactis mane jejuno Stomacho aſſumptus, abortum procurans, Menſes provocans, acido reſiſtens, et idem impediens a coagulando Chylum et Lac, jamque coagulata ſolvens jejuno Stomacho, copioſe diluendo quovis emolliente, vario tempore, et motu corporis; Pituitam (ſuppoſitis cæteris) debellans; vis eſt ſudorifera, diuretica, vulneraria, depurans, calens, expectorans, edulcorans, anodyna; fere univerſale eſt Remedium ad obſtructa, quæ inflammatoria non ſunt ex putrefacto, vel corroſivo Oleo vel Alkali, i. e. ubi nulla inflammatoria adeſt diſpoſitio; quod conveni-

entiſſime

entiſſime exhibeatur in forma Pilularum licet tamen capax ſit commiſcendi cum quovis Vehiculo apto in formam quamcunque liquidam. Doſis ℥i. de die, i. e. hor. xxiv. vario tempore in forma data, aptis intervallis, et in aptas doſes diviſa. Tam arcte in hac proceſſu unitur Alkali cum Oleo ut ſeparari a ſe invicem iterum nequeunt. Diſtillatione nempe exit Spiritus Oleoſus Alkalinus urens, neque ullius ſingularis uſus: ex hac vero tam arcta unione fit, ut æquivaleat Sapo in obſtructionibus oleoſis, ac in ſeroſis, quale Remedium nullum datur illud, et in quod multum inquiſitum fuit pariter a Medicis ac Chemicis. Cl. Boyle experimentum habet hominis mictu cruento diuturno laborantis, integre reſtituti ab uſu Saponis veneti; et mirum certe, quantum valeat hoc Medicamentum in læſuris internis, quo in caſu nullum ſibi par habet in Medicina, in qua plus præſtat hoc ſolum quam innumera ſic dicta arcana; Imprimis in Morbis chronicis; uti in Ictero, ubi Sanguis non exſpuitur, in Podagra, Hypochondriaco malo, Melancholia, Hydrope, Cachexia, Morbo virgineo, &c. in Phthiſicis quoque morbis recens incipientibus locum obtinet, modo poſt aſſumptionem, aliquid Lactis dulcis pro demulcente ſimul ac nutriente capiatur. Determinetur actio hujus Medicamenti pro intentione Medici; ſic in Hydrope, ſi per ſudorem pellere intentio fuerit, detur poſt ſingularem doſin Decoctum Imperatoriæ; ſi

per

per urinam, Decoctum petroſelini; ſi per Alvum, Jalapii, et ſic porro; uſui ejus jungantur ſemper Decocta ex Ingredientibus morbo contrariis. Sapo multum nocet morbis tendentibus ad Statum Alkalinæ corruptionis, vel Olei corroſivi, ubi Vita periclitatur a putrefactione humores diſſolvente, et corrumpente uti frequenter patet in Phthiſi confirmata, veteri calculo, Febribus, præſertim peſtilentialibus, aliiſque morbis putridis, ubi e contra magni tantum æſtimantur Acida; inſuper omnia Vulnera interna, et ulcera ſordida, &c. mire curat, ſi abſint conditiones ſupra, et infra memoratæ. Externe porro uſus eſt eximii in Sinuoſis et Fiſtuloſis Ulceribus.

Sapo, quum in magna quantitate porrigitur ad amovendas obſtructiones obſtinatas, dilui debet ebibendo largam quantitatem alicujus Decocti emollientis, quo modo tute adhiberi poſſit. Ubi diuturnus Saponis uſus, per ſe faſtidium pariat, rubrum colorem mentiri queas, cum pauxillo Gummi Laccæ vel Coccinellæ; vel decoquendo cum floribus Papaveris rubri, vel Croco, Curcuma, Santalo rubro. Hyſtericis præſcribatur cum Caſtoreo, Oleo Succini, vel ſimilibus in forma Pilularum.

Mixtura Salis Tartari puri et Olei, ſine Calcis vivæ ope mirabilem conficiunt Saponem.

Epi-

Epithema Saponaceum.

℞. Sapon. Venet. ℥ij. Camph. a ʒij. ad ℥ſs. Sp. Sal. Ammon. ʒvi. Sp. V. ab ℥vij. ad x. vel xij. digere aliquot dies et cola; Colatura ſervetur ad uſum, ac cum linteis parti dolenti applicetur; Summo eſt Arthriticis ſolatio; namque partem affectam (abſque ulla Repulſione) roborat; criſpationem fibrarum cruciantem retorquet; Spiritus ferocientes placat; Spicula ſalium obtundit; Ichorem dolorificam diſſipat, et per tranſpirationem educit.

Hauſtus Saponaceus.

℞. Sapon. Venet. raſ. a ℈ij. ad ℈iv. coq. in lac. ℥vi. ad ℥iv. add. Sacch. alb. ʒiij. et cola. detur mane et quarta pomeridiana, per quatriduum vel quinquiduum: ad Icterum valentiſſimum habetur remedium.

Pilulæ Smegmaticæ.

℞. Sapon. Venet. ʒij. Ol. Aniſ. gutt. viij. contundendo. f. Pil. No. xxiv. Renum et Ureterum vias ſingulariter expurgant; contra Dyſuriam, et Icterum egregie valent. Doſ.

No.

No. vi. et ſuperbibatur Hauſtus Tincturæ Croci paratæ ex Croc. ℥i. et Vin. alb. ℔i.

Sapo durus albus Hiſpanicus confectus ex tenuiſſimo Olivarum Oleo cum lixiviis Alkalinis, ſolummodo interne adhibetur. Hic, tritura cnm Oleoſis, vel Reſinoſis Materiis, reddit ipſos ſolubiles in Aqua, hinc utilis evadit in Pilulis ex Reſina formatis, promovens earum diſſolutionem in Stomacho, et uniens cum fluidis animalibus. Boer. ſemper uſus eſt Sapone propriis manibus præparato, quoniam Sapo qui proſtat venalis apud omnes Saponarios nunquam obtineri poteſt ſine calce viva, quæ Stomachum et Inteſtina corrodere aſſolet, unde inflammationes oriuntur periculoſæ; in praxi quoque privata raro præſcripſit Pilulas Reſinaceas abſque eo; niſi ubi alkaleſcens vel putridus ſuccorum ſtatus uſum ejus interdixerit; ab eadem qualitate Sapo pariter perbene talibus adaptatur unctuoſis materiebus in corpore obviam factis, attenuandis viſcidis, craſſis, glutinoſis ſuccis; lubricandis, aperiendis Viſcerum obſtructionibus; et detergendis vaſis pertranſeundis; viſcidam Bilem ſolvit, quæ ductus bilarios obturat, et Ictero medetur; etiam Menſtruum eſt potens ad Calculum humanum. Solutio hujus in Aqua Calcis parata cum Cochleis vel Oſtreorum Teſtis, eſt fortiſſimum ſolvens, quod tute in Stomachum ingeri queat, et Virtus hujus Compoſiti multo major eſt aggregato poteſtatum diſſolventium Saponis et Aquæ

Calcis

Calcis ſeorſim exhibitorum. Vid. Tentamina Medica contracta Edinburg. Vol. I. prout prompte, permiſcetur cum omnigenis ſubſtantiis, valde efficaciter aperit obſtructiones Viſcerum omnes, et aliarum Corporis partium: urinam promovet, ſolvit, et expellit glareolas, ſumptus ad ℥i. de die una cum pintis iij. Aquæ Calcis ex Oſtreorum Teſtis confectæ calcinatis; Calculum in veſica eliquat. Vid. p. 42. hujus et 44.

In ordinariis Caſibus Boerhaave porrigit Saponis ʒi. vel ij. de die; Sylvius quantitatem N. M. pro doſi; nullum autem diſcrimen innititur ſi copioſius detur.

Epilepſiæ filiæ Comitis de Pas integre medebatur, dando ipſi ſaponem alonenſem ante paroxyſmum, unde violentia Paroxyſmorum indies remittebatur, atque intra dies 30. integre liberabatur a morbo, ſanata fuit, et hactenus bene valet. Hoffman ait Saponem Venetum diſſolutum in forma Clyſteris eſſe utilem Puerulis multum torminoſis ab acidis, viridibus, corroſivis dejectionibus.

Sequens eſt Sapo ex Alkali fixo cum Oleo Terebinthinæ, vel quovis Oleo eſſentiali diſtillato.

℞. Alkali fortiſſimum ab omni ſua terra ſolvendo filtrando et evaporando depuratiſſimum, infunde in Crucibulo ad ignem ſummum, tum in mortarium ferreum ſicciſſimum et calidiſſimum ſubito infunde; fluat in Mortario, ſimul ac venteſcere incipiat, piſ-

tillo

tillo ferreo fortiter contere aſſiduo; redigetur hac ratione in pulverem tenuiſſimum, nulli alia ratione, niſi accurate obſervatis omnibus modo dictis, obtinendum: hunc pulverem calidum adhuc in Vitrum humile plani fundi latioris conjice, Vitro prius lente et probe calefacto, tum ſuperfunde Oleum Terebinthinæ lucidiſſimum, (vel Oleum quodvis Eſſentiale) accurate omni Spiritu orbatum acido, ut emineat ad digitum unum. Sal Alkali abſorbebit Oleum affuſum cum magno ſibilo, ſi operatio rite inſtituatur, tum vas repone in Cellæ ſubterraneæ fundo, quo materies attrahat ad ſe humiditatem aeris frigidi, et intra paucos dies omne Oleum imbibetur a Sale; adhinc materies circumcirca agenda eſt aliquoties de die cum Virgulto vel Spatula lignea, gradatim affundendo Oleum recens, uſque dum plane ſaturetur, quod fiet cum triplo circiter oleo. Ita intra ſpatium trimeſtre vel quadrimeſtre, poſſidebis Saponem quæſitum, qui per modum eminentiæ appellatur Sapo Philoſophorum, adeptorum, Helmontii, vel Starkei, et Correctorium Matthæi. Hunc Saponem prius digerendo diu, et poſtea diſtillando in Vitrea cucurbita cum lento igne, dat Salem volatilem oleoſum Tartari lateribus Vitri adhærentem, in quod Remedium tanquam nobiliſſimum et magnarum in Chemica virium, inquiſitum ſedulo fuit et ſudatum. Veruntamen ſi hæc continuo moveantur quocunque continuo, uti mola pneumatica, an-

tennis veliſque armata, fiet Sapo tempore brevi, quod alias 3 vel 4 menſes requirit in modo ſupradico.

Vires medicatæ hujus Saponis fere eædem ſunt ac Saponum ſupra memoratorum ad p. 396. hujus; verum hic eſt minus acris, atqui fortior, et multo magis caleſcens et penetrans; qua ratione eximium eſt medicamentum in omnibus Colicis, Hypochondriacis, et Arthriticis conditionibus, ubi quævis obſtructiones perrumpendæ: Sin nimis larga doſis hujus ſumatur, adeo violente ſtimulat ut morbum pariat abſolute ſimilem Gonorrhœæ vetuſtæ, adeoque caute uſurpandum; ubi autem magna hujus quantitas exigatur, vel grandis obſtructio amovenda, perbene dilui debet cum hauſtibus copioſis alicujus Decocti emollientis, et in hunc modum tute et optato eventu miniſtrari poſſit.

Hoc eſt illud Remedium juxta ſententiam Dom. Boer. quod ſecundo poſt Alkaheſt loco poſuit Helmontius, qui in ſcriptis ſuis dicit, quod ſi Alkaheſt indagare non poſſis, diſcas ſaltem Salem Tartari reddere Volatilem; et alibi ſi Oleum Cinnamomi, vel aliud quodpiam, cum alkali proprio abſorbetur, longe æqua digeſtione unitur, fit alkaheſt; atque alia loca plura ſuadere videntur hoc. Vid. Starkæum. Sapo Tartari citius faciliuſque paratur ſecundum Chemiam Georgii Wilſon. p. 263. cujus vis eſt eximie Diuretica et nonnunquam Cathartica; datur in Calculo et glareola

reola in Veſica et Renibus. Doſ. a ℈i. ad ʒi. ſuper ſaccharum puriſſimum inſtillata.

Sapo ex Oleo, Alkali fixo, et Spiritu Vini rectificatiſſimi conſtat.

Ultimus Sapo, vel præſcripti Sapones. p. 396. 397. &c. bene præparati et probe exſiccati, ſi digerantur ſimul per paucos dies cum triplo Spiritus Vin. rectificatiſſimi arcte uniuntur et conficiunt Elixir parvum (dictum Sapientum) ad diſtinguendum hoc ab Elixir Grandi a metallis præparato, cui nomen eſt Lapis Philoſophorum. Ita oleum Eſſentiale. Sp. V. eſſentialis, vel Sp. Vin. Rectificatiſſimus, et Sal fixus vegetabilis uniuntur, ſine ullis principiis paſſivis vel inertibus, Terræ et Aquæ (in his nempe conſiſtit, juxta Chemios præparatio ejus) præſertim longa digeſtione, quæ magis unionem variorum ingredientium efficit. Vid. Raymundum Lullium.

Conficiunt ſic unita Salem volatilem oleoſum ſpirituoſum vegetabilem. Veruntamen dubium eſt, utrum hoc tute intus adminiſtrari queat in morbis inflammatoriis. Virtutes, ut Saponum ſupradictorum ad Schol. p. 396. 397. &c. verum in majori gradu penetrantiores et plus calfacientes. De hoc præparato Helmontius ait, ſi ad Lapidem Philoſophorum advenire nequeas, inveſtiga Elixir minus, et poſſidebis medicamentum capax curandi omnes Morbos ; Hoc equidem mire efficax in infinitis conditionibus, verum non

univerſale, pervadit totum Corpus, et diſſolvit quicquid glutinoſum ipſi occurrens multo potentius Saponibus per ſe exhibitis. Exigua hujus quantitas mane ſumpta, cum Cyatho Vini generoſi, valde penetrat, et vigorem dat toti Syſtemati, quod calfacit, detergit, et aperit omnes ejus canales.

Sapo efficaciter diſſolvit materiem ſpiſſam, oleoſam, viſcidam, unctuoſam, glutinoſam, coagulatam, induratam, cretaceam, reſinoſam, quæ diſſolvi nequeat ab Aqua, et vix a Sale communi, prompte autem locum cedit Alkali fixo, et Spiritui Vin. rectificatiſſimo quæ aptam expulſioni, et liberæ circulationi in canalibus iterum reddunt, omniaque hæc perficit modo leni mitique : hinc patet Saponem ſolum eſſe optimum Remedium, quod tute et optato eventu uſurpari poteſt in obſtructionibus.

Sapo ingreditur Emplaſtrum e Sapone, Liniment. Saponac. Saponem Amygdalinum, et Saponem ex Oleo Olivarum.

Sapo Amygdalinus. p. 42.

Ingreditur Pilulas Saponaceas.

Vires eædem ac Olei Amygdalarum et Saponis.

Sapo ex Oleo Olivarum. p. 43.

Vires eædem ſunt ac Olei Olivarum et Saponis, atque his addi poteſt Ol. Amygd. vel Ol. Olivar. ſimul digerendo, coquendo, &c. Vires et Doſis, ut p. 396. &c.

Scillæ Coctio. p. 23.

Per hanc operationem acrimonia Scillæ imminui ſupponitur.

Scillæ Exſiccatio. p. 24.

In hoc proceſſu amittit $\frac{4}{5}$ ponderis originalis; partes quæ exhalant, videntur eſſe mere aqueæ; hinc gr. vi. Siccæ Radicis æquivalent ʒſs. recentis, circumſtantia ſpeciatim conſideranda in exhibitione hujus Medicamenti. Dr. Wagner commendat pulverem Scillarum datum cum Nitro, in Hydropicis tumoribus et Nephritide, aitque ſe medelas varias perfeciſſe porrigendo ægris gr. iv. vel x. pro doſi, cum dupla quantitate Nitri, et ſemper operatum eſſe ut diureticum, nonnunquam vomuiſſe vel purgaſſe. Dr. Heſſe inquit ſe curaſſe Aſthma hoc pulvere a gr. iv. ad gr. xij. cujus efficaciam atteſtantur diverſi. Tenta-

mina Medic. Edinburg. Vol. p. 467. Impræſentiarum exhibetur eximio eventu in morbis Thoracis a craſſo phlegmate oriundis, in Cachexia, Oedemate, Hydrope, Ictero, Quartanis, Glandulis induratis, aliiſque Morbis Chronicis.

Serum Aluminoſum. p. 77.

Medicamentum hoc forte eſt, licet non valde gratum, aſtringens: fluxus ūterini immoderati, et Diabetes frequenter huic cedunt, ſi ſumatur ad Pint. ¼ ter quaterve de die: quantitas ſupraſcripta commendata fuit in Febribus intermittentibus, ſumenda ante paroxyſmi acceſſum hora, et ſæpe curat Tertianam: Imprimis in Angina et Columella laxata exhiberi ſolet; Si vis Emeticum, coque Aluminis ʒiij. in Lactis ℥viij. loco ʒij.

Serum Scorbuticum. p. 78.

Titulus indicat vires. Hoc uſurpari poſſit ut Potus vulgaris in Caſibus ſcorbuticis: quantitas Pint. 1 ½ a Collegio præſcripta ad minimum ſumi debet quotidie, ſi levamen ab eo quiſnam expectaverit. Vid Vires Succorum Scorbuticorum.

Sevum

Sevum Ovillum et Axungia Porcina. p. 23.

Adipes omnes in genere emolliunt, relaxant, et maturant per ſe, particularum ratione magis vel minus ſubtilium et ſpirituoſarum, inibi latitantium, majori vel minori penetrandi vi valent, et craſſis ſuis particulis ferociam humorum temperant, ita ut non opus ſit ſingularum vires hic enumerare, cum plerumque illæ aliis permixtæ in uſum trahantur, ad quorum vires ſeſe accommodant. Temperatiores autem ſunt Butyrum, Sevum Ovillum, et Axungia Porci, e quibus ultima plurimi uſus exiſtit in Emplaſtris et Unguentis, coctione inde conficiendis. Sevum Ovillum datum ex Vino rubro Sanguinem ſiſtit, Diarrhœam, Dyſenteriam, et tormina Ventris curat. Ingreditur Emplaſt. Attrahens, Empl. Veſicatorium, Unguentum e Gummi Elemi, Ung. e Pice, Ung. Sambucinum.

Axungio Porcina. Calfacit mediocriter, ideo in Unguenta refrigerantia infertur, inveteratos dolores lumborum et Articulorum ſedat. Ingreditur Cerat. Mercurial. Ung. ſimpl. Ung. Cærul. fort. Ung. Cærul. mitius. Ung. e Merc. Præcipitato, Ung. e Sulphure, Ung. ad Veſicat.

Species Aromaticæ. p. 113.

Species nominantur Pulveres quidam compoſiti, et mixti ſubtiliſſimi, tactum pene effugientes, quibus opus eſt ad veterum Confectiones et Electaria conficienda; eo autem in promptu habentur, ut inde Electaria, Decocta et ſimile quid, extemplo parari poſſit. Species Aromaticæ, olim Species Diambræ ſine odoratis; ſervando exhalant; cum his autem paretur Tinctura frequenter cum Vino albo generoſo in præſcriptionibus extemporaneis, quæ Cephalica et Cardiaca eſt: in Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi ſæpe exhibetur, et injuria ab ipſis allata a Spirituum defectu et nervorum imbecillitate: Stomachum corroborat, Spiritus ſuſcitat, Sanguinem calefacit, et Palato arridet. Hæ ſpecies cibariæ vel pepticæ commodiſſime uſurpantur, quando poſt paſtus adſuerint ægritudo, nauſea, ructus, gravitas, tenſio, et inflatio Ventriculi; item genarum ſuffuſio, ſegnities, ſomnolentia, capitis dolor, et cætera id genus coctionis læſæ et male peractæ ſigna. Aromatica enim corrigunt Pituitam mucaginoſam in Ventriculo; eamque Sale volatili oleoſo (plus minus acri) incidunt, attenuant; et rugas Stomachi blande detergunt; caloremque nativum reſuſcitant; quibus factis, ſponte redit Appetitus et Digeſtio; ſumendi mihi modus fre-

frequentiſſimus eſt, ut inſpergatur ſuper panem toſtum Vino madefactum Canarino, vel Rubro auſtero, et ſtatim a prandio et cæna comedatur. Specierum Doſ. Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. Vid. Tinct. Aromat. earundem Virium.

Species e Scordio cum Opio. p. 114.

Olim Species Confectionis Fracaſtorii cum Opio, vel Diaſcordium. Quibus Opium per ſe, ſine ulla additione, melius eſt Medicamentum. Collegium hoc compoſitum eleganter reformavit ſub Pulvere e Bolo compoſito cum opio, et ſine opio. Harum Specierum gr. 45. continent Opii gr. i. ideo doſis eſt ℈ſs. ℈i. ℈iſs. vel ℈ij. Vires potentiores ſunt quam ſpecies e Scordio ſine Opio.

Species e Scordio ſine Opio. p. 113.

Olim Species Fracaſtorii Confectionis ſine Opio, multo melius ſuppleantur a Pulvere e Bolo compoſito ſine et cum opio. Vires ingredientium conſiſtunt utpote in ipſorum aſtringentia præſertim; Pulvis autem e Bolo Comp. efficacius et elegantius eſt medicamentum aſtringens, et in fluxibus omnigenis et diarrhœis valet, Stomachum et viſcera corroborat,

rat, Sanguinem non Ita incaleſcere facit ac Theriaca Andromachi et Mithridatium, atque iiſdem intentionibus in uſum fere venit; Electarium e Scordio virtutes eaſdem obtinet aſt potentiores, quod paratur cum Opio, et Syrupo e Meconio vel Diacodio, magiſque Alexipharmacum eſt. Doſis Specierum e Scordio ſine Opio. Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. Vis aſtringens Specierum magis retinetur in forma Pulveris, quam in forma Electarii, ideo extempore parari poſſit Electarium e Scordio.

Spiritus Aceti. *p.* 44.

Vide Acetum diſtillatum, Schol. p. 17. 18. Raro paratur, magis penetrans eſt quam Acetum et Acetum deſtillatum. Medicamentum eximium eſt calidum ſumptum, ad ſudorem promovendum, ad omnia Venena externa et interna, præſertim adverſus morſus animalium veneficorum, ut Canis rabidi, &c. Spiritus Aceti multo fortior eſt Aceto, ideoque facilius diſſolvit Metalla et Mineralia et ſimilia. Menſtruum nobile eſt apud Chemicos in ſolvendis Lapidibus, Coralliis, Margaritis, Conchyliis et Teſtaceis, imo Metallis Venere, Saturno, Jove, Marte: Datur interne cum vehiculo; doſis a ℈i. ad ʒi. vel ij.

Spi-

Spiritus Aceti non coagulat (ea lege ut non ſit concentratus) ſed diluit nullo alio mutationis ſigno.

Spiritus Cornu Cervi. p. 49.

Spiritus hic Alkalinus conſiſtit ex Sale ſubjecti ſoluto in Aqua vel Phlegmate ſuo; debilior eſt Sale C. C. ad Schol. p. 324. &c. Epilepticus, Apoplecticus, Arthriticus, Nervinus, Spaſmodicus eſt; tam interne quam externe uſurpari poſſit; pari cum Sale procedit paſſu, magni momenti Remedium eſt in Scorbuto, Cachexia, Menſium obſtructionibus, et cum Camphora maritatus Rheumatiſmo, Arthriticis affectibus, Lethargo, et Paralyſi opitulatur. Doſ. a gutt. v. ad x. xl. vel lx. vel Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. in idoneo Vehiculo.

Spiritus Fuliginis. p. 50.

Spiritus hic eximias ſpondet opes fœminis partu difficili laborantibus, ſanguini grumoſo reſolvendo, Pleuritidi mitigandæ poſt væneſectionem, gangrænis, et cancris curandis. Spiritus hic vel Sal, gelatinoſum, ſanguinem et cruorem coagulatum liquat, obſtructiones inde natas excutit, urinam ciet, circulatio-

nem

nem per partem affectam reſtituit; ſpiritus labantes reficit; ſufficienter purificati, nullatenus differunt in qualitate ab aliis animalium ſubſtantiarum: licet a nonnullis in nervoſis querelis, ſpeciatim in Epilepſia præferuntur. Spiritus, Sal, ſeu oleum eſt inſigne excitativum in lethargo, Apoplexia, atque agonizantibus, Interne exhibetur in iiſdem affectibus, quibus Sp. Salis Ammoniaci ſuccurrere ſolet: cujus miræ laudes videri poſſunt apud Hartmannum, in praxi Chemiatrica; conſule quoque Schroderum de Fuligine; a quibuſdam pro ſummo cardiaco habetur, de quo vid. Schol. p. 377. ſub Sale Fuliginis. Doſis Spiritus gutt. x. vel xx. in Vino vel Aqua diſtillata, vel Infanti 6 Ann. ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30. ʒi. Boerhaave hunc dari jubet æque liberaliter ac Sp. C. C.

Spiritus Lavendulæ compoſitus. p. 73.

Balſamicus, Uterinus, Cardiacus et Cephalicus eſt; Aquis compoſitis quibuſvis maxime præfertur in plurimis intentionibus: etiam ubi Aquæ ullius uſus eſſe poſſint: viribus iiſdem pollet ac ſpiritus Roriſmarini ſimplex, et Spiritus Lavendulæ ſimplex, ſed majoribus. Apoplexiæ, Epilepſiæ, Paralyſi, Cephalalgiæ, Arthritidi, Convulſionibus Spaſmis, Lipothymiæ, Caro, Lethargicis, Vertiginoſis, Hyſtericis, &c. ſuccurrit. Guttæ Paralyticæ olim plurimum celebratæ nihil aliud

liud ſunt præter hunc Spiritum Lavendulæ compoſitum interne et externe uſurpatum. Hoc Medicamentum magni æſtimabatur in Paralyſi, omnigenis languoribus, Nervorum debilitate, et Senii defectibus. Convenientiſſime ſumi queat in Saccharum inſtillatus a gutt. x. ad LXXX. vel centum, tenendo in ore pauliſper, et gradatim deglutiendo poſt diſſolutionem, qua ratione magis immediate in Nervos ingeretur, citiuſque cedet ſupplementum Spiritibus animalibus, quam in Vehiculo dilutæ; vel concedatur Spiritus a ʒi. ad ij. vel iij. bis in die in Vehiculo idoneo: ſubvenit Morbis Cerebri, et Nervorum a cauſa frigida, etiamque Menſium ſuppreſſioni a torpidis mucoſis humoribus, et vaſorum Laxitate.

Spiritus Lavendulæ ſimplex. p. 73.

Cephalicus eſt; nervoſo generi conducit, Urinam et Menſes movet, prodeſt in Convulſionibus, Epilepſia, Apoplexia, Nervis debilibus, Catarrhis, Spaſmo, Vertigine, Lethargo, Tremore Artuum, et omnibus morbis frigidis Capitis. Doſ. a gutt. x. ad xxx. L. centum; vel Cochleare minimum ut Cardiacum in Vehiculo bis terve de die. Vid. Oleum Lavendulæ. p. 291.

Spi-

Spiritus Nitri dulcis. p. 48.

Spiritus ſeu Sal Acidus volatilis oleoſus eſt, cujuſvis præſervatorius, Balſamicus, Antiſepticus, detergens, diſſolvens, Bilis putredini obſtans; Stomachicus, appetitum reſtituens depravatum a mucoſo phlegmate, Bile corrupta et putrida, vel a debilitate Ventriculi ipſius; Viſcidam attenuat potenter, inciditque Viſcerum mucedinem, unde Apepſiæ; Colicis doloribus, Febribus, &c. appoſite medetur, quum Vehiculo appropriato admixtus in uſum acceſſitur: halitum fœtidum, et tetros odores corporis corrigit, atque egregias virtutes in Scorbuto præſtat. Ardores febriles in morbis malignis placat, mitigatque; in colica flatulenta præfertur omnibus aliis Spiritibus acidis, adeo a nonnullis nuncupatur Spiritus Carminativus, vel anticolicus, a virtute ejus Colicæ curandæ. Spiritus Nitri dulcis non tantum pituitam glutinoſam incidit, ſed inſuper flatus diſcutit et rumpit; quinetiam Bilem acriorem temperat, volatilioremque figit Spiritus Nitri tam purus, quam dulcis. Franciſci de Le Boe. Sylvii praxeos medicæ appendix. p. 158. In Colica bilioſa præſens eſt Remedium, in convenienti vehiculo, ut Aqua Feniculi, Aq. Menthæ, Pulegii ſimpl. vel Spirituoſæ exhibitum a gutt. x. ad xx. Barchuſen Pyroſophia. p. 292. Calii. Frequens hujus uſus inſignis eſt

eſt in Renum et Pectoris morbis, Pleuriſi, Peſte, Febribus omnibus, præſertim malignis et inflammatoriis; Refrigerat, Sanguinis calorem ſedat, ſitim in Febri levat et extinguit; Diureticum præſtantius vix invenies, Urinas movet cum Aqua fontana vel Infuſo Radicis Petroſelini, Raphani hortenſis, vel Aqua hordeata, Aqua Juniperi comp. Aqua Raphani compoſita, Vino albo, Vino Rhenano, Hydromelle, et Cereviſa, ſi prius edulcoretur cum Syrupo ex Althæa, vel Syrupo Balſamico. Doſis gutt. x. ad xx. vel xxx. ter quaterve de die, vel Infant. 6 Ann. gutt. v. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. G. Wilſon concedit hunc Sp. a gutt. x. ad 100. vel 200. Boecler aſſerit hunc Spiritum morbis Hyſtericis prodeſſe. Hoffman quod Anodynam et ſedativam habet virtutem in doloribus vehementiſſimis; et in Spaſmis valet. Mixtus aliquanto Spiritus C. C. vel Sp. Vol. Aromatici, vel quovis alio Sp. alkalino, mite, verum efficax Diaphoreticum, et ſæpe eximium Diureticum evadit, præſertim in nonnullis Febrium ſpeciebus, ubi talis evacuatio ſalutaris deſideretur; ſi diluatur et caute adhibeatur, dentibus albedinem et nitorem impertit, ſin judicio caſſus applicaretur, illos corrumperet, et nigrorem induceret. Aliquantulum hujus Spiritus addendo Spiritibus ex Braſio confectis, iis flavorem impertit non multo diſſimilem Spiritui Vini Gallici. Quando acrimoniam omnem acidam

acidam penitus exuit ab additione Sali Tartari ℥ij. coaddi poſſunt Aquæ ℔ij. potum conciliabit gratum ad ſitim mitigandam in febribus ardentibus, ad urinam promovendam, et ſomnum procurandum. Vires eaſdem obtinet cum Spiritu Salis marini dulcis. Geoffroy.

In hujus Præparatione mirabilis apparet inter Oleum ſubtiliſſimum vegetabile Spiritus Vini rectificati, et Acidum ſubtiliſſimum Foſſile Salis Nitri, conflictus, cujus Vires ſunt egregiæ ad attenuandum, quin et Vis calculum ſolvens huic aſcribi ſolet, et a multis ſumma audacia pro tali intentione exhibetur; quod tamen minus probandum, cum nimia ejus copia noceat. Boer. Chem. M. S. p. 134. 135. Vid. Schol. p. 269. Putredini optime reſiſtit, atque in omnibus Morbis tam internis quam externis cum putredine comitatis excellit; ſpeciatim in Nephritide, Sabulo, Calculo ad gutt. xx. ter quaterve de die in Vehiculo proprio quovis: In Colica, a Bilioſa, calida, putrida cauſa; eſt optimum Medicamentum adhuc notum in gangræna et ſphacelo. Tute concedi poteſt in Caſu Cancri, etiam ad Extirpationem deſignati, contribuit enim ad ſeparationem Carnis corruptæ, a ſana parte cui contigua eſt; poſtremo ſi apte applicetur, magnæ virtutis eſt in Variolis, Morbillis, et Peſte. Boer. Chem. impreſſ. Proc.

Poteſt

Poteſt edulcari Saccharo, quantum capere queat ut fiat inſtar Syrupi; et tum ad Cochleare ſs. exhibeatur, in Cereviſia, etiam Vino, aut Aqua aliqua diſtillata et approbata. Doſis alias eſt ℈ſs. ʒſs. vel ʒi. Le Mort. Collectanea Chemica Leydenſia. p. 134.

Spiritus Nitri Glauberi. p. 45.

Hic eſt verus et purus Spiritus Nitri; Spiritus Vitrioli enim ſolummodo calcinat vel dividit Salem Nitri in partes minutiſſimas a magna vi ejus exploſiva, ita ut fiat Spiritus acidus volatilis; Menſtruum ſat famoſum eſt ad diſſolvenda Metalla et Mineralia pro Medicis; præcipuus autem ejus uſus ad Spiritum Nitri dulcem conficiendum.

Vid. Curam Aſthmatis a Spiritibus Acidis improviſo in Nares attractis. Schol. p. 371.

Spiritus Nitri Glauberi raro interne ſumitur; refrigerat autem, ſitim lenit in Febribus ardentibus, Bilis effervescentiam tollit, urinam et Calculum movet et pellit. Doſis prout Sp. acris, v. g. a gutt. i. ij. vel iv. ad x. ſed propinentur ex Vehiculo molli aquoſo; pulmentaria, Juſculo, ut acrimonia ejus diluatur, et obtundatur.

Acida, præcipue in Regionibus calidis, ubi ex æſtuationibus Sanguinis Homines potiſſimum ægri ſunt, non exiguam promittunt opem; Alkali ſcilicet Sanguinis, unde

plurimi motus inordinati Sanguinis, vel nimis fluidus Sanguis ortum trahit, infringendo; quare Julepis refrigerantibus, ut vocantur, quandoque admiſcentur.

Spiritus hic cautiſſime adhibeatur, cæteroquin tutius erit omnino ab uſu ejus abſtinere, unico momento enim ſerum Sanguinis coagulat; hinc Venenum eſt lethale, ubi viribus ſuis integris accedere ad Sanguinem poteſt, et color miſturæ ruber fere eſt: Hoc autem Experimentum non æque obtinet locum in Spiritu Nitri dulci cum tripla quantitate Spiritus Vini rectificati ad Spiritus Nitri partem i. parato, ob digeſtionem Foſſilis hujus cum Sp. Vin. rect. et ob rediſtillationem; plurimum quippe differunt digeſta, inter ſe ipſa, ab indigeſtis: Si diſtillatio præſertim bis terve repetatur igne leniſſimo, eo melior mitiorque evadit Spiritus Nitri dulcis, et particulæ Salis magis obtunduntur, mitigantur, et arctiſſime uniuntur.

Hujus Spititus Nitri Glauberi admirabilis eſt, et ſingularis illa vis, quod flammam excitat luculentam inſtanter cum magna exploſione, ſi commiſceatur Oleis Eſſentialibus Caryophyllorum, Sem. Carui, Saſſafras, et ſimilibus.

Spiritus Nitri Glauberi, Tincturam Heliotropii, et Syrupum Violarum rubefacit, inſtar ignis; Lac extemplo coagulat; cum Lixivio Tartari efferveſcit, ſine calore aliquo percepto; cum Sp. Salis Ammoniaci efferveſ-

cit,

cit, calorem generando; eandem communicat qualitatem Spiritui Vitrioli forti. Geoffroy.

Spiritus Oleumve Petrolei Barbadenſis. *p.* 37.

In hujus defectu, uſum ejus ſupplere poteſt Oleum Succini rectificatum, vel Spiritus Succini. Geoffroy ſenſit hoc Oleum eſſe ſupervacaneum integre, quoniam Oleum non majores poſſidet virtutes quam ſubſtantia ipſa.

Spiritus Roriſmarini. p. 73.

Olim Aqua Hungarica Bateana. Hic Spiritus paratur cum Spiritu vinoſo tenuiori; quod ſi conficeretur cum Spiritu Vini rectificatiſſimo, tum loco attenuandi, reſolvendi fluida Animalia, volatiliſandi, magiſque perſpirabilia reddendi, e contra compertum eſt ea frequenter indurare et condenſare; ut liquido conſtat in mammis tumefactis, et induratis cum Sp. V. R. vel Aqua Hungarica antiquitus parata fomentatis, unde loco reſolvendi Tumorem, tunc magis dureſcit, et Cancroſus evadit. N. Spiritus vinoſi et reliqui volatiles cum vehiculo frigido uſui deſtinentur; aliquando autem externe applicantur per ſe. Cephalicum eſt et eximium Remedium in

 morbis

morbis a frigida cauſa præſertim in Catarrhis, Coryza, defluxionibus, Vertigine, Hyſterica paſſione, Epilepſia, Apoplexia, Lethargo, Paralyſi, Spaſmo et Uteri obſtructionibus. Doſis a ℨi. ad ℨiij. in Cyatho Vini Hiſpanici, vel quovis vehiculo convenienti; multum reficit Syſtema nervoſum, prodeſt in Contuſionibus, Nigredine Carnis, et Cutis: confert ad arthritidem vagam et Iſchiadem ad cochleare unum: coſmeticum eſt, faciem nitidat, et manus, ſi pars affecta quotidie cum hoc lavetur. In Cephalalgia attrahe in Nares, fricentur optime tempora et loca pone Aures: Ore teneatur et Auribus: vel linteolum eo intinctum Nuchæ adhibeatur; plurimis levamen conciliavit, aliis incaſſum exhibitis; cum Aqua dilutus Aurium Cerumina indurata humectat, et injectus e Syringe, tepidule, educit ea.

Spiritus Salis Ammoniaci. p. 50.

Hic plerumque conficitur cum additamento alicujus Alkali; quæ ſi ſola per ſe ſublimentur, erit tibi Sal Ammoniacus volatilis; ſin autem additione alicujus liquidi in quo Sal tabeſcit, tunc nacturus es Spiritum Salis Ammoniaci volatilem, qui viribus iiſdem pollet ac Sal volatilis Salis Ammoniaci, quem Vid. ad Schol. p. 393. ſed fortior eſt, et plus inflammat a majori quantitate Alkali additi in Spiritus

Spiritus diſtillatione hujus: Antiſepticus eſt, perſpirationem, ſudorem et urinam promovet, acidos ſuccos in corpore latitantes infringit, et corrigit; circulationi Sanguinis auxiliatur, Oſcillationes Nervorum excitat, et obſtructiones aperit. In Lethargis, et omnibus ſoporoſis morbis conceditur, quoniam Spiritus tales ignei irritantes ſtimulant, et exagitant fibras, promoventque derivationes fluidorum neceſſarias. Doſis a gutt. i. ad viij. Geoffroy ait ad ʒi. in Vehiculo, ut Aqua Menthæ, Fœniculi, Pulegii, &c. Vis autem hujus Spiritus, reſpicienda eſt ſemper. Valet in Cordis palpitatione, vomitu, nauſea, nephritide, ſtranguria, in Vini pauculo ad gutt. x. vel xij. Quando odor Naribus ſuſcipitur, aut Linteolum in hoc Spiritu madidum ſub ægrorum Naribus pro olfactorio tenetur, illico fugat Cephalalgiam, Odontalgiam, et Hyſtericas Paſſiones: prodeſt in dolore Colico, ſuffocatione Hypochondriaca; Sanguinis coagulati per Pulmones motum juvat, et coagulatum in Pleuritide ſolvit; attenuat et incidit pituitam; Spiritus animales torpidos excitat, in calculo ſolvendo in ductu biliario valet, etiamque in Cachexia, Hydrope, Ictero. Syl. de Le Boe. Praxis medica Lib. I. Cap. xxix. p. 248.

Spiritui Salis Ammoniaci huic, cum Sale alkalino diſtillato, nullo negotio omnis generis Olea Eſſentialia diſtillata permiſceri queunt. Poſſunt itaque hoc pacto omnigena ſalia vo-

latilia oleoſa liquida, et Spiritus volatiles Aromatici, a nonnullis Spiritus Hermaphroditici dicti, extemplo concinnari, cum Spiritu ſalis Ammoniaci dulci ſequente: at Spiritus Volatilis Aromaticus frequentius in uſum ducitur ob odoris fragrantiam, et ſaporem magis gratum.

Spiritus Salis Ammoniaci hic, vel alius generis urinoſi bene rectificati cum Alkohol Vini, aut aliis Tincturis, eſſentiis, &c. Alkohol Vini utpote extractis, mixtus, cum iis ſtatim coagulatur, unde fit Offa alba Helmontiana; additis autem aliquot guttis Aquæ, denuo fluorem adipiſcitur.

Spiritus Salis Ammoniaci dulcis. p. 51.

Uſurpatur pro menſtruo ad Salem Volatilem Aromaticum conficiendum, et eaſdem vires obtinet ac Spiritus Salis Ammoniaci ſupradictus; ſed ob jucundiorem hujus Saporem, in majori concedatur Doſi in Vehiculo idoneo. Commendatur a Lemery, et Le Mort. in Lethargo, Paralyſi, Scorbuto, Febribus malignis, Paſſione Hyſterica, Menſium Obſtructionibus, Rheumatiſmo, Capitis gravedine: Sudorem promovet, et perſpirationem Sanctorianam, &c. Doſis a gutt. xij. ad xxx. et ultra in Aqua diſtillata quavis convenienti. Servire poteſt intra et extra corpus: nam externe reſolvit, aperit, attenuat, unde in Cataracta

locum habet, ſi cum Aqua Fœniculi, vel Roſarum temperetur: Podagricos etiam dolores lenit, ſi parti dolenti inungatur: ſumptus intra corpus humores fundit, obſtructiones ſolvit, pituitam tenacem incidit, auſtera et acida corrigit.

N. 1. Hic Spiritus acido minus reſiſtit, quam Spiritus Salis Ammoniaci, vel reliqui volatiles, quoniam anguli particularum acutarum hujus Salis, ab oleoſis Spiritus Vini particulis quodammodo obliniuntur: Quæ cum ita ſe habeant, conducibile magis judico, ut in hiſce morbis, in quibus fortior acidi expetitur propugnatio, Spiritus Salis Ammoniaci cum meris Alkalicis, abſque additione Spiritus Vini, diſtillatus, uſu veniat.

N. 2. E Reſiduo hujus diſtillationis, interveniente Aqua educitur Sal Diureticus, amaro ſapore præditus: is etiam poteſt converti in Spiritum. Barckhauſen Synopſis Pharm. p. 156, 157.

Spiritus Salis Marini Coagulatus. p. 48.

Proprie vocatur Sal Marinus regeneratus. In hac præparatione, Alkali fixum, quo orbabatur Spiritus Salis Marini, readditur; hinc Sal formatur, ad amuſſim, Salis Marini vulgaris formam gerens, nec ullas alias poſſidet virtutes, quas novi. Operatio hæc inſtituitur, acidum, mecaſtor, ut mitius evaderet; ad Sco-

pum eundem collimaret, ſi quis, in minori doſi, Spiritu ordinario Salis Marini uteretur, parumque abeſt quin in totum hic Spiritus Salis Marini a medicina exulet: accedit ad naturam Tartari vitriolati fere, ob Lixivium Salis Alkalini fixi, Spiritui Salis Marini inſtillatum.

Diureticum eſt Medicamentum et ſpecificum hydropicum; omnes aquoſas humiditates, et flatus omnemque viſcoſam materiem, unde calculus procreatur, per urinam potenter expellens. In Iliaca, Colica, Febribus, Ictero, Dyſenteria, Apoplexia, Podagra, &c. præſentaneum eſt auxilium. Doſis a gr. vi. ad xv. Batei Pharmacop. Hermetic. per Full. p. 61.

Spiritus Salis Marini Glauberi. p. 46.

Spiritus hicce, ſic productus, verus eſt Spiritus Salis Marini, inſervit enim pro ſolvendo Auro, Venere Antimonio, Zinco, Marcaſita vel Aureo Biſmutho. Idem fiat cum Aqua forti compoſita vel aqua regia. Spiritus eſt debiliſſimus Mineralium acidorum, aſt fortior quam ullus Vegetabilium: Operatio hæcce igne majori et diuturniori eget ad ipſum diſtillandum, quam Spiritus ipſe Nitri: Spiritus Salis in forma Nebulæ candidiſſimæ in recipiens tranſit, promptius autem ab actione Aeris diſſipatur; adhibetur præcipue ut Men-

ſtruum pro aliis præparationibus conficiendis, Antiphlogiſticum et Diureticum eſt Medicamentum, ob quas virtutes multum commendatur: appetitum depravatum reſtituit, et Calculorum accretionem prævenit. Vires medicæ hujus Spiritus magni ſunt momenti, utrum interne an externe adhibetur; peculiariter adaptatur ad appetitum excitandum imbecillis vel languidi Stomachi; etiam tuetur Corpus ab alkalina putredine in Peſte, et ſingulatim prodeſt in Scorbuto. Helmontius hoc deprædicat ut Remedium notiſſimum ad Calculum Veſicæ et Renum, cujus guttæ paucæ indies ſumantur in Vehiculo aliquo proprio. Externe applicatum mirabile eſt in Gangræna, vel Mortificatione illico ſiſtenda. Hinc liquido conſtat hoc eſſe optimum corroſivum hucuſque in Verrucis extirpandis, parviſque cancris, detectum et exploratum: Quondam perfecit curam inſperatam Cancri, parvi in lingua nominis, partem affectam tangendo tantum hoc Spiritu: non autem commendatur hoc ut Remedium idoneum in omnigenis Cancris, ſed tantum parvulis, nec corporis malo habitui ſociatis; utile eſt ad Gingivas putridas, aliis commiſtum; refrigerat, ſitim minuit et extinguit in Febribus ardentibus, urinam pellit in Hydrope, Bilem compeſcit in Ictero, Febre, et reſiſtit Putredini in Peſte, abſorbendo Alkali ſuperfluum. Doſis ordinaria eſt Infanti 6 Ann. gutt. i. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. vi. Juveni 30 Ann. gutt.

gutt. xij. uſurpatur cum Vehiculo quovis apto probe diluto ad gratam aciditatem conciliandam Julepis, &c.

Spiritus Salis Marini Glauberi, non equidem ut Spiritus Nitri Glauberi, Serum Sanguinis coagulat, lethalem tamen inducit mutationem in nimis magna doſi intromiſſus, ita ut fluere per vaſa capillaria nequeat. Boer. Chem. M. S. p. 120. Horum Spirituum binorum Vis eſt eadem, eaque optima ad Alkali deſtruendum in corpore noſtro, et ad concreſcendum cum eo in Salem Ammoniacum Naturalem: Hinc acidum Spiritus Salis Marini Glauberi in Febribus et aliis morbis ab Alkali prædominante, optimum videtur correctorium acidum, quod etiam hoc habet, quod careat acrimonia illa corrodente, reliquis acidis ſalibus propria. Eſt ejus vis optima ad digeſtionem, ſi guttæ nonnullæ ſumantur ex vino; Eſt ejus vis optima diuretica ad pellendum calculum (non vero eouſque extendimus vires, quouſque Helmontius, cumque eo Baſilius Valentinus, et Paracelſus, qui omnem ipſum Calculum ſolvere voluerunt, cum hoc in minus compactis ſaltem obtinet) cujus ulteriorem concretionem impedire poſſit, ſi jejuno Stomacho, is in Aqua Petroſelini ſumatur, quemadmodum in Aula Regia Pariſiorum, ſolo hoc medicamento magnam ſibi famam et Argenti copiam lucratus eſt practicus quidam, qui pro ſummo arcano ad ʒi. imo ad

ʒvi.

℥vi. unico aliquando mane exhibuit, quæ tamen quantitas non poteſt quin damnoſa ſit corpori.

Detur a gutt. xx. et ultra in alicujus Vehiculi idonei probe diluti ℥xx. ut ex Infuſo Petroſelini, Raphani hortenſis, Raphani Sylveſtris et Ruſticani, ex Aqua Juniperi compoſita, Menthæ Piperitidis ſimplici, Raphani compoſita ; ex Succo Betulæ et Vino ejus, in Calculo et Scorbuto; Ex Aqua fontana, Alexeteria ſimplici, Hordeata, Roſarum Damaſcenarum, in Febribus ; ex Vino rubro ut Stomachicum. Horum cujuſvis quantitas idonea ſumatur, prout morbo medendo magis conveniens fuerit. Acida vero, in nimia doſi data, nocent ſæpe, præſertim Febribus inflammatoriis, augendo lentorem, viſciditatemve Sanguinis et Succorum, unde obſtructiones formantur in Vaſis minoribus; licet nonnulli adeo ignari ſunt, ut opinantur Salia acida potiri potius facultate fundendi quam coagulandi humores, et obſtructiones aperiendi in capillaribus.

Spiritus Salis Marini amænior eſſet, ſi cum Spiritu Vini edulcoraretur ut Spiritus Nitri. Schol. p. 415. quo ſpicula ejus, confringantur, operiantur, et minus corroſiva reddantur, unde fiat tutum Medicamentum diureticum, et optime putredini reſiſtens. Boer. Chem. M. S. p. 140. 141. et Chem. impreſſ.

Spiritus

Spiritus Succini. p. 49.

Spiritus hic, poſt diſtillationem, more ſolito abjiciebatur, impræſentiarum autem uſum præſtat Salis hujus, qui raro eſt genuinus; Cephalicus, Hyſtericus, Neuroticus, Anticolicus eſt, &c. In iiſdem morbis adhibetur quibus Sal, quem vide ad Schol. p. 384. conſiſtit ex Sale ſubjecti in aqua ſoluto, Balſamicus eſt Acidus, penetrans Spiritus quando rectificatur, qui eximie aperit in Ictero, Urinæ obſtructione, Ulceribus in collo Veſicæ, Scorbuto, Nervorum et Tendinum puncturis, et diſtentionibus, doloribus paralyticis, et Rheumaticis. Doſis a gutt. x. ad xxiv. vel ʒſs. in Vehiculo convenienti quovis, et externe affricetur per ſe, vel cum liquore proprio. In defectu Tincturæ Succini, dentur Tinctura Myrrhæ, et Spiritus Succini.

Spiritus Sulphuris per Campanam. p. 49.

Oleum Sulphuris per Campanam olim appellabatur. Vires quoad—Convenit cum Spiritu Vitrioli tenui, excepto quod magis gratum acidum ſit, quam ille. Pectoris autem labi minime convenit hic Spiritus, etiamſi Sulphur integrum ei ſuccurrere fertur; longe alia enim hujus ac illius ratio eſt, quam quiſ-

que

que rei Chemicæ tantillum modo ſciens, mente facile capiet, parti namque non convenire, quæ toti cuipiam competunt.

Eximie Febribus ardentibus, Febribus peſtilentialibus, omnibus morbis a cauſa alkalina putrida natales ducentibus, reſiſtit, Sanguinis et Bilis effervefcentiam ſedat, Sanguinem depurat, et Stomachum roborat. Ex Riverii ſententia, in Febribus putridis excellens Remedium, et experientia compertum eſt refrigerare, putrefactioni reſiſtere, fluidorum inflammationem impedire, ſitim extinguere, Urinam promovere, &c. Omnem fermentationem et corruptelam in Vinis, &c. impedit et ſiſtit. Ab Helmontio commendatur ad vitam prolongandam, magis ex conjectura, quam experientia et rei veritate, gutta unica hujus in vehiculo idoneo ſumpta quovis mane jejuno Stomacho. Doſis autem uſitata Infanti 6 Ann. gutt. i. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. vi. Juveni 30 Ann. gutt. xii. in Vehiculo proprio.

Junctim cum Decocto Corticis Peruviani ad paucas guttas, q. ſ. ad gratam aciditatem, iu vehiculo congruo (repeti debet hæc doſis in fine cujuſvis paroxyſmi, vel hor. ij. aut iij. ante paroxyſmi acceſſum) febres intermittentes ſæpe curat. Bonum eſt Stypticum in Hæmorrhagiis cum decocto Corticis Peruviani, Roſis rubris ſub finem coquendi additis. Spiritus Sulphuris per ſe vel cum Melle roſaceo, brevi aphthas ſimplices curat, ea lege ut nul-

la

la adſit inflammatio, fruſtulum Goſſipii, vel Linteoli madendo in Spiritu, vel mixtura hujus, et earum ulcuſcula ſolum, vel cum penecillo crinito tangendo.

Phthiſicis non confert, quoniam, inſtar aliorum liquorum acidorum, tuſſiendi conatum excitat: veruntamen Lympha nimis acris et tenuis in aſperam Arteriam perpetim ſtillans tuſſim moleſtam titillando acciens, coagulatur et incraſſatur ab hoc Spiritu, unde Tuſſi continue excrucianti induciæ dantur, expulſioni apta redditur, et inſpiſſata globulatim exſpuitur. Nunquam autem dari debet in Pleuriſi, Peripneumonia, Hæmoptyſi, Phthiſi, aliiſque Pulmonum morbis; neque in Stomachi inflammatione, Dyſenteria, Urina cruenta, in Ulceribus Renum et Veſicæ. Geoffroy paſſim.

Spiritus Sulphuris per Campanam, ob puritatem, præfertur Spiritui Vitrioli tenui; Colorem rubrum multum adauget, et gratam aciditatem conciliat Conſervis omnibus rubris, ut Conſervæ Cynoſbati, et Roſarum, Electariis, Julepis, et Syrupis conſimilis coloris, ut Syrupo Caryophyllorum, Cydoniorum, Papaveris Erratici, Roſarum; ut et Tincturæ Roſarum; aliaſque formas liquidas grate acuit.

Spiritus

Spiritus Terebinthinæ. p. 38.

Spiritus Terebinthinæ verus deeſt Pharmacopœiæ Coll. Regalis Londinenſ. de quo et ejus viribus vid. Boer. Chem. proc.

Spiritus Vinoſus Camphoratus. p. 97.

Olim Spiritus Vini camphoratus vocabatur. Solutio hæc Camphoræ valde penetrans eſt; præcipue applicatur extrinſecus adverſus Stupores paralyticos, ad inflammationes ſedandas, tumores reſolvendos et diſcutiendos, putrefactionem impediendam, gangrænas præveniendas, vel ad earum progreſſum reprimendum. Nimis pungens eſt hujus interna exhibitio, niſi large diluatur; nec dilutio ejus facile efficietur; permiſcendo nempe cum Aqueis liquoribus, Camphora decedet, et in formam primigeniam adigetur; convenientiſſima methodus uniendi Camphoram cum Aqueis liquoribus videtur per mediationem Amygdalarum, cum hiſce triturando prompte, cum Aqua in formam Emulſionis temperatur, una atque eadem opera pungentia ejus haud paululum diffringitur; commode exhiberi queat in forma Hauſtus oleoſi; Olea expreſſa enim in hac forma omnino diſſolvuntur.

Si

Si ſumatur hoc medicamentum interne, eſt Diaphoreticum, Cephalicum, Cardiacum, Alexipharmacum, Antiarthriticum, et adverſus febres malignas valet; anodynum eſt egregium, odontalgiam ſedat. Doſ. a gutt. ij. ad xx. cochleare ½ ¾ vel Cochleare unum, Apoplecticis, Hyſtericis, Scorbuticis, ubi Diaphoretica exiguntur, et Conſtitutio hanc doſin ferre queat: ante Paroxyſmum Tertianæ doſis ſit ℥ſs. utiliſſimum eſt in peſte tum præſervanda, tum curanda.

Epithema optimum eſt in ambuſtis ab aqua ebulliente, pulvere pyrio, pice liquefacta, prunis candentibus, igne &c. ea lege ut quam citiſſime adhibeatur, antequam Epidermis in Puſtulas elevetur, eam enim præſervat ac tuetur a ſeparando, penituſque querelam omnem amovet: Sin Cuticula ſubtus a Sero vel humore aquoſo tumeat, per ſpatium conveniens reſidere ubi debet, dein inciſione facta, cuticula evellatur, et veſiculæ ſanentur Emplaſtro attrahente modo vulgari: a nonnullis adhibetur ad dolores artuum, et ad maculas in facie detergendas. Si Veſicatoria dolores vehementes inducerent unde mortificatio, ab hoc Fotu curantur calidum applicando; ut et Colica Linteis duplicatis in hoc immerſis parti affectæ applicatis diuque continuatis, ubi Narcotica nullius ſunt uſus.

Topicum eſt vulgare in Contuſionibus diſſipandis, luxationibus, Rheumatiſmis, Spaſmo, Arthritide, Paralyſi, Sphacelo, ſummatim

tim in omnibus doloribus, et tumoribus, in omni Eryſipelate diſcutiendo, aliiſque hujus modi inflammationibus tam internarum quam externarum partium; calorem pedibus et manibus, frigore torpidis, reſtituit: Hæmorrhoidum dolores mitigat, in morbo cholera, nervorum contractione et reſolutione, eorumque affeclis.

Cephalalgiæ ſuccurrit cum Spiritu Lavendulæ compoſito, diluendo cum Aqua Roſarum damaſcenarum, inſufflando in Nares. In Spiritus hujus ℥ſs. ingrediuntur Camphoræ gr. xv. quæ Reſina eſt, vel Oleum Eſſentiale Cardui benedicti, vel Arboris Camphoriferæ in Aſia excreſcentis: in Spiritu Vini puro vel Alkohole puro ſoluta, Medicamentum eſt valde balſamicum, potenter putrefactioni in Corpore reſiſtit, eximium eſt coſmeticum, et a corruptione præſervat animalcula in hac Quinteſſentia ſuſpenſa. Vid. Schol. p. 205.

Vinum purum, modo fomenti uſurpatum, vim habet tumores diſſipandi, quum Alkohol purum Scirrhoſos reddit eos.

Spiritus Vinoſus tenuior, i. e. Brandy, eſt liquor acer, pungens, penetrans, calefaciens, inflammabilis, volatilis, ad levem ignis gradum facilius aſcendit et pluſculum quam Aqua pura, vel Oleum; eſt reficiens, inebrians, ſtupefaciens, anodynus, dolorem minuens a frictione et fomentatione cum eo, Balſamicus, corpora a corruptione præſervans, et miri uſus in Chirurgia, ubi fæliciter curat gangrænam

et mortificationem, ulcera putrida, &c. ſi nimis copioſe ebibatur, Apoplexiam inducit, (cujus ebrietas eſt ſpecies) Polypoſas concretiones ab obſtructione et coagulatione ſanguinis in Vaſis majoribus, Cordis palpitationes, Hydropem, Icterum, Nervos aridos criſpatos, paralyſin, &c.

Spiritus Vini purus, vel Spiritus Vini rectificatiſſimus.

Spiritus Vini purus, Spiritus Vini rectificatiſſimus, vel Alkohol immediatum eſt Stypticum et anodynum, uti compertum eſt in Hæmorrhagiis, et Nervorum puncturis; tumores autem reddit Scirrhoſos; Alkohol in Venas injectum mors eſt repentina; idem ebibitum Veneni qualitatem habet, et illico mortem accerſit; uti a Medicis Scriptoribus obſervatum eſt. Non aperit vel diſcutit ſecundum notionem vulgarem, qua ratione neutiquam coagularet omnes corporis ſuccos, uti pro comperto habetur, extemplo ſalivam, ſanguinis ſerum, Ovi albumen, &c. in corpora conſiſtentia convertendo. Stypticum eſt ſummum, applicando penicillum ex linteo carpto confectum orificio Vaſorum Sanguinem fundentium, illico fluxum comprimet coagulando Sanguinem. Tutiſſime uti licet in partibus Corporis nervoſis, tendinoſis, et magis ſenſibilibus, ubi Styptica vulgaria, ut Vi-

Vitriolum, aliaque Cauteria potentialia, &c. nequaquam conveniunt.

Vulnera cito conſolidat, ſine cruſta vel cicatrice; Tumores Mammarum indurat et condenſat; et loco attenuandi, aperiendi, diſcutiendi, reſolvendi, et fluida animalia volatiliſandi, Tumores inde redduntur duriores, et magis cancroſi, ſanguis incraſſatur, et coagulatur: Hoc Alkohol citiſſime inebrians eſt et calefaciens, totum inflammabile, Balſamicum, putrefactiones in animalibus, et vegetabilibus arcens in hoc immerſis; Summum eſt conſolidans, ſummum eſt volatile; ſi nempe diſtillet ex alto, diſpergitur fere totum in auras antequam petat fundum, atque ſi exhalari ſinatur in cubiculo calido minus ſpatioſo cum candela accenſa, accenditur Alkohol per auras vagans, totumque cubiculum repletur flamma non urente.

Aquæ, oleo, ſaponi, Sali tam acido quam alkalino permiſcibile, et inde ſeparabile eſt levi calore. Boer. Chem. M. S. p. 63. Momento ipſo, quo affunditur Sero Sanguinis, illud coagulat lethaliter parte, qua illud attingere poteſt, et ſuccos ſive totam maſſam. Idem p. 121.

Spiritus Vinoſi rectificati omnes, cum perfecte puri, neque alkalini, neque acidi ſunt.

Spiritus Vitrioli dulcis. p. 48.

Paratur cum Spiritu Vitrioli forti, Oleo dicto, ad Elixir Vitrioli dulce conficiendum. Hoc eſt Stypticum medicamentum, Fluorem album minuit, Hæmorrhagias ſiſtit, Menſium nimium fluxum reſtringit, Renes emundat et Calculum prævenit; multi æſtimatur ut diaphoreticum et diureticum, in multis caſibus dolorem allevat, et ſomnum procurat; dari poteſt is in colicis flatulentis a gutt. x. ad xc. vel Infanti 6 Ann. gutt. v. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. in quovis Vehiculo convenienti.

Spiritus Vitrioli fortis. p. 45.

Quondam Oleum Vitrioli improprie nominabatur.

Spiritus Vitrioli fortis eſt ponderoſiſſimus omnium liquidorum nobis notorum, dempto argento vivo, et potentiſſimus omnium acidorum Spirituum. Vires eaſdem habet quas Spiritus Vitrioli tenuis, in minori autem doſi porrigendus eſt, et probe temperandus cum Aqua multa, aliove idoneo vehiculo. Doſis a gutt. ij. ad vi. prout valde acris fuerit.

Spiritus omnes acidi generatim inſtillandi ſunt in liquorem proprium, ad gratam acidita-

tem,

tem, et nequaquam ultra. Vid. Remedium Peripneumoniæ atrocis, et Aſthmatis, ab effluviis Spiritus Vitrioli fortis, vel Aquæ fortis ad Schol. p. 49.

Extrinſecus eſt cauſticus et cathæreticus, Eſcharam ſive Cruſtam cuti inducit, Sanguinis profluvium ſiſtit, ac valet illitu ad perſananda quævis ulcera maligna.

Pro Menſtruo inſervit multis operationibus Chemicis, ut Mercurio Emetico flavo, vel Turpetho minerali conficiendo; Elixir Vitrioli acido; et Spiritui Vitrioli dulci parando, ei addendo Spiritus vinoſi rectificati. q. ſ.

Spiritus Vitrioli fortis facile corrodit et penitus ſolvit Ferrum, Cuprum, et Mercurium; non autem ſeſe conjunget cum Auro Saturno, et Stanno.

Siquando Spiritus Salis, Nitri, et Vitrioli invicem miſceantur, poſthac debito ignis regimine e Retorta diſtillentur, prodire primo obſervabimus Spiritum Salis, quem Nitri Spiritus ponderoſior deinceps ſequitur, ſuperſtite in Retorta Spiritu Vitrioli ponderoſiſſimo.

Spiritus Vitrioli fortis Sanguinem ipſum, Serum Sanguinis, Albumen Ovi aliquantulum incraſſat et coagulat, ſine minima efferveſcentia.

Spiritus Vitrioli, Nitri, et quodvis aliud acidum immiſtum cum Lacte tepido illud incraſſat ſine motione vel ebullitione manifeſta.

Tincturam Heliotropii, et Syrupum Violarum convertit in colorem igneum: Lac et Sanguinem coagulat, fermentationem fortem excitat cum quovis Sale alkalino.

Si Sero Sanguinis puro inſtilletur, extemplo coagulabitur, hinc albeſcit ſerum, quaſi ſupra focum excoctum fuerit, et ineptiſſimum ut fluat amplius per Vaſa. Si Solutiones omnes ſic factæ, cum Salibus oppoſitis, ut Lixivio Tartari, &c. ſibi invicem permiſcentur, ingens violenſque ſit effervefcentia cum ſpuma admodum tenaci; unde videmus quid Sentiendum ſit de methodo illa Salia peccantia per infuſionem contrariorum Salium in Sanguinem immediate corrigendi. Lethalis enim eſt effervefcentia talis, et Vaſa perrumperet. Boer. Chem. M. S. p. 121.

Spiritus Vitrioli tenuis. p. 45.

Bilem et humores nimis fluidos refrigerat et coagulat, valet ad extinguendos ardores febriles, Sanguinis et Bilis æſtum temperat, refrænat, compeſcit, Urinam promovet, et inſtar aliorum acidorum Spirituum, ebullitiones Sanguinis et humorum cohibet, ac proinde in febribus ardentibus frequenter uſui eſſe venit; Vomitum, Diarrhœam, Catarrhum, Hæmoptyſin, Hæmorrhagiam Narium ſiſtit, &c.

Va-

Variis Decoctis, Aquis diſtillatis, Aqua fontana, ad aciditatem gratam nec ultra ſæpe exhibetur, ut et Julepis ſimilibuſque vehiculi loco ei inſervientibus, ac acrimoniam ejus auferendi cauſa; admiſcetur præſertim decocto Corticis Peruviani ad Febres intermittentes, appetitum conciliandum, &c. finito Paroxyſmo. Arcanum habetur in Ventriculo roborando; Spiritus doſiſque ferre poteſt, ut Dentes non Stupidi inde reddantur atque eorum acies non hebetetur: Antiſcorbuticum, et præſervativum eſt Nautis, et per Mare navigantibus diu Scorbuto infeſtis. Frederici Dekkers Exercitat. Pract. p. 579. Cave autem ab ejus uſu in dentibus poliendis, unde aſperitates eorum tolluntur, brevi albificantur, verum corroduntur, et nitor eorum, medulla, et ſubſtantia ab hoc acido exuruntur, exeduntur, et denigrantur. Nocet Aſthmati, et morbis Thoracis, Acida enim omnia inimica vel infeſta ſunt Pulmonibus; Hyſtericis, et Spleneticis, ſumma cum cautela adhibendus eſt. Doſis Infanti 6 Ann. gutt. i. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. vi. Juveni 30 Ann. gutt. x. vel Doſ. a gutt. v. ad xx.

Riverius inquit, Acida bilioſis in Febribus nunquam omittenda; quia amara dulcificantur per acida; quæ ſi intenſa ſunt in ſuo gradu, ut Spiritus Vitrioli aut Sulphuris, ipſius Aloes et Colocynthidos amaritudinem delent; Bilis autem flavo ſuo amarore ſpoliata, mortua eſt et innoxia. Atque alibi dicit de Spiritu

trioli, et Sulphuris, hoc diligenter animadvertendum in Febribus putridis magnum eſſe illius uſum; quia inſignem vim habet refrigerandi, aperiendi, putredini reſiſtendi, inflammabilitatem humorum prohibendi, et ſitim ſedandi. Attamen in Pleuritide, Peripneumonia, Hæmoptoe, Phthiſi, cæteriſque pulmonum affectibus, Ventriculi inflammatione, Dyſenteria, ſanguinis mictu, Renum et Veſicæ ulceribus plurimum nocere, et ab eo abſtinendum eſſe. Fulleri Pharm. Extemp. p. 148.

℞. Aqua fontan. puræ coctæ ℥xxviij. Syr. Violar. ℥iij. Syr. Caryoph. (vel e Rubo Idæo) ℥i. Spirit. Vitriol. q. ſ. ad gratiam m. f. Julepum acido-dulce elegantiſſimum, et longe gratiſſimum, quod exhiberi poteſt frigidum in Febribus ardentibus ad ℥iij. vel ℥iv. ſextis horis. Vid. Sp. Salis Marini Schol. p. 426. &c.

Spiritus Volatilis Aromaticus. p. 51.

Olim Spiritus Volatilis oleoſus vocabatur, Spiritus vel Sal, odore, ſapore, penetrabilitate, mobilitate, et ſaponacea Virtute induitur, cujus pariter egregius et aptiſſimus uſus eſt in infinitis morbis chronicis ubi acidum temperandum, auſterum corrigendum; tenax, viſcidum, mucoſum incidendum et attenuandum; coagulatum ſolvendum, aquoſum educen-

dum

dum, iners ſtimulandum et exuſcitandum, calor augendus, vires reficiendæ; valet in Morbis e temperie frigida oriundis; ſpeciatim in Arthritide acida, ſcorbuto acido, ubi Bilis inertia adſit, in omnibus morbis torpidis, inflammatione vel putrefactione incomitatis; potiſſimum quando morbi, vel inæquales Nervorum et Spirituum Motus, moleſtos Hypochondriacos, Hyſtericos, et Epilepticos paroxyſmos induxerint, Colicas et flatulentias exinde ortas diſcutiendo. Adhibetur in Caro, Catalepſi, Comate, Lethargo, Paralyſi, Pleuritide, Vertigine, Apoplexia, Convulſionibus, verum hiſce morbis Nervorum ultimo memoratis multo præſtantior eſt Tinctura Valerianæ volatilis. Cephalicus eſt, Uterinus, Menſium et Lochiorum fluxum movens, Cardiacus, Lipothymiæ tremori et palpitationi ſuccurrens, Stomachicus, coctionem et cruditatem ventriculi, a pituita debilitati emendans; Nauſeam, triſtitiam, et vomitum juvans; Habetur nobile reſtaurans, Stomachicum, calefaciens, ſudoriferum, Diaphoreticum, antiſpaſmodicum, et antiepilepticum Medicamentum, ubi morbus a cauſis ſupradictis originem duxerit, ſingulatim eximie ſuccurrit. Morbis vero acutis et inflammatoriis ſemper nocet, ubi ſucci ſolvuntur et putreſcunt, Scorbuto alkalino urinam cruentam reddentibus, Hæmoptyſi, Phthiſi, Tabi, aliiſque conditionibus a cauſa alkalina; quinetiam ubi Sanguis, Salia et

Olea

Olea ipſius jam nimis minute conterantur; ubi corpus liqueſcat, nequaquam in uſum veniat; frequentiſſime enim perniciosum evadit et ſumme deſtruit. Maxime ergo, caveant qua Mares, qua Fœminæ, conſtitutionis debilis præcipue, ne nimis frequenter hic Spiritus ducatur in uſum.

Hujus fragrantia et redolentia fere excluſit uſum Spiritus Cornu Cervi, et Salis Ammoniaci. Siquando Flores Martiales impraegnarentur hoc Spiritu, optima methodus eſſet Chalybem exhibendi, et in Fibras minutiſſimas ulterius agendi: præſcribitur frequenter cum Spiritu Lavendulæ ſimplicis vel compoſitæ, Tincturave Caſtorei, guttatim inſtillando in liquores vulgares: quandoque in Hauſtibus vel Julepis ad ægros mittitur; cave ne conjungatur cum Syrupis vel Tincturis rubris, quoniam in viridem colorem deformem, viſui ingratum, immutabuntur. Doſis hujus Spiritus Infanti 6 Ann. gutt. v. Adoleſcenti 16 Ann. gutt. xv. Juveni 30 Ann. ʒſs. vel Doſis a gutt. vi. ad LX. vel ultra ex Vehiculo appropriato; exhibetur ordinario a gutt. x. ad Centum, vel ultra in Cyatho poculove Vini inter edendum, ſeu tot guttæ ſumantur donec Vini color immutetur.

Quoties hujus uſus idoneus fuerit, ſumatur optimo eventu ad amplam Doſin, ter quaterve de die, ex Vino pingui quale eſt Hiſpanicum, vel Canarienſe, maxime inter edendum. Dom. Boerhaave dedit hunc Spiritum ſæpi-

ſæpiuſcule, ſpatio unius diei ad ℥i. vel ℥iſs. videlicet ad ʒi. ſingulis vicibus, duodecies de die aliquandiu; ad guttas paucas ſaltem ſumptus, ut vulgo fieri ſolet, tum pro titulo potius quam Medicamento eſt, ad guttas enim dare nil juvat, ſæpiuſque peccatur in minimis a nimis parca doſi medicamentorum, imprimis alterantium; atque ipſe in morbis Cachecticis et Scorbuticis ab acida cauſa, magnas hujus Spiritus virtutes expertus eſt: ut autem continuato paululum uſu interiora Viſcera viribus hujus alteranda vel imprægnanda ſint, Vacuo et jejuno Stomacho ſumi debet, alicujus liquoris calidi ſuperbibendo hauſtum, ægro in lecto decumbente; vel poſtquam e lecto ſurrexerit, exhiberi cum levi exercitatione ad ſudorem mediocrem excitandum.

Si Spiritus Volatilis Aromaticus parandus eſſet cum Spiritu vini rectificatiſſimo, loco Vini tenuioris, ex quo Spiritus Salis Ammoniaci dulcis conficitur, Sanguinis Serum coagularet utcunque, contra receptam Medicorum opinionem, quaſi Ratione Spiritus Salis Ammoniaci, mox ejus ope diſſolvere Sanguinem deberet, verum Spiritus Vini rectificatiſſimus hoc impedit.

Externe Tumores duros reſolvit et diſcutit, in forma Fomenti vel Embrocationis, adhibendo cum larga Aquæ portione, cavendo ne ulla ſigna putredinis appareant; Unctuoſæ etiam ſubſtantiæ huic addi poſſunt, ſi ante non nimis calefiant quam uſurpentur; porro dilu-

tus

tus cum Aqua Roſarum, &c. eſt Sternutatorium optimum liquidum, guttas tres vel quatuor, pluresve inſufflando in Nares, et infricando eas in tempora, pleroſque Capitis dolores amovet, præſertim ſi ei commiſceatur Spiritus Lavendulæ comp. Noſtrates Dominulæ ſæpenumero utuntur ſalibus hujus operationis ex Vitreis olfactoriolis: ab ejus autem uſu frequentiori inter olfactandum, læduntur nonnunquam pulmones, et Membrana Schneideriana: ſi Sal hujus cuti applicetur, et Veſica cooperiatur, ne virtus ejus exhalet, Cauſticum evadit eximium ad Fontanellas. Odor plerorumque grave—vel Suaveolentium diminuitur ſi acido quopiam miſceantur, partes quippe fragrantes, quæ plerumque indolis alkalicæ et oleoſæ, ab acido ſubjugantur, quocirca illæ non tam valide exhalare poſſunt. E contrario hæc Alkali cuilibet mixta fragrantius quam antea. Barchuſen Syn. Pharm. p. 22.

Spiritus Volatilis Fœtidus. p. 51.

Hic Spiritus Aſæ fœtidæ volatilis valde elegans Uterinus, Spleneticus, et Nervinus eſt; Hyſtericis, Hypochondriacis, Epilepticis, et Morbis Spaſmodicis ſubvenit; Viſcoſos humores attenuat, obſtructiones amovet, Menſes et Lochia provocat; Pulmonibus mucoſa materie tenaci oppletis, et Peripneumoniæ con-

conducit, nauſeam autem ſumme ingratam Stomacho parit in forma liquida. Doſis Infanti 6 Ann. a gutt. v. ad ℈ſs. Adoleſcenti 16 Ann. ʒſs. Juveni 30 Ann. ʒi. ex Vehiculo idoneo.

Spongia. p. 24.

Spongia ſupplet locum turundæ; Orificia Fiſtularum et Abſceſſuum nimis anguſtorum dilatat, unde humores noxii derivantur, et evacuantur; Sicca lino vel filo ligata, penicilli modo intruditur, quo tumeat impleaturque partium affectarum humiditate, quam gradatim protrudit, et locum amplificat in quem adigitur; occluſa ulcera calloſque relaxat, et vetuſta ulcera quæ fluxione laborant, aut cuniculatim exedunt, impoſita ſiccat, ſanguiniſque profluvium ſiſtit. Dioſc. per Ruellium p. 474.

Spongia uſta vel calcinata eximii uſus eſt in dentibus abſtergendis, et celebratur virtute ſanandi Scrophulas, Morbum Regium, et cutaneas turpitudines, nec ſine ratione; expertum enim eſt curas multas notabiles perfeciſſe horum morborum: Spongia minutim ſcindenda eſt et in Mortario vitreo vel marmoreo aliquandiu tundenda, quo materies omnis arenoſa et lapidoſa eximatur, quæ comparata cum Spongiæ pondere præparatæ, aliquoties ad molem non exiguam accreſcit. Uſtio intermittenda

termittenda ſimul ac materies penitus nigreſcat. Doſis a ℈i. ad ʒſs. nec ultra ob cauſticam ejus Virtutem, cum quovis vehiculo idoneo.

Stannum Pulveratum. p. 57.

Paratur ad aurum muſivum. Raro ſumitur interne, licet vires ejus ab authoribus nonnullis plurimum celebrantur ſpeciatim in morbis Capitis, in Epilepſia, Convulſionibus, Morſu Canis Rabidi, Paſſione Hyſterica, dolore Colico, acidum imbibendo, a quo ut plurimum tales affectus Natalitia ducunt. Hoc Præparatum aliquandiu uſurpatum fuit ut Remedium adverſus Vermes ſpeciatim planas, ob Arſenicum in hoc Metallo latitans, qui ſæpenumero vim aliorum Medicamentorum eludunt. Nonnulli limitant doſin ad grana pauca ut ad ℈i. vel ʒi.

Verum D. Alſton nos certiores fecit in tentam. Medic. contract. Societatis Edinburgi Vol. I. p. 190. 191. Proſperum eventum præcipue conſtare dando ipſum in multo majori quantitate; Hic jejuno Stomacho exhibuit Stanni pulverati ſubtiliſſime lævigati ℥i. mixti cum Syrup. e Saccharo inter purificandum defluentis ℥iv. die proximo ℥ſs. et die inſequenti alteram ℥ſs. tali modo mixtam deglutivit: tum Catharticum aſſumpſit: Vermes plerumque excernuntur inter purgandum,

gandum, et dolores Stomachi, ab ipſis excitati, extemplo fere amoventur ſub primam doſin Stanni. Lewis Pharm. Lond. p. 326.

Hoc valet contra Tæniam, i. e. Tape Worm, Lumbricos planos, latos, cucurbitinos. Cito curat Stomachi dolorem a vermibus ortum, licet eos non expellit per aliquot dies poſt ejus aſſumtionem.

Stannum pulveratum frequenter adhibetur fruſtraneo eventu ob doſis exiguitatem, hæc autem proportio ultimo præſcripta juſtiſſima exiſtimatur, proſpere et feliciter ceſſit, propoſitis collimavit, et Methodus optima ſumendi videtur; Medicamentum eſt ineſtimabile ad Vermes ſupradictos, et ad Lumbricos cucurbitinos necandos nunquam fallit.

Stannum pulveratum, vel Limatura Stanni arcanum habetur adverſus Lumbricos Articulares, præſertim poſt uſum Mercurialium. Doſis ʒij. bis in die cum Syrupo ex Saccharo inter purificandum defluente: vel doſis ʒſs. in Bolum format. cum Conſerva Abſinth. Maritimi, ſeu Conſ. Flavedinis Aurantiorum hiſpalenſium.

Styrax. p. 25.

Styrax Calamita eſt Cephalica, Nervina, Pectoralis, medetur Catarrhis, Raucedini, &c. incraſſat et obtundit Rheumata acria, curatque Tuſſes inde ortas, adhibetur in morbis uterinis,

uterinis, et externe in ſuffumigiis; Menſes et Urinam ciet, ac odore ſuo Cerebrum confortat. Exhibetur in forma Apozematis, coquendo in Vaſe clauſo cum Cardiacis et Alexipharmacis, in declinatione Febris ardentis; Stomachum calfacit et roborat, ſpiritus reficit, et perſpirationem adauget. Styrax ingreditur Confectionem Damocratis, vel Mithridatium; Confectionem Paulinam, Pilulas e Styrace, et Theriacam Andromachi.

Succi Scorbutici. *p.* 30.

Succus acidus Aurantiorum Hiſpalenſium eximium eſt ſubſidium Cochleariæ hortenſi, aliiſque antiſcorbuticis acribus, quæ hoc modo mixta comperta ſunt effecta fæliciora producere quam per ſe exhibita. Succi hi ſumi poſſint ab ℥i. ij. vel iij. ad q. Stomachus ferre queat, bis terve de die, generatim urinæ ſecretionem promovent, et nonnunquam habitum laxum introducunt. Indigenæ Groenlandiæ experientia ſolum edocti, utuntur Cochlearia et Acetoſa promiſcue ad curam hujus morbi, Cochl. unicum horum commiſceatur hauſtui unicuique cereviſiæ; vel Succorum ℥iv. ſumantur bis in die; gratiſſimi ſunt Saporis, atque in lagenis vitreis diu ſervari poſſint, vel doſis eorum cochl. ij. vel iv. ad ℥viij. in die, vel ℥iv. mane, et ℥iv. quarta pomeridiana. Seu doſis ſit ℔ſs. quo-

vis

vis mane per v. vel vi. hebdomadas. Sumantur in omni hauſtu Cerviſiæ, vel cum Vino albo, &c. Scorbuto, et omnibus inde oriundis Symptomatibus tam curandis quam præcavendis ſummopere conducunt: in Ulceribus cacoetheis a ſcorbuto productis etiam externa lotio prodeſt, præſertim ſi Decocto vel Fomento proprio addantur. Siccant, calfaciunt, attenuant, aperiunt; Sale volatili abundant, unde Salinos, fixos, crudos humores concoquunt, et volatiles reddunt; concretiones ſalinas diſſolvunt; fæculentias pituitoſas eluunt, Sanguinis miſtionem reſtituunt; ejus coagulationes et obſtructiones diſſipant, per ſudorem aut urinam expellunt, ejuſque circuitum per vaſa corporis minima liberiorem reddunt: temperamento frigidiori præditis maxime commodi ſunt. Calculum, Sabulum Renum et Veſicæ inſigniter expellunt; Menſes cient, obſtructionem Lienis et Hepatis reſerant: uſus vulgaris in Torminibus ventris, Lumbricis, Coliciſque, a flatu ſubortis. R. H.

Succini Præparatio. p. 23.

Olim Abſorbens habebatur, atque ut tale locum obtinuit ſub Pulvere e Chelis Cancrorum compoſito veteris Pharmacopœiæ; proculdubio nullo induitur Titulo ad hanc Medica-

dicamentorum claſſem, utpote non agitur per ullum acidum, et iners eſt Terra: Exiſtimatur emolumenti eſſe in fluore albo, Gonorrhœis, Affectibus Hyſtericis, Hæmoptyſi, Dyſenteriis, Hæmorrhoidum, et Menſium fluxu immoderato, &c. atque in his intentionibus nonnunquam adhibetur in forma Pulveris impalpabilis, ad quantitatem ℈i. ex Vitello Ovi ſorbilis, &c.

Sulphur Antimonii præcipitatum. p. 62.

Olim vocabatur Sulphur antimonii auratum, ob aureum, rubrum, vel flavum colorem. Hoc Præparatum non eſt ſtricte Sulphur, continet enim in ſe aliquantulum Metalli Antimonii ab eo reducibile per proprios fluxus; jejuno Stomacho ſumptum ad gr. iv. v. vel vi. emeticum evadit in praxi autem præſenti rariſſime vel nunquam præſcribitur in hac intentione; adhibetur primarie ut alterativum deobſtruens, ſpeciatim in morbis cutaneis; Emetica hujus qualitas facile obtunditur formando in Pilulas cum Reſinis vel Extractis, eaſque dando Stomacho plane ſaturato; cum his cautelis increverunt ad rationem gr. xvi. de die, et aliquandiu continuantur ſine ulla incitatione moleſta ſurſum vel deorſum; uti vis hujus præcaria eſt, primo exhiberi oportet in doſibus valde exiguis, et

et gradatim augeri pro ipſarum effectis: Cum Cremore Tartari purgat per ſeceſſum.

Nonnulli hoc deprædicant ob febriles qualitates, præſertim ſi commiſceatur ſudoriferis ad Febres propriis. A Glaubero vocatur Panacea Aurea. Optima methodus ſumendi eſt, E. G. ℞. Sulph. Antimon. præcipitat. Merc. dulc. ſexies ſublimat. ana. p. æ. ſimul triturando in Pilulas formentur cum Extractis, &c. Sumi queant a gr. iv. ad viij. vel x. mane et veſperi, unicuique doſi ſuperbibendo Decoctum lignorum, ſimiliumve liquorum. Medicamentum hocce potens et tutum Alterativum eſt compertum in morbis cutaneis; generatim promovet Perſpirationem, rariſſime vomitum vel purgationem, vel ullo modo os afficit. Curam Morbi venerei complevit, Salivatione incaſſum tentata. Vid. Tentamina Medica Edinburgi, Vol. I. et Acta naturalia curioſa, Vol. V.

Sulphur Antimonii præcipitatum a Sulphure vulgari differt, quoniam aliquas ſemper Partes Regulinas retinet, itaque ſpecifice gravius eſt. Pulvis hic genus Panaceæ vel Remedii univerſalis eſſe videtur: aliquando Vomitum excitat, præcipue cum acidis in Stomacho occurrat: interdum Catharticum, Diaphoreticum, et Sudoriferum evadit, prout a Conſtitutione Patientis determinetur, in quemvis humorem plus quam in alterum. Conceditur a gr. i. ad iv. et quando viſciditates fluidorum attenuare et dividere ſolum in-

tenditur, datur a gr. ½ tertiis, quartis, vel ſextis horis repetendo; in doſibus exiguis proſpero eventu conceditur in Febribus acutis, ubi magna cruditas et ſpiſſitudo humorum adſit: crudas ſeroſaſque evacuationes per Sedem in magis bilioſam conſiſtentiam immutat, Bilem viſcidam attenuando, et alvi ſubductione exitum ejus diſponendo; proſpere adhibetur ſæpe in initio variolarum et Morbillorum, cum mali generis eſſe apprehendantur, in parvis doſibus miſcendis cum Alexipharmacis vel deobſtruentibus pulveribus, quales ſunt Oculi Cancrorum, Margaritæ, Ovorum Teſtæ, Cancrorum Chelæ, ſimileſque; taliter enim excitatur Screatus, et Diaphoreſis, Anxietates amoventur, Lympha corrigitur, ſerum coagulatur, taliſque effervefcentia in Sanguine promovetur, quæ ad ejus purificationem tendit. Glauber has virtutes confirmat ab exemplo ſeptem Varioloſorum Infantium. Fredericus Hoffman hujus pulveris uſum in obſtinatis Autumnalibus intermittentibus, atque in Chronicis morbis commendat, quoniam potenter obſtructiones Viſcerum, præſertim Hepatis aperit, unde Febres hæ producuntur, potiſſimum quando ſumitur gr. i. pro doſi, commiſtum Salibus detergentibus febrifugis, qualia ſunt Sal Abſinthii, Tartarum Vitriolatum, ſimiliaque. Schroder præſcribit gr. ½ vel gr. i. ter quaterve in die, in Febribus Puerorum intermittentibus, deprædicatque admodum in acrimonia corrigenda,

da, præſertim Lachrymarum, quæ dolores inferunt Oculis, et Ophthalmiam inducunt. Idem Author mulierem commemorat Scorbuticis Symptomatibus laborantem, et defluxionibus generis adeo acris, ut Pulmones corroderentur ejus, et Hæmoptyſin attulerunt, quæ uſu Sulphuris Antimonii præcipitati in doſibus valde exiguis, acrimoniam correxit, Seri motionem vehementem acrem ſedavit, et morbi incrementum prævenit, qui alias exitialis fuerit. Hoffman inſuper ait, quod Medicamentum efficax eſt in Hydrope, ſi miſceatur cum Ferri Limaturis (vel Chalybis rubigine, vel Chalybe cum Sulphure pp. et Nitro.) Ita Sulphuris Antimonii præcipitati, gr. ii. immiſta cum Ferri Limaturæ, gr. x. commodiſſime dari poſſint Puellis Cachecticis repetendo doſin bis in die; in Epilepſia cum Cinnabare. Etiamque ſæpiſſime dedit in Pleuritide et Peripneumonia ad gr. iij. vel iv. ex Cyatho Vini Hiſpanici fortis, ex Decocto Cardui Benedicti, ex Infuſo Papaveris erratici, ex Succo Taraxaci, vel Boraginis. Junkerus obſervat quod Sulphur Antimonii præcipitatum in multis ægris cum Tartaro Vitriolato (ſale digeſtivo) in momento ſuſpendit effectus Catarrhi ſuffocativi, ciendo vomitum aliquando levem, interdum ſudorem, et nonnunquam ſine evacuatione aliqua ſenſibili.

Sulphur Antimonii præcipitatum per ſe detur, vel cum Saccharo, diluaturque cum Vi-

no, vel Aqua, vel alio quovis liquore. Vid. p. 29. hujus Scholii.

Obſervandum, quod Sulphur Antimonii præcipitatum dari non debet antequam Plethora imminuatur (Veſicæ ſi aliud inſtituatur) et omnia fluida diluantur et attenuentur; ab ejus uſu enim Sanguis rarus fit, et quodammodo efferveſcit; ſi vaſa antea ſaturentur, hinc adhuc magis diſtendentur, aucto æſtu et motione Sanguinis aliorumque fluidorum; Nocivæ congeſtiones in Viſceribus reperientur. Datur etiam in forma Boli cum Oleo Amygdalarum dulcium, et Conſerva Cynoſbati fructus, vel Lujulæ. Geoffroy, p. 196, 197, 198, 199, 200.

Sulphur Antimonii auratum, vel Sulphur Antimonii præcipitatum in nonnullis vomitum ante ſudorem, in aliis ſedem poſt ſudorem movet: mire conducit Febribus, tertianis et quartanis hora una ante Paroxyſmum; Peſti, Variolis, &c. modo ſtatim a concepto contagio, bis terve repetendo, ſæpe prævenit, vel fælicius erumpere facit. Lui Venereæ proficuum eſt; Doſis gr. v. ad xv. Pharm. Hermetic. Batean. per Fuller. p. 65. Vomitivum eſt, in minima autem Doſi etiam ſudoriferum. Doſ. a gr. i. ad viij. Le Mort. Chem. Medicophyſic. p. 222. vel doſ. a gr. iij. ad xij. in Juſculo vel Pilulis, leniter vomitum ciet, Aſthmati conducit, aliiſque Morbis Emeticum exigentibus. Lemery Chem. p. 179. 180.

Febribus

Febribus intermittentibus, morbiſque ſpaſmodicis quam maxime opitulatur. Doſis a gr. v. ad ℈i. Operationes potiſſimum ſuas per Diaphoreſin aut inſenſibilem tranſpirationem, ſed vomitum per-raro exercet, ſi recte ſaltem præparatum fuerit.

N. Scoriæ Aeri expoſitæ in liquorem diffluunt, Scabiei, ulceribus inveteratis egregie medentem, quibus viribus et pollet decoctio eorundem in Aqua facta, ſic etiam vapores hujus Decocti per inferiora in Uterum ſuſcepti, potenter Menſes movent, reſerantque quaſvis Matricis obſtructiones. Barchuſen. Pyroſoph. p. 225.

Medicamentum eſt in Peſte aliiſque Morbis malignis, ad Sudorem propellendum efficax doſ. ℈ſs. ad ℈i. in vehiculo propinando. Solutio Scoriarum, antequam acido præcipitatur, Remedium eſt optimum in ulceribus exedentibus magnis Tibiarum et Pedum ſanandis, ſi ſingulis diebus, una hora vel altera pedes et crura exulcerata illi immergantur: Mirum eſt quam viſcoſam materiam, veluti gluten, extrahat, ut etiam ligneo, vel ferreo inſtrumento illud detergere, vel abradere neceſſum ſit: quod multoties effectu ipſo, ac felici ſucceſſu, comprobavi. In Menſtruis retentis, ex ſolutione hac lateribus calefactis aſperſa, fumus ab infra ſuſceptus præſens fert auxilium, potentius vero agitur, ſi illa uteri vaginæ injiciatur Syringe cum mag-

na aquæ quantitate. Zwelferus Pharm. Regia, p. 518.

Scoriæ Sulphuris Antimonii aurati, vel Croci, vel Reguli, collectæ, in pulverem redactæ, et aeri expoſitæ, decurrent in Oleum aureum, lixivium, vel liquorem, cujus vis in Chirurgicis ſummopere eſt abſtergens et depurans, ſed igneum aliquo modo; eſtque oleum aureum Baſilii Valentini. In hac præparatione Tartarum et nitrum accenſa alkaleſcunt in igne, et Sulphur Antimonii diſſolvunt decoctum in Aqua; Alkali huic miſcellæ inſtillatum acidum abſorbet, et Sulphur præcipitat, quod in omni ſale compoſito indiſſolubile eſt. Sal hic omni Sulphure orbus, eſt Tartarus regeneratus Sennerti. Sulphur Antimonii auratum Emeticum eſt æque ac Regulus Antimonii, in minori autem gradu, unde patet vim vomitivam Antimonii in Sulphure hoſpitari, æque ac metallica ejus parte, datum ad gr. iij. vel iv. Emeticum eſt leniſſimum ex Antimonio paratum, Catharticum, Diureticum, vel Sudoriferum, prout vis ejus determinetur ab aliis Medicamentis. Boerh. Chem. M. S. p. 189.

Sulphuris hujus Vis medica eadem eſt cum Sulphure vulgari, aliter licet ſentientibus principibus in Chemia viris; nam omni ratione reperitur idem in natura et effectu, exhibetque verum inflammabile, omni experimento genuinum Sulphur, niſi quod aliqua pars metallica, ſemper ei adhærens ab Antimonio, Vomitivum

mitivum reddat hoc Sulphur. Et quicquid de Sulphure Antimonii ſibi pollicentur multi, cum ratione non convenit tanta expectatio, cum Sulphur ubique idem ſit. Boerh. Chem. M. S. p. 185, 186. et Chem. impreſſ.

Sulphur Præcipitatum. p. 54.

Olim Lac Sulphuris vocabatur. Hæc præparatio veram Sulphuris naturam immutat, uſque adeo nullius prorſus ſit effectus, ex multo inferior Floribus Sulphuris, parumque abeſt quin in totum e Medicina relegetur, pleriſque enim habetur pro calce inutili, quorum opinionem haud impugno; Doſis a ℈ſs. ad ℈i.

Syrupus ex Allio. p. 98.

Medicamentum eſt valde ingratum, nihilominus pro re nata adhibetur ad phlegma viſcidum attenuandum et expectorandum in Aſthmate humido, Thoracis oppreſſione, difficultate reſpirandi, Tuſſi, Colica flatulenta, Calculo, et Arthritide, in quibus caſibus eximiæ efficaciæ expertum eſt; aperit enim, incidit, detergit, diſcutit, et potens eſt in hiſce conditionibus ſupra memoratis; Diureticum, Antihydropicum, et Anthelminticum eſt. Concedatur ad Cochleare i. pro doſi

doſi ſub lecti ingreſſum, unde perſpiratio augetur.

Allii Vires ex Fulleri Pharmac. Extemp. aliiſque. Materiem craſſam Bronchiorum tubis, quinimo et Tracheæ veſiculis ultimis impactam potenter incidit; illamque, dein fibras motrices pungendo, Tuſſimque provocando, fortiter exterminat. Allium enim particulis acribus volatilibus, tam mire penetrantibus, omnia pervadentibus, et ſtimulantibus donatur, ut ejus odorem (inquit Bennet) exhalando Fonticulos pervadere; et eorum labra incidendo vellicare comperiamus; ex obſervatione Loweri, ſi Emplaſtra ex Allio contuſo plantis pedum applicentur, Oris halitus Allium ſpirabit. Sydenhamus nos certiores fecit, inter omnia Pharmaca, quæ occaſionem præbent derivandi vel revellendi e Capite, nullum potentius operari quam Allium ſoleis Pedum applicatum: Hinc in Variolis confluentibus in uſum duxit circiter octavum diem poſtquam facies tumeſcit.

Radix ipſa tenuiter inciſa, et linteolo colligata, plantis pedum applicetur, et ſemel de die renovetur, uſquedum omni periculo expers ſit æger.

Allium Calorem auget, appetitum excitat, Stomachicum, Diaphoreticum, et Alexipharmacum eſt; unde tempore Peſtis Allii Nucleus quovis mane jejuno Stomacho devorabatur, et certiſſimum hujus morbi remedium ab Hungaricis habebatur, ut Bockellius affirmat.

affirmat. Urinam promovet; clavis appoſitum illos deſtruit; carpis applicatum febres intermittentes curat, et Brachii flexuræ odontalgiam; ſi in Manu teneatur, ſingultum ſiſtit. Utuntur Navigatores ad ſcorbutum frigidum, Doſis eſt ab uno, ad duos, tres, vel quatuor allii Nucleos, et numerus maximus datur in Hydrope; In Mortario cum Oleo cibario, vel Olivarum contuſum ad conſiſtentiam Unguenti, et Tumoribus frigidis applicatum, potenter illos reſolvit, atque ſi puerorum Umbilici hoc inungantur, vermes interimit. Hoc Remedium vero minime convenit, ubi datur Catarrhus tenuis, acris, Sputum cruentum, Conſtitutio calida, Sanguinis aut præcordiorum æſtuatio: vel Hæmorrhoidibus Sanguinem fundentibus obnoxiis, ut Hungarici a nimis libero uſu Allii ſunt.

Syrupus ex Althæa. p. 98.

Lenit Dolores Stranguriæ, et Nephritidis a Calculo Renibus, vel Ureteribus impacto, Meatus aperit, emollit, et lubricat; relaxat Fibras a calore exſiccatas, nimis tenſas et rigidas pro actione naturali, ejus mucilagine oleoſa et Salina Ammoniaca qualitate, ut ex analyſi chemica patet; conſtat enim ex lenibus, mollibus, mucoſis particulis; ideo humorum acredinem obtundit, ſerum nimis tenue incraſſat, urinæ ardorem mitigat, diureſin ciet, et

et Gonorrhœæ medetur; uſus eſt ad edulcoranda Decocta, vel Inſuſa emollientia, ea præſertim ad Sabulum vel Calculum. Medicamentum multo melius eſſet in forma Decocti, vel Apozematis, in Aq. Hord. a pint. i. ad iv. indies pro re nata ſumendum.

Syrupus ex Aurantiorum corticibus. p. 99.

Carminativus, Alexipharmacus, et Diaphoreticus eſt; flavorem dat gratum Infuſis et Tincturis.

Syrupus Balſamicus. p. 99.

Pulmonum et Veſicæ ulceribus ſuccurrit, Sanguinem tenuem, acrem lenit et incraſſat; Catarrhos a defluxionibus titillantibus curat, imbecillitates ſeminales et Gonorrhœas inveteratas Sexuum amborum ſanat. Pectoralis, Aſthmaticus, Phthiſicus, Bechicus eſt; et Phthiſicis utiliter propinatur; Ichoris enim acredinem corrigit; Bronchiorum infarctus expedit; Tubercula cruda diſſipat; et Vaſorum rupturas reſarcit, valet ad Pulmonum excoriationes ſanandas; ad mictum ſanguineum, et affectus Nephriticos. Doſis ℥ſs. vel ultra bis vel ter in die in Vehiculo a delicatulis ſumenda. Balſamum de Tolu hunc Syrupum ingreditur.

Syrupus

Syrupus Caryophyllorum rubrorum. p. 99.

Raro uſurpatur niſi in Julepis Cephalicis, Cardiaciſque, et tantum æſtimatur pro colore, et flavore ejus. Syrupus Caryophyllorum, Cydoniorum, et Papaveris erratici, ſunt tres Syrupi rubri.

Syrupus Chalybeatus.

In hujus defectu, Syrupus cum Vino Chalybeat. et Sacchar. q. ſ. parari poſſit, qui vires habet Vini Chalybeati. Doſis Syrupi a ʒi. ad ℥ſs. bis terve de die repetenda.

Syrupus Croci. p. 100.

Medicamentum eſt pergratum, et maxime Cardiacum in Materie medica, atque frequentius præſcribitur quam Vinum Croceum, quod continet Croci gr. vij. ſs. in Vini ʒij. et ſecundum hanc proportionem doſis Syrupi ſit a ʒij. ad iij. vel ultra, amœnum dat colorem Julepis; atque iiſdem propoſitis inſervit, quibus ipſe Crocus; cujus doſis in ſubſtantia tuto exhiberi poſſit Infanti 6 Ann. gr. i. Adoleſcenti 16 Ann. gr. v. Juveni 30 Ann. ℈ſs. uſui ejus aſſuetis; caute autem et cum prudentia ad-

adhibeatur uſui ejus inaſſuetis; vel pulveriſetur Crocus et in ſubſtantia detur a gr. v. ad vi. et ultra in forma Boli, vel Electarii.

Sale volatili ejus obſtructiones aperit, digerit, emollit; qualitate ejus aromatica calefacit, ſtimulat, reſolvit, diſcutit et roborat; Anodynus et Paregoricus eſt, dolores et ſpaſmos mitigat, ſomnum conciliat, Menſes movet, fœtum pellit, hyſtericis ſuccurrit ac parturientibus, et Lochia movet; uſus ejus frequens eſt in Syncope, Apoplexia, et Ictero, inquit Schrod.

Alexipharmacus, Diaphoreticus eſt; præſcribitur in Febribus ad perſpirationem augendam, et ſudorem excitandum, rariſſimeque omittitur in extemporaneis præſcriptis in quavis febrium ſpecie; itidem Variolarum et Morbillorum eruptionem mire juvat; quinimo pleriſque morbis Pulmonum et Thoracis conducit, expectorationem et reſpirationem promovet, unde vocatur anima Pulmonum. Boutius ait, quod nullum efficacius medicamentum reperitur in Dyſenteria, licet obſtinatiſſimi et virulentiſſimi generis, quam Extractum Croci.

Borelli in obſervat. Medico. chem. memorat quandam curatam fuiſſe a Melancholia, et fletu perpetuo, Crocum geſtando Cordis ſcorbiculo applicatum. Infuſum vel Decoctum Croci in Vaſe clauſo Urinæ quantitatem auget, et tingit colore intenſe flavo in horæ quadrante. Crocus et Rhabarbarum ſunt

ſunt ſpecifica diuretica, urinam dant flammeam, qualitatem ejus mutant, etiamque colorem, odorem, et ſaporem, ut Boerh. in Lib. de Poteſtatibus Medicamentorum inquit.

Crocus in Lacte coctus cum Floribus Sambuci, Chamæmeli, et fruſtis Panis candidi, dolores arthriticos mire allevat in forma Cataplaſmatis: Remedium idem ſucceſſu adhibetur Hæmorrhoidibus cæcis, dolorem mitigat. Crocus cum Aq. Roſar. et paucillo Camphoræ Oculorum inflammationes curat in Variolis, et Morbillis.

Crocus graveolens et valde narcoticus eſt, ſi prope corpus diu geſtetur; odore halituque ejus cerebro nocet et mortem accerſit, cujus Exemplum mirabile apud Petrum Borellum Obſ. 35. Cent. iv. p. 303.

Crocus in larga quantitate diu exhibitus induxit Cephalalgias, Convulſiones, Speciem ebrietatis, Deliria, Riſum ſardonicum, aliaque accidentia funeſta, ſi non cito medentur. Diemerbroeck in Tractatu de Peſte ait, quod Crocus in Peſte dari non debet, quia caput afficit, et quando diu exhibetur in ampla quantitate, ſoporem et delirium inducit, quæ ambo ſymptomata plurimum timentur in morbis Peſtilentialibus.

Crocus ingreditur Confectionem Cardiacam, Elixir Aloes, Mithridatium, Pil. Rufi. Pil. e Styrace, Sy. Croci, Theriacam Andromachi, Tincturam Rhabarbari ſpirituoſam,

ſam, Tincturam Rhabarbari vinoſam, Vinum Aloeticum Alkalinum, et Vinum Croceum.

Syrupus e Cydoniorum Succo.

Syrupus eſt jucundus, apte Medicamenta aſtringentia edulcorat, aliorumque ſlavorem incongruum minuit. Refrigerat, Stomachum roborat, nauſeam, vomitum, et ſingultum repellit; Aſtringentis eſt Saporis, fluxus bilioſos Alvi ſiſtit, vomitum et ſingultum reprimit; pituitam glutinoſam incidit, nunc Tuſſi ex Pulmonibus educit, nunc vomitu e Ventriculo expellit. Succus Cydoniorum recens Vomitorium eſt præſentiſſimum ad Coch. i. veruntamen vomitum ſiſtit a laxitate fibrarum Stomachi. Doſ. Syrupi Infantibus cochl. ſs. at adultoribus a ℥ſs. ad ℥iſs.

Syrupus Diacodii ſive Meconii, vel Papaveris albi. p 101.

Diacodium, vel Diacude, juxta Serapionem, ſignificat aliquod Compoſitum, cujus Baſis eſt Papaver album. Duo ejus in Officinis habebant genera; unum liquidum, alterum ſolidum. Liquidum nihil aliud eſt, quam Syrupus aliquis Papaveris albi, cujus conficiendi modus convenit cum Syrupis. Hujus Diacodii liquidi varia inveniuntur genera

nera, quæ inter tamen præ cæteris eminet Diaco-dium Montani, alias Syrupus de Siliquis dictus, hic adhuc reſtat: reliqua liquida Diacodia hodie obſoleſcunt. Siccum, vel Diacodium ſolidum nullo in uſu reſtat. Diacodium, *διακώδιον*, eſt Syrupus Papaveris albi, a *διά* et *κωδία*, Botanice ſignificans cacuminulum, ſummitatem vel Caput cujuſvis plantæ, præeminentiæ autem modo, ſpeciatim Papaveris albi, Seminibus exemptis. Hinc Diacodium, ſignificat Medicamentum, cujus Baſis Papaver album; et nil aliud eſt quam Syrupus aliquis ſummitatum Papaveris albi.

Meconium, *μηκώνιον*, a *μηκων*, Papaver, proprie Succus condenſatus Papaveris albi, Opiumve. Pharm. p. 101.

Syrupus Diacodii, ſive Meconii, vel Papaveris albi; Vires habet Opii, aſt in minori gradu. Anodynus eſt, dolorem ſedans, et ſomnum inducens. Thoraci et Pectori conducit, uſus eſt in omni Catarrho, raucedine, tuſſi et Pulmonum morbis, præſertim ſi propter tuſſim dormire nequeant. Diarrhœam vel fluxum alvi ſiſtit. Infantibus utilis eſt, nam aliquo modo ſomnum procurat, et expectorat, illiſque datur a ʒi. ad ij. vel iij. ad ſummum. Adultis, Potionibus additur a ℥ſs. ad ℥i. vel ℥iſs. ad acres humores obtundendos, dolorem mitigandum, et ſomnum procurandum.

Syrupus e Limonum Succo. p. 100.

Cardiacus eſt, refrigerat, ſitim et inflammationem levat in febribus, aliiſque morbis calidis, et affectibus bilioſis. Hujus Syrupi Doſis a ℥ſs. ad ℥i. vel ultra.

Succus Limonum vomitum ſupprimit, Renum obſtructiones amovet, efficax eſt in ſolvendo calculo, et Meatibus Urinariis detergendis. Syrupi, Conſervæ, Rob, acidæ proſapiæ, ut Berberium, Citri, &c. cum cruſtaceis, Lapidibuſque permixta, junctim effervescunt, ac hæc ex parte ſolvunt; quin et alio, ſubamaro nempe, potiuntur ſapore. Barchuſen. Synopſ. Pharmac. p. 23.

De Succo Limonum (inquit Riverius) hoc notandum eſt, cautum eſſe debere illius uſum, quia, frequentius aut nimia copia exhibitus, Aphthas facit in Ventriculo et excoriationes, unde Lienteria ſuccedit, quod multo magis de acidis Mineralibus dicendum eſt. Idem corrodit et immutat colorem Vaſorum ex plumbo argentario concinnatorum, quod Acetum non efficere poteſt. Plumbum in lamellas et raſuras convertitur, et ſolvitur ope Succi Limonum, vel Aceti, vel Spiritus Nitri duodecupla Aquæ quantitate diluti ad ipſum ſpiritum. Chalybs perfecte ſolvitur a Succo Limonum, vel Malorum Citriorum. Acida nativa mitia leniaque, ut Succus Limonum, et Acetum,

Acetum, penitius ſolvunt Ferrum, plumbum et cuprum, quam Sp. acidi fortes, ob Sulphur et Oleum in talibus metallis contentum, quod facillime aperitur ab hujuſmodi Menſtruis imbecillibus. Vid. Boer. Chem. impreſſ. per Shaw Theor. paſſim. p. 349. 355. 361. &c.

Syrupus e Mororum Succo. p. 101.

Hic, et Syrupus e Rubi Idæi ſucco, grate auſteri habentur Syrupi in Hauſtibus et Julepis ad ſitim extinguendam, ardorem minuendum, &c. in Bilioſis et inflammatoriis morbis, et nonnunquam in gargariſmis, ad Oris, Gutturis, faucium, tonſillarum inflammationes, ulceraque ob aſperitatem deterſivam. Si ex fructu immaturo paretur, refrigerat, aſtringit, et appetitum excitat Infantum. Uſus præcipui in fluxibus omnimodis, ut Dyſenteria, Diarrhœa, Menſium profluvio, Hæmoptyſi; ſin ex fructu maturo conficiatur, aliquatenus relaxat. Datur per ſe in Linctibus a ℥ſs. ad ℥ij. ſenſim deglutiendo.

Syrupus Papaveris Erratici, vel Papaveris Rhœados. p. 101.

Uſus eſt præcipui in Febribus, Angina, Pleuritide cui ſpecifice prodeſt. Papaverina

quævis habentur anodyna, paregorica, hypnotica, Bechica, dolorem mitigantia; læviſſimum vero et debiliſſimum eſt opiatum emolliens, adeo ut nonnulli de anodyna ejus qualitate dubitarunt. Infantibus tuto concedatur a ʒij. ad ℥ſs. et Adultis ab ℥i. ad ℥ij. Somnum mediocriter conciliat, dolorem ſedat, Diaphoreſin promovet, detergit et expectorat, in multis Pulmonum morbis, Pectoris et Thoracis valet, etiam Tuſſibus, Hæmoptyſi, &c. in Nephritide, a calculo Renibus, Ureteribuſve impacto; Antiphlogiſticus, emolliens et leniens eſt. Datur in Febribus ardentibus, in deſtillationibus verſus aſperam Arteriam, in Ventriculi et inteſtinorum inflammationibus. Jucundi coloris et ſaporis, grate edulcorat Julepa Alexipharmaca tam ſapori quam oculo.

Syrupus Papaveris Erratici, Alkali volatili aut fixo mixtus, obſcuro-cæruleum acquirit colorem, itidem cum Lapidibus, Cruſtaceis, &c. Barchuſen Synop. Pharm. p. 23.

Syrupus e Paralyſis Floribus. p. 100.

Hujus Vires ut Syrupi Papaveris Erratici, in minori autem gradu. Apte edulcorat Julepa pro Infantulis in dentitione, in Convulſionibus, &c. Utilis ſupponitur Nervorum morbis, licet impræſentiarum opinantur nullas poſſidere ſingulares Virtutes.

Syrupus Pectoralis. p. 102.

Olim Syrupus Capillorum Veneris. Medicamentum multo melius eſſet in forma decocti, vel Apozematis ad pint. ij. vel iv. de die. Vitiis Pulmonum et Thoracis auxiliatur, Urinæ ſtillicidio ſubvenit. In Nephritide, a calculo Renibus, ureteribuſve impacto, orta, Antiphlogiſticus, emolliens, leniens, et relaxans; Pleuritidi prodeſt et deſtillationibus in Aſperam Arteriam, Tuſſim titillantem inducentibus; et Phlegmatis viſcidi mucilaginoſi tenacis expectorationem promovet; viſcera deobſtruit, et adhibetur pro Linctu ſimpliciter, vel cum aliis mixtus, in Raucedine cum Oleo Amygdalarum dulcium. Admiſcetur potionibus Pectoralibus ad ℥i. vel ℥ij.

Syrupus Roſarum ſolutivus. p. 102.

Jucundum et mite purgatorium eſt pro Infantibus ad Cochl. ſs. vel Cochl. i. Laxativum etiam mite pro Adultis, et emolumenti eſt in Alvis adſtrictis; Leniter refrigerat, Cardiacus et Thoracicus eſt: aperit, emollit, detergit, acidum temperat, pituitam expellit, bilioſos humores, fervorem eorundem mitigat, Melancholicos leviter et blande purgat, et vermibus reſiſtit. Eccoproticus eſt, leniens,

 lubricans,

lubricans, laxans; concinnum eſt purgans pro pueris, debilibuſque et ſæpe additur Catharticis decoctis, et infuſis. Doſis a ʒi. ad ℥iſs. et ultra ad ℥ij. iij. iv. Uſus ejus præcipuus in Clyſteribus ſolutivis.

Flores Roſarum Damaſcenarum probe ſiccati, ſunt tutum et mite purgans pro Infantibus, ad ʒi. vel ʒij. in Infuſo.

Succus Roſarum ab Alkali fixo vertitur in viridem colorem.

Syrupus e Rubi Idæi Succo. p. 101.

Vide Syrupum e Mororum Succo. Schol. p. 467. Hic Syrupus cum Aqua dilutus ad libitum bibatur in æſtu febrili, ad ſitim extinguendam; Cardiacus eſt grati odoris et Saporis, Stomachum roborat, vomitum ſiſtit, et aliquantum reſtringit; inſuper uſus eſt in Vomitu a fibrarum Stomachi relaxatione. Detur per ſe in Linctu a ℥ſs. ad ℥ij. et in Gargariſmis.

Syrupus Scilliticus. p. 102.

Attenuans eſt, Diureticus, craſſos humores et Phlegma viſcidum incidens, et expectorans. Acetum autem Scilliticum, et Oxymel Scilliticum magis incidunt; at ultimi loco ſubſtituitur Syrupus Scilliticus, ubi Mel

ingratum

ingratum et incongruum eſt aliquibus conſtitutionibus: Syrupi Doſis eſt Coch. i. vel ij. Vid. Schol. p. 23.

Radix Scillæ pulveriſatæ nunc dierum datur proſpero eventu in morbis Pectoris a craſſo phlegmate oriundis, in Cachexia, Oedemate, Hydrope, Ictero, Quartanis, Glandulis induratis, aliiſque morbis chronicis a gr. iv. ad gr. xij. in Aſthmate curando, vel a gr. iv. ad x. cum dupla quantitate Nitri, in Hydropicis tumoribus, atque Nephritide, et hoc modo ſumpta operatur fere ſemper per Diureſin, licet nonnunquam vomit et purgat. Tentam. Medica. Edinburg. Vol. II. p. 467.

Forma commodiſſima exhibendi Scillam exſiccatam (niſi ad Emeticum) eſt Boli vel Pilularum. In exſiccatione Scillarum amittitur ponderis ejus $\frac{4}{5}$ et partes exhalantes mere videntur eſſe aquææ: hinc radicis ſiccatæ gr. vi. æquivalent ʒſs. recentis, circumſtantia hæc ſpeciatim conſideranda in hujus exhibitione.

Syrupus Simplex. p. 103.

Syrupus Simplex, vel albus phlegma incidit, acrimoniam ſeri obtundit, expectorationem promovet, et ſanguinem animat. Siquando Spiritum C. C. aut Sp. Salis Ammoniaci alicui Julepo immiſcendum præſcriberem, cum Syrupus Caryophyllorum turpi-

ter nigrum, violarum viridem, Paralyſis fuſcum, totum liquorem redderet, Hic e contra Syrupus nullum colorem ingratum induceret, aut Medicamenti faciem immutaret. Ideo ingrediatur Electarium e Cortice, Emulſionem Balſamicam, Miſturam Juniperi, Maſſam Pilularum, et ſexcenta alia ejuſmodi, ubi nil de Syrupo volui, præter conſiſtentiam, aut edulcorationem.

Syrupus e Spina Cervina. p. 103.

Cochl. iij. vel iv. agiliter operantur ut Catharticum, educendo profuſe humores ſeroſos e facilius purgandis. Incommodum præcipuum huic aſtipulatur; i. e. Sitim et Siccitatem Oris et Faucium inducit, et interdum Tormina violenta; quæ amoveri queant libere ebibendo Jus avenaceum, aliave liquida calida, durante hujus operatione. Hydropicis difficilius purgandis, in majori quantitate conceditur proſpero eventu, affatim aquarum educit, Catharticum eſt celerius, et multi æſtimatur, ſpeciatim in Aquis hydropicorum exantlandis, crebroque additur decoctis, et infuſis laxantibus, ad accelerandam et promovendam eorum operationem. Doſis Infanti 6 Ann. ʒij. Adoleſcenti 16 Ann. ℥i. Juveni 30 Ann. ℥iij. vel Doſis vulgo ab ℥i. ad ℥ij.

Syrupus Violarum. p. 104.

Saporis eſt grati; Eccoproticum, laxans, leniens, et lubricans habetur medicamentum pro Infantibus, ſed non frequenter præſcribitur; Pituitam glutinoſam incidit evacuatque, nunc tuſſi e Pulmonibus educit, nunc vomitu e ventriculo, nunc dejectione alvi; refrigerat, humectat, emollit, humorum acrimoniam temperat, Bilem compeſcit, Thoraci et Cordi convenit. Uſus eſt præcipue in fervore febrium, doloreque capitis inde nato, in tuſſi, aſperitate gutturis, et pleuritide. Doſis Infanti 6 Ann. a Cochl. i. vel ij. Juveni 16 Ann. ab ℥i. ad ℥ij. Adulto ab ℥iij. vel iv. ſervando, elegantem cæruleum colorem amittit.

Quoad Vires; dicitur, Syrupum hunc refrigerare; ſed qui flores iſtos manducat, advertet ſatis levem quandam acrimoniam, quæ ſane frigiditatis effectus non eſt. Sum in ea opinione, flores hoſce tenues quaſdam habere particulas acres, ad Salem Ammoniacum accedentes; ideoque non malum eſſe Syrupum adverſus ſiccitatem Linguæ et Aphthas; tenuitas enim illa eſt penetrans, viſcidos humores incidens, et diſſolvens. Convenit febribus, ſi Julepis immiſceatur.

Regula generalis, unde acida ab alkalibus diſtingui poſſint, per mutationem coloris producti in Syrupo Violarum cæruleo, quod argumentum

gumentum omnium videtur eſſe firmiſſimum cognoſcendi præſentiam vel abſentiam acidi ſeu alkali. Omnia nempe acida quæ infinita ſunt, ut Spiritus Aceti, Spiritus Nitri, Spiritus Vitrioli fortis, &c. explorata cum Infuſione Roſarum, Violarum, ſimiliumve, faciunt colorem rubrum. Neque Lacte aceſcente Fructuumque ſuccis acidis exceptis.

Omnia Alkalia quæ duo ſunt tantum. 1. fixa nempe, ut Lixivium vel Oleum Tartari, Sal Tartari, Sal Abſinthii. 2. vel Volatilia ut Sp. C. C. vel Sal C. C. eaſdem Tincturas rubras convertunt in colorem Vireſcentem. Boerh. Chem. M. S. p. 203.

Si Syrupo Violarum infundatur parum Sp. Nitri, oritur amœnus ille color ruber; huic colori rubro affunde alkali volatile uti Sp. C. C. vel Salem C. C. et omni parte qua illud attingit, vireſcit, huic viridi affunde Sp. Vitrioli fortis, redit color ruber; huic Rubro affunde Alkali fixum, ut Lixivium Tartari vel Ol. Tartari, vel Salem Tartari, Salemve Abſinthii, et quam diu acidum prædominat, manet rubra Tinctura, ubi vero Alkali prædominatur, vireſcit; adjiciendo dein Sp. Aceti, et Ruber redit color, qui iterum, per nova affuſa alkalia, viridis fit. Sic porro in infinitum poteſt hoc contingere per purum acidum et purum alkali.

Si Syrupus Violarum ſumatur et diluatur cum Aquæ multo, tumque imbuatur Charta, et

et exponatur Vapori acido, ruber fiet, ſi vapori alkalino, vireſcit. Boer.

Syrupus Violarum acido quodam mixtus purpurat. Si Alkali fixo, aut Volatili vireſcit; ſi Oculis Cancrorum, Coralliis, &c. liveſcit. Barchuſen Synop. Pharmac. p. 23.

Syrupus Zingiberis. p. 104.

Jucundus et moderate Aromaticus eſt Syrupus, leviter impregnatur Sapore et Virtute Zingiberis, quod aperit, incidit, attenuat, Stomachum roborat, flatus diſcutit in Colicis a frigiditate, appetitum excitat in laxitate et debilitate inteſtinorum. Confert Ventriculo, Thoraci, Pulmonibus pituita et ſero obſeſſis, putredini humorum reſiſtit, Sanguinem animat, Scorbuto conducit; et Cathartica quædam corrigit. Doſis a Cochl. i. ad ij. vel ultra.

Tabellæ Cardialgicæ. p. 117.

Compoſitum hoc calculatur adverſus ſenſationem illam moleſtam, quæ improprie vocatur Cordis ardor, vel dolor Stomachi corroſivus, cui ſæpe præſens eſt Remedium, abſorbendo et neutraliſando ſuccos acidos, qui hunc morbum inducunt. Pulveres abſorbentes in hiſce ſunt generis potentiſſimi. Doſis ʒi. vel ʒij.

ʒij. et ultra; teneantur in Ore, uſquedum ſolvantur, tum ſenſim deglutiantur; vel pulverizentur et ſumantur in hauſtu Aq. frigidæ largo, frequenter; valent contra Cordis palpitationem, rugitum, Nauſeam, Vomitum, Diarrhœam; corrigunt, infringunt et edulcorant Acidum.

N. Teſtaceorum, Cruſtaceorum, Concharum, Cretaceorum, Lapidum, et Terrarum pp. vel horum pulvis non debet cum Vehiculo acido uſurpari.

Ubicunque datur Acidum in Ventriculo, et Inteſtinis, hujuſmodi abſorbentia, et Concentrantia locum habent: Utrum vero illud unquam deprehendatur extra primas vias, necne, nondum ſatis compertum habeo. Obſervabile quidem eſt Juſcula carnea, ſi diu ſint (ad corruptionem) aſſervata, aceſcere; exindeque probabile forſan ducatur argumentum, ſuccos in corporis receſſibus occluſos et corruptos aciditatem contrahere: Hoc vero ſi conceſſerim, nullatenus tamen ſequitur, Edulcorantia terrea talibus ſuccis, tam longe diſſitis, corrigendis, edulcorandis, abſorbendiſque paria eſſe; quippe quorum vis omnino in primis viis abſumi ſolet: adeoque in Sanguinis maſſam, et corporis habitum pervenire nequit. Si experientiam conſulamus, certiſſimum eſt, Infantes acido nocivo in viſceribus abundare ſolere; magnamque partem morborum eos affligentium ab hoc fonte eſſe deducendam; eorumque curationem

tionem conſequenter a Teſtaceis, et Cretaceis omnino eſſe petendam; atque tam peculiaria huic ætati hæcce eſſe medicamenta, ut raro Pueris conſulto, et ſufficienti quantitate exhibita novi, quin laudabilis exinde effectus ſequeretur. E contra vero æque raro adultis utiliter data memini. Ratum ergo habeo, Teſtacea Pueris, et primis viis; minime autem adultis, Sanguini et Succis appropriata eſſe remedia. Fuller. Pharmac. Extemp. p. 249.

Tartari Cryſtalli. p. 79.

Profunt Colicæ, et omnibus morbis ubi bilis et humores alii in Inteſtinis, a febribus aliiſve cauſis, putreſcunt; mutant enim eorum alkalinas qualitates in Salem neutralem; craſſos viſcidos humores aperiunt, incidunt et leniter purgant; emolumenti ſunt in Viſcerum obſtructionibus, paſſione hypochondriaca, Cachexia et Hydrope. Bilis calorem et acrimoniam, ſitim mitigant, in febribus ardentibus, et appetitum proſtratum reſtituunt. Cum ſumantur ut aperiens, Doſis eſt a ʒſs. ad ʒi. atque ut purgans a ℥ſs. ad ℥i. Vid. hujus Schol. p. 120.

Tartarum Emeticum. p. 63.

Titulus exprimit principalem hujus medicamenti operationem. Vomitorium eſt commodum in Apoplexia, lentorem attenuans in Febribus intermittentibus; in Febribus a copia Ciborum, lene; in Hydrope, Tertianis, Quartanis, Scorbuto, Ictero, Melancholia, morbo Hypochondriaco, Scotomia, Vertigine, &c. cum conſerva, Gelatina quavis vel liquore proprio quovis Antimoniale Emeticum eſt optimum, et potentius agit quam quantitas Croci Antimonii in ipſo contenta per ſe ageret, licet conſtitutionem non tantopere turbet. Et revera Antimoniata generatim, quando hoc modo ſolubilia reddantur per acida vegetabilia, ut per cryſtallos Tartari, effecta eorum tutiora et certiora ſunt, quam violenta pp. hujus mineralis exhibita per ſe; priora nunquam variant in ipſorum actione a differentia edulii ſumpti, durante eorum uſu, vel ſimilibus aliis circumſtantiis, quæ occaſionem dant plus vel minus aliorum diſſolvendorum; quæ operari coguntur diſparibus Virium gradibus. Ita Antimonium crudum, ubi victus acidus libere ſumatur, violens Emeticum evaſit; dum in aliis circumſtantiis, nullum tale effectum edidit. Tartari Emetici rite præparati Doſ. Infanti 6 Ann. gr. ſs. Adoleſcenti 16 Ann. gr. ij. Juveni 30 Ann. gr. iv.

iv. vel Doſis Tartari Emetici, quando deſignatur effecta plana producere Emetici eſt a gr. iv. ad vi. vel viij. Commode etiam dari poteſt in minoribus doſibus, E. g. Gr. ſs. ut Diaphoreticum et alterativum in Morbis cutaneis ; et gr. i. addatur Catharticis Vegetabilibus, ut ſtimulus.

Hoc longe optimum et tutiſſimum eſt Emeticum ex Antimonio paratum. Doſis a gr. ij. ad vi. Augeri vel diminui queat in gradu quovis requiſito pro patientis robore, vel morbi natura. Si a doſi quavis Præparationum Antimonialium, vel nimis violenti, vel diutine Vomitus continui accidant, bibat æger Cyathum Aq. vel Ptiſanæ acidulatæ cum paucis guttis Spiritus Sulphuris per Campanam, vel Spiritus Vitrioli tenuis, unde Antimonii Emetica qualitas cito cohibetur, et vomitus tutius ſiſtatur, quam cum Opio. Ut Geoff. aít. p. 194.

Tartarum Solubile. p. 41.

Alias Sal vegetabile, Tartarum Tartariſatum, vel Samech Paracelſi; Vèrbum eſt ab eo uſitatum, quo denotatur Tartarum, vel Sal Tartari. Prompte ſolvitur in quovis liquore etiam in Aq. frigida, vel Aere quod Tartaro crudo omnino non contingit in Aq. frigida, verum Aquæ ebullientis portione larga ſolvitur. Hoc jamdudum æſtimabatur ut Medica-

dicamentum, et Menſtruum; valde utile eſt aperiens, ſuccos viſcidos attenuans, ſecretionem urinariam promovens, et leniter alvum ducens; Additamentum proficuum eſt Reſinaceis Purgativis, quippe eorum adhæſionem minuit, actionem promovet, et tormina prævenit uno eodemque momento, ob quam rationem frequenter additur Potionibus Catharticis, ſtimuli loco. Emolumenti eſt in Morbis cachecticis et Viſcerum obſtructionibus; Stomachi cruditates, Bilem viſcidam, arenulas et Sabulum ſolvit, vel expellit; ſuccurrit Ictero, morbis Splenis et Hypochondriorum, ſi crebro adhibeatur. Eximium eſt in omnibus ulceroſis conditionibus, cum fœda purulenta ſanioſa materie concomitatis. Externe detergit ulcera ſordida, et ad ſananda diſponit. Doſis Infanti 6 Ann. gr. v. Adoleſcenti 16 Ann. gr. xij. Juveni 30 Ann. ʒſs. vel doſis a gr. x. ad ℈i. ʒi. vel ʒij. ultrave.

Hujus penetrantiores ſunt vires, et operationes ſuas citius quam Cremor Tartari perficit. Hoc et Sal Diureticus attenuant et ſolvunt ſanguinem in corpore; tuto et commode ſumi poſſint ad ſuccos coagulatos, quos ſimul eliquant, et adaugent Sanguinis colorem floridum, eum reddendo magis fluidum, et ſalubrem. Habetur pro inſigni diuretico ac lithontriptico medicamento; purgantibus additum egregie eorundem promovet operationem, ut citra torminum concitationem munere ſuo fungantur. Doſis a ℈ſs. ad ʒi.

Barchuſen

Barchuſen Pyroſophia. p. 333. 334. Si ſumatur pro cathartico, doſis ejus gradatim augeri poteſt indies, donec plenum effectum ediderit; ejus uſus non inducit alvum adſtrictum, ut cætera purgantia; quare prodeſt alvis jugiter nimis conſtrictis.

Ex hoc fit Aqua valde ſalutaris in Ictero inveterato, Hydrope, Nephritide, Calculo, Arthritide, &c.

℞. Tartari ſolubilis ʒvi. ſolve in Aq. ℔iſs. viciſſim bibantur ℥iv. vel v. ex Cyatho, mane, jejuno Stomacho, ſingulis horæ quadrantibus, vel ſemihoris; poſtea deambulando purgabit Patientem nec illum caleſaciet. Lem. chem. p. 410. Vid. Tentamina Medica Edinb. p. 448. Vol. II. et 167. Vol. I.

Hoc menſtruum incomparabile eſt, ſi in Aqua ſolutum adhibeatur, uſui ſolvendorum vegetabilium valde tenacium vel glutinoſorum, alias difficillime diſſolubilium, quibus ſeſe prompte et intime adjungit admiſcetque. In hac ſolutione ſalina decoquendo Gummi Laccam, Myrrham, et ſimilia, penitus fere diſſolventur. In tota Chemia non datur melius menſtruum hoc ipſo. Hinc ſi velimus Tincturas ex ſubjectis non ſolubilibus niſi per alkali fixum (quod deſtruit et adurit quodammodo objectum deſideratum digeſtum) V. g. Succino, Myrrha, Gummi Lacca, &c. cum hoc Tartaro ſolubili ſolventur fere integre in Sp. Vin. digerendo, cum effectu egre-

gio corporis ſoluti. Chem. M. S. Boer. p. 26. 29. et Chem. impreſſ. paſſim.

Res enim Oleoſis Reſinoſiſque partibus abundantes, ſi cum hoc digerantur, meliorem poſtea ineunt unionem cum Sp. Vin. cujuſmodi Tincturæ, Eſſentiæ, &c. non vehiculum aquoſum deinde turbant, ſed citra perturbationem queant cum eo permiſceri. Barchuſen. Synop. Pharm. p. 27. 28.

Hoc etiam dentifricium bonum eſt, et dentes nigros non carie exeſos cito albificat, ſi non juſto acrius ſit. Vid. Tentam. Medic. Edinburg. p. 448. Vol. II. et p. 165, 166. Vol. I.

Tartarum Vitriolatum. p. 47.

Omne Sal compoſitum ex acido et alkali vocatur Sal Neutrale, quale eſt Nitrum Vitriolatum, Tartarum ſolubile, et Tartarum vitriolatum, quod habet attenuantem, incidentem, reſolventem, et detergentem qualitatem in viſcidis ſuccis, et ſecretionibus fluidis promovendis. In doſi moderata operatur per urinam, in majori per ſedem. Emolumenti eſt in Stomachi cruditatibus, Febribus intermittentibus, Colicis flatulentis et pituitoſis, Obſtructionibus Glandularum meſentericarum, infarctionibus Hepatis et Splenis; etiamque in calculo, ſabulo, arenulis, omnibus frigidis, catarrhoſis et ſeroſis morbis generatim; Hyſtericis

ſtericis et Hypochondriacis conducit, nec deſpicabile eſt in ipſis morbis arthriticis. In Ictero, Hydrope, et Febribus frequenter exhibetur, demptis malignis præſertim cum Diarrhœa ſociatis. Doſis vulgaris eſt a ℈ſs. ℈i. ad ʒſs. Geoffroy autem ait in eadem doſi ac Tartarum ſolubile, i. e. ſecundum ipſum a ℈i. ad ʒij. atque ſi intentio purgandi ſit, ad ʒvi. vel ℥i. in Juſculo, vel quovis decocto aperiente. Hoc a multis præfertur illi cum Oleo Vitrioli, et Oleo Tartari, parato.

Digeſtivum eſt optimum, quo nomine intelligo tale Remedii genus, quod primas vias depurando tollit impedimenta integræ concoctionis læſæ in Officinis primis, potenter diſſolvendo materiem craſſam, inertem, &c. Non autem univerſale, quale nonnulli volunt, multo minus panacea habetur, quoquomodo confectum fuerit; veruntamen ejus uſus eſt multiplex. Harum Cryſtallorum, blanda, mitis, innocua, et ſalina compoſita eſt Natura Neutralis, i. e. nec Alkalina, nec acida; ponderoſior eſt hic Sal Sale Nitro, nec acrimoniam Salis Marini excedens, cujus ponderi majori debentur Virtutes Medicinales, efficacius operatur cæteris Salibus, quando Sanguini et Succis commiſceatur; mire detergit vaſa corporis, depurat, emundat, deobſtruit, et exonerat primas vias. Ad hæc propoſita ſumatur a gr. xv. ad xxx. et ultra ad ℈ij. vel ʒi. ex Juſculo vel ſimilibus liquidis, ut Boerhaave inquit Chem. M. S. p. 142. et

paſſim in Chem. impreſſ. Menſes et urinas movet, Stomachicum eſt, reſolvit obſtructiones Meſenterii, lienis et ſimilium: Stimuli loco purgantibus permiſcetur, potenter attenuat, incidit craſſos pituitoſos et viſcoſos humores. Omnia fere famoſa Lithontriptica recipiunt Tartarum vitriolatum. Cum Jalap. fæliciter purgat Hydropicos, ut refert Le Mort. in Collectan. Chem. Leydens, p. 198, 199.

Jejuno Stomacho ſumptum, Juſculo vel Sero Lactis ſolutum, ſi corporis exercitatione promoveatur, attenuat, putredini reſiſtit, et ſtimulando viſcera obſtructa, leniter aperit. Egregie purgat Stomachum et Inteſtina, reſolvit viſcidas et tenaces eorum concretiones, et morbis quamplurimis inde natales ducentibus ſuccurrit, ad ℥i. vel ultra: ſi in minori doſi ſumatur, ut ad gr. x. vel xij. repetenda iutervallis debitis, plurimi valet in Rheumatiſmis, morbis inflammatoriis, Febribus, morbis omnibus glutinoſis Sanguinis; In morbis acutis multo melius ſudorem ciet quam Alexipharmaca, abſque caloris concitatione: Hujus loco frequenter ſubſtituitur reſiduum Sp. Nitri Glauberi, vel Nitrum vitriolatum ad grave ægrotorum detrimentum. Laxans Diureticum eſt, et generaliter exhibetur ut alterativum cum aliis deobſtruentibus, ſpeciatim prodeſt Ictero, exceſſum Bilis et ejus acrimoniam temperat. Dentifricium

cium eſt bonum, et Dentes nigros non carie exeſos cito albificat inſtar Eboris.

In Vermibus prodeſt quamplurimum. Browne's Le Clerc. p. 404. Quartanis, et Scrophuloſis conditionibus conceditur. Wilſon Chem. p. 262.

Terreorum Præparatio. p. 22.

Terrarum, Chelarum cancrorum, Concharum et Lapidum Præparatio, vel Pulvis non debet Vehiculo acido uſurpari. Terræ omnigenæ abſorbent et aſtringunt. Vid. hujus Schol. p. 476. Terrea cum Opiatis mixta adhibentur in Hæmorrhagiis narium, fluxu Menſium nimio, et Lochiorum.

Vim habent exiccandi, ſudorem movendi, abſtergendi, &c. Hinc uſus earum internus præcipue in Febribus, quibus ſudore interveniente medentur; abſorbent et ejuſdem Naturæ ſunt ac Medicamenta alia Teſtacea. Doſis a ʒſs. ad ʒi. Teſtarum Oſtreorum gr. x. deſtruunt aciditatem Spiritus Salis gutt. 120.

Teſtæ Ovorum Præparatæ. p. 23.

Vim habent Lithontripticam, mucilaginemque incidendi. Teſtarum Ovorum gr. x. deſtruunt aciditatem Spiritus Salis gutt. L.

Infuſi amari ſimplicis ſpecies, cum Lixivio e Teſtis Oſtreorum parato incoctæ, amaritudinem deponunt, et ſubdulceſcunt, unde patet hujuſmodi Teſtacea, Terreaque Bilem poſſe temperare, Inteſtina parum confortare, roborare, et moderate conſtringere, eorum dolorem, nixuſque ſpaſmodicos conſopire, humorum vaporumque acrium radios ad corporis extrema, et foras per diaphoreſin, vel urinam amandare, atque ita ad Diarrhœam ſymptomaticam, Hypercatharſinque medicandam, Remedium eſſe omnibus numeris inſtructum Bolum, Terram Japonicam, &c. Teſtacea cujuſvis generis, perinde enim erit, ei effecta eadem: ſubtiliſſime levigentur, alias parum proſunt. Vid. Pulv. e Bol. Comp. cum vel ſine Opio. Schol. p. 334. 335. et Tinct. Japon. p. 499.

Theriaca Andromachi. p. 128.

Theriaca Andromachi ſenioris, quæ nuperis annis vocabatur Theriaca Venet. Theriaca denominatur θηριακη, απὸ τῶν θηρίων, a venenatis beſtiis, quod earum veneno adverſetur, vel ex earum carnibus conficiatur, ſeu θηρ Fera et ακεομαι, ſano, quoniam applicatur earum morſibus, quos ſanat. Paratur ex Viperis exſiccatis, &c. cognomen recepit Andromachi inventoris et authoris hujus Confectionis, et Neronis Imperatoris Protomedici. Nunc non tam frequenter præſcribi ſolet

ac

ac olim: Vires ejus non conſiſtunt in operoſis compoſitionibus, vires enim eædem in perpaucis habentur. Conficitur cum Melle. Doſis eſt ʒi. ℈ſs. et gr. v. vel gr. LXXV. quæ continent Opii gr. i. Doſis ejus a ℈i. ad ʒij. pro viribus et circumſtantiis ægroti. Mithridatium præſtat Theriacæ Andromachi. Opiata accidenter promovent intentiones Alexipharmacorum, procurando placidam relaxationem, a nimis autem opiatorum quantitate inducitur Stupor, ſecretio diminuitur, et loco ſudoris, ſtagnatio fluidorum oritur. Alexipharmacum et Cephalicum eſt Medicamentum, ſudorem movet, præſertim in morbis frigidis: Antidotus eſt, venenis reſiſtit, et acres humores temperat. Recens Diarrhœæ prodeſt; Odontalgiæ cum lancinationibus repetenti, regioni dolenti applicata, Corio Emplaſtri forma illita, dolores admodum mitigat, flatuſque expellit. Calfacit Viſcera, dolores Ventris tam per Os quam per podicem ſiſtit. Externe diſcutit; in recens natis datur tantum cum granis: Hypercatharſin, vomitum et ſingultum tollit. Confectio hæc jamdudum obſolevit. Practici loco Theriacæ introduxerunt impræſentiarum Bolos extemporaneos ex Serpentaria virginiana, camphora, contrayerva, et ſimilibus, quæ omnibus hujus propoſitis conveniunt, cum hoc emolumento, adhibeantur cum vel ſine Opio, quod ingrediens reddat alia nociva in conditionibus iis, ubi alias propria ſint.

Tinctura Amara. p. 86.

Tinctura Amara Spirituoſa eſt valde elegans Anticolica, Anthelminthica; Stomachum roborat, appetitum excitat, digeſtionem adjuvat, et Scorbuto prodeſt. Doſis a cochl. ſs. ad Cochl. i. in hauſtu Vini vel Cereviſiæ. Hæc Tinctura Virtutis eſt ſimilaris cum Infuſo amaro ſimplici. Vel propinetur cum Vino amaro in hunc modum.

℞. Infuſ. amar. ſimpl. Vin. amar. ana ℔ſs. vel,

℞. Infuſ. amar. ſimpl. ℥xij. Vin. Amar. ℥iv. m. ſumantur Cochl. vi. vel vij. bis in die ante paſtum, in Stomachi debilitate, cruditatibus, aut ejus dolore.

Tinctura Antimonii. p. 86.

In hoc proceſſu Sal Alkalinus unitur cum Sulphure Antimonii in Hepar; Exiſtimatur nonnullas Reguli Antimonii particulas continere, et fertur interdum vomitum provocaſſe, cum jejuno Stomacho ſumatur, etiam in doſi exigua; ſudorifera eſt, nonnunquam parum purgans; Hypochondriacis, Melancholicis, Hyſtericis paſſionibus, Leucophlegmaticis, Hydropicis, Chloroſi, Scorbuto, et pruritui ſuccurrit. Commendatur in doſibus a gutt.

x,

x. xx. l. ad gutt. lx. vel ultra, bis de die ut deobſtruens, Menſes promovens, urinam ciens, Sanguinem depurans, et acida abſorbens.

Tinctura Antimonii hæc per ſe non ſumi debet, cum Aqua autem admiſceri oportet, ne excoriet partes per quas commeatur. Si æger debilis ſit, et ſucci acidi, miſceatur cum vino molli, Canarino, vel Hydromelle, et repetatur ter quaterve de die; vel exhibeatur cum Melle, ſeu Syrupo quovis aperiente, non adeo acido, ut cum eo fermentet et ebulliat. Repetatur identidem ad ʒi. vel ʒij. modo ferre queat calorem ejus ſummum. Mire ſuſcitat Sanguinem vapidum, mucum ſolvit vaſa obturantem, datque calorem et vigorem toti corpori.

℞. Tinct. Antimon. hujus Alkalin. ℥i. Rob. Sambuc. vel ſimilis ℥ij. Aq. Junip. C. vel Aq. Raph. Com. ſimiliſve ℥v. vel vi. mixtura fiat de qua capiatur Cochl. i. ſingulis horis. Summopere hoc Medicamentum laudant nonnulli in morbis chronicis, eoque ſolo Hydropicos plurimos, et ſimiles morbos frigidos, Cachecticos, virgineos ſe curaſſe tradiderunt.

Hæc Tinctura Virtutes poſſidet complicatas. Vires obtinet Tincturæ Antimonii a corpuſculis Mineræ Antimonii ſolubilibus in Sp. V. R. huic Tincturæ innatantibus, unde aliquoties Vomitum ciet; Vires Sulphuris, a Sulphure Antimonii, quod verum eſt Sulphur vulgare,

vulgare, ſi integre liberetur ab Antimonio; et poſtremo Vires Tartari, a Sale Alkalino Tartari in præparatione Tincturæ Antimonii uſurpato, a quo Sale Alkalino fixo aperitur et ſolvitur Sulphur Antimonii Nativum, et hinc Tinctura Antimonii obtinet Vires multiplices.

Tinctura Aromatica. p. 86.

Paratur ad Elixir Vitrioli dulce conficiendum. Tinctura eſt Cardiaca et Cephalica, valde calida, ideo non danda ſine dilutione. Doſis eſt a gutt XXX. ad L. vel LX. ſeu Cochl. minim. i, vel ij. ſumantur in Vino vel quovis vehiculo convenienti in languoribus, Stomachi ægritudine, debilitate, flatulentiis, nauſea, vomitu, lipothymia, vertigine, apoplexia, colica a Nervorum imbecillitate, Epilepſia, et Senio confractis: in Morbis frigidis Thoracis, et Uteri, fibras viſcerum relaxatas roborat, oſcillationem excitat in iis, Spiritus exhilarat, et Sanguinis motum accelerat. Nimius Aromatum uſus nocet, ergo caute exhiberi debet. Tinctura Stomachica ſimilis huic in intentione, minus autem calida, et per ſe exhiberi queat in majori doſi. Vid. Species Aromatic. Schol. p. 408.

Tinctura Cantharidum. p. 87.

Interne ſumitur ut ſtimulans Diureticum Medicamentum, Renes, Veſicam, et Meatus urinarios detergens; datur adverſus Lepram, Rheumatiſmum, Arthritidem, arenulas, ſabulum, Gonorrhœam virulentam, Fluorem album Muliebrem, impotentiam veneream, Ulcera Veſicæ: plurimi valet in frigidis, pituitoſis, phlegmaticis, viſcidis, torpidis habitibus, Urinæ obſtinata ſuppreſſione, Hydrope, Membris paralyticis, et calvitie; ſuccurrit conditionibus languidis, Febribus lentis, Lethargo, et corpulentis, in quibus caſibus generatim ſpiritus excitat, circulationem accelerat, et Pulſum auget. Doſis vulgaris eſt gutt. xv. vel xx. ſemel biſve de die in Vino Canarino, aliove Vehiculo, vel adhibeatur Jure vitulino pingui, Decocto Radicum emollientium, ut Altheæ, Malvæ, Aſparagi, &c. Siquando Stranguriam induceret, Nitri ℈ſs. eam amovebit, doſin repetendo ſexta quaque hora ſi opus fuerit: Nitrum enim cum Lacte tepido, Emulſionibus, liquoribus oleoſis, unctuoſis, et mucilaginoſis in magna copia hauſtis eximia et optima ſunt correctoria; Itidem Nitrum datur hor. i. vel ij. ante uſum Tincturæ Cantharidum in Ulceribus Veſicæ.

Tinctura

Tinctura Cardamomi. p. 87.

Aliquandiu uſurpata fuit, et nunc demum in Pharmacopœiam admittitur; Jucunda eſt calida, Cardiaca, Stomachica, Carminativa, Cephalica, Uterina Tinctura, digeſtionem adjuvat, vertigini et Spiritui tetro ſuccurrit, urinam et menſes promovet, confert viſcerum obſtructionibus, et venereum appetitum excitat. Doſis ʒi. vel ij. ad ℥ſs. ſeu Cochl. i. vel ij. in vehiculo idoneo. Semen Cardamomi potum ex Aq. facit ad comitiales, Iſchiadicos, Tuſſes, Nervorum reſolutionem; item ad Rupta, vulſa, Tormina; latas ventris tineas excutit; ex Vino autem potum Renibus, difficultati Urinæ auxilio eſt; cum Cortice radicis Lauri ʒi. epota calculos comminuit, partus ſuffitu enecat.: Scabiem ex Aceto illita adimit. Dioſcor. per Ruellium. p. 10.

Semina Cardamomi uſurpantur in Aq. Sem. Cardam. Confec. Cardiac.; Mithridat., et Theriac. Andromac.; Extract. Cathart.; Infuſ. amar. purg.; Infuſ. Senæ com.; Tinct. Amara; Tinct. Cardam.; Tinct. Rhabarb. ſpirituos: et vinos: Tinct. Senæ; Tinct. Stomachica; Spec. Aromatic.

Tinctura

Tinctura Caſtorei. p. 87.

Commendatur in pleriſque Nervorum querelis, et Morbis hyſtericis; in poſtremis aliquando emolumenti eſt, licet multi conqueruntur de ejus inefficacia; ſuccurrit morbis ſoporoſis, Lethargo, Colicæ, convulſionibus, chloroſi, ſingultui, doloribus Stomachi, Cordis palpitationi, paralyſi, vertigini, Epilepſiæ, et Apoplexiæ. Doſ. a gutt. xx. xxx. XL. L. vel ultra, bis terve de die in Aq. Puleg. ſimp. vel Aq. Caſtor. ſimp. Tota ſubſtantia Caſtorei fere ſolvitur in Tinctura, et pluris valet Hyſtericis quam Sp. ipſe Caſtorei.

Tinctura Cinnamomi. p. 88.

Hæc Virtutes aſtringentes Cinnamomi æque ac Aromaticas, et Cardiacas poſſidet; et in hoc reſpectu differt ab Aquis diſtillatis hujus aromatis, vel Oleo ejus eſſentiali. Inſimul eſt calefaciens, ſiccans, attenuans, aperiens, et reſolvens; Alexipharmaca, Cephalica, Cardiaca, Stomachica, Uterina, et Hyſterica; Lipothymiæ, virium imbecillitati, Capitis, Ventriculi, et Uteri affectibus frigidioribus conducit: Spiritus refocillat et exhilarat. Maxime ſuccurrit functionibus animalibus langu-

languentibus Gravidarum; Emmenagoga eſt, et partum accelerat. Gravidis autem, quæ abhorrent a Cinnamomo, dari non debet, ſed Nux Moſchata, Caryophyllus, &c. qui ſimul jungi poſſunt in proportione laudabili, et in Tincturas parari. Franciſci De Le Boe Sylvii, Lib. III. p. 537.

Catharticorum reſinaceorum qualitates rigidas corrigit, Stomachum et Viſcera roborat a ſuperpurgatione. In Diarrhœa, et Inteſtinorum relaxationibus hæcce Tinctura prodeſt. Vis autem aſtrictoria in ſubſtantia Corticis Cinnamomi præcipue quærenda eſt, in ejus Extracto, ſeu Tinctura hic parata, quæ dari poteſt ab ℨſs. ad ℨi. per ſe, vel doſis q. ſ. ad gratiam in vehiculo convenienti ab ℨſs. ad ℨij. vel iij. dilut. cum æqua portione Aq. Roſar. edulcorat. ſaccharo, vel Confec. Alkerm. Vid. Aq. et Ol. Cinnamomi. p. 47. et 284.

Tinctura Florum Martialium. p. 90.

In hoc proceſſu Metallum ſolvitur per acidum Salis marini in Sale Ammoniaco contenti. Hæc et Tinctura Martis aperiens volatilis eximia, et valde elegans, debilior autem Tinctura Martis in Spiritu Salis. p. 501. Iiſdem viribus pollet ac Flores Martiales, tutiuſque uſurpari poteſt quam Flores Martiales

in

in Hæmorrhagiis, in quovis idoneo vehiculo.

Antiepilectica eſt, ſuccurrit Apoplexiæ, Aſthmati, Rachitidi, Hyſtericis, Menſtruis ſuperfluis, et obſtructis; in Ictero laudatur, Vermes necat, Gonorrhœæ confert; Diaphoretica et Diuretica eſt in eadem doſi data; Egregie præſtat in obſtructionibus Hepatis, et Lienis, item in Melancholia Hypochondriaca, Quartana, Cachexia, Hydrope, Morbo Virgineo et Scorbuto. Doſ. a gutt. xl. ad lx. Vid. Flores Martiales, p. 189, 190.

Tinctura Fœtida. p. 88.

Olim Tinctura Aſæ fœtidæ ſimplex: poſſidet vires Aſæ Fœtidæ ipſius, quam vide ad p. 196. Traumatica eſt, Splenetica, Hyſterica, Uterina, Emmenagoga; ſuccurrit Epilepſiæ, Apoplexiæ, Paralyſi, Podagricos dolores lenit, et Fœtum expellit. Doſis a gutt. x. ad xl. vel lx. in quovis vehiculo idoneo.

Aſa Fœtida eſt Gummi Reſina; in Morbis hyſtericis olfactu ejus, et intus ſumendo eximium habetur Remedium, bonum ſudoriferum, et Stomachum roborat. Doſis a gr. x. ad ℈ſs. vel in minori doſi reſpectu habito ad Stomachum tantum: Externe bonum eſt reſolvens, Hyſtericas paſſiones ſedat ſuo odore et halitu ſalino aduſto ingrato; efficax eſt ad Colicam flatulentam externe et interne.

Tinctura Fuliginis. p. 89.

Hæc Tinctura Aſæ Fœtidæ compoſita Vires habet Tincturæ fœtidæ, aſt potentiores; Cephalicum et Nervinum medicamentum bonum cum primis habetur, nuperque multum æſtimabatur in Convulſionum Hyſtericarum, Epilepſiarum, aliorumque morborum Nervorum curatione. Fuligo enim magnæ exiſtimatur efficaciæ in Epilepſia; et Mulieres tenuis cenſus in Germania, eventu proſpero, hac frequenter utuntur in hyſtericis paroxyſmis; Bonum habetur in morbis Capitis, Cerebri, Uteri, Doſis a gr. xij. ad ℈ij. hinc liquido conſtat, quibus propoſitis hæc Tinctura dari poteſt. In Epilepſia tres vel quatuor dies ante novilunium et plenilunium ſumenda eſt. Doſis, ut Sculzius et Noſocomii Pharmacopœia aiunt, eſt ad gutt. xxx. atqui Tincturæ ℥ſs. continet vix paulo plus, quam ingredientium ℈i. proculdubio in majori quantitate concedi queat. Aliquantulum Myrrhæ huic Tincturæ addendo, vel Tincturæ Myrrhæ, conficitur Tinctura Hyſterica Fulleri in Pharmacopœia domeſtica. Vid. Sal Fuligin. p. 376.

Tinctura Guaiacina volatilis. p. 89.

Tinctura eſt valde elegans et efficax; Spiritus Volatilis Aromaticus eximie Gummi ſolvit, et medicas ejus virtutes ſimul promovet. Calfacit, ſiccat, conducit affectibus Ventriculi frigidis, et Catarrhis Cerebri exſiccandis. Optima eſt Tinctura in Morbis viſcidis, glutinoſis, nimium autem calorem ſæpe excitat, quæ circumſtantia multis incommodis aſſociatur, hinc Decoctum vel Extractum ejus proſperius exhiberi poſſit. Antiepileptica eſt, Odontalgica, Rheumatica, Arthritica; ſuccurrit Morbis cutaneis, ulcerationibus, Gonorrhœis, detergendis; fibras, artus, et Glandulas miliares roborat; aliquando autem appetitum obtundit nimius ejus uſus. In Rheumaticis caſibus Cochleare minimum pro doſi in vehiculo quovis idoneo, bis terve de die ſumptum, egregii compertum eſt emolumenti. Vid. Balſam. Guaiacin. p. 63.

Tinctura Jalapii. p. 89.

Seroſos humores purgat, et adverſus Hydropem valet. Menſtruum hic adhibitum Gummoſæ partis tantum extrahit, quantum corrigit qualitatem torquentem, quæ Reſinam hujus concomitatur. Vires videantur ſub Ex-

 tracto

tracto Jalapii. p. 169, 170. Tinctura exhibeatur per ſe a ʒi. ad ℥ſs. Apte Decoctis et Infuſis Catharticis, ſeu hujuſmodi commiſceatur in minoribus quantitatibus, ut a ʒi. ad ʒij. ad acuendam eorum operationem, in Mixturis Tincturæ Sacræ, &c. vel conjungi queat Tincturæ Melampodii et Aquæ Junip. Comp. extemporanee, poſtulante occaſione, pro Hydragogo nobiliſſimo adhuc detecto, cum modo ſequenti aſſumatur. ℞. Tinct. Jalap. ʒiij. vel ℥ſs. Syr. Violar. vel Rhabarb. ſeu Syr. Roſ. ſolut. cum vel ſine Sena, vel Syr. de Spin. Cerv. ʒvi. vel ℥i. unde obtinetur Potio Cathartica Hydragoga in morbis eo indigentibus, quæ, non multa commotione, copioſe aquam in Hydrope collectam cito tuteque educit, raroque fallit, ſi prudenter exhibeatur proprio regimine obſervato ; unde plurimi Medici hujus ſolius uſu famam ſibi, et ægris plurimis Salutem acquiſiverunt ; nunquam enim fallit in ſeroſis, aquoſis lymphaticis Morbis, et cum emolumento dari poteſt conſtitutionibus leucophlegmaticis ; idem prædicetur de Tinctura Scammonii, quæ autem fortior et calidior eſt : idem verum eſt de omnibus Reſinoſis catharticis, uti Turbith. Hellebor. Colocynth. Hermodactyl. &c. Tincturis autem hiſce reſinoſis nihil aquæ admiſcendum, quia tunc aſſumi nequeant quin Reſina præcipitaretur, Næ et faucibus et Oeſophago adhæreret tenaciter, unde horrenda plurima ſymptomata difficillime amovenda ;

vel

vel ſumatur in Vino Hyſpanico, ne in alio præcipitetur. Tincturæ, Eſſentiæ, &c. ex Oleoſis et Reſinoſis Spiritu Vini paratæ, aquæ admixtæ præcipitantur, et aquam conturbant. Boer. Chem. M. S. p. 70, 71. et Chem. Impreſſ. paſſim. Radix Jalapii in ſubſtantia tutius meliuſque eſt purgans omnibus occaſionibus. Vid. p. 169.

Tinctura Japonica. p. 89.

Cinnamomum in hac Tinctura ipſam reddit magis efficacem in fluxibus, æque ac in morbis frigidis et virium imbecillitate, tonum Stomachi et Inteſtinorum reſtituendo ; valde elegans et magni emolumenti eſt in defluxionibus omnigenis, Catarrhis, Diarrhœis, fluore albo uterino, et hujuſmodi morbis, ubi medicamenta lenia aſtringentia indicantur. Doſ. a gutt. xx. ad LX. in Vehiculo quovis proprio; ſeu Cochl. minim. ij. iij. vel. iv. ſumantur ſubinde in Vino rubro auſtero. Succedaneum eſt Cort. Peruv. et Febres intermittentes curat.

Terra Japonica Tuſſim catarrhalem Pulmones laceſſentem ſiſtit, in qua ſpeciatim excellit ; datur Sanguinem excreantibus ex Aqua fontana: Raucedini conducit, Phlegma acre corrigit, Stomachum roborat, digeſtionem adjuvat ; Hæmoptoen, Diabetem, Diarrhœam, Cæliacam paſſionem, Lienteriam,

Dyſenteriam, Menſium muliebrium profluvia, Hæmorrhagias occludit, vaſorumque ora rupta dehiſcentia claudit et obſignat, maxime vero ſi ei juſta doſis opiati cujuſpiam aſſociata fuerit, unde magis ſtyptica evaderet: ſanat aphthas et ulcera Oris inibi appoſita, utilis eſt Anginæ, Sanguinem refrigerat, incraſſat, nauſeam arcet, appetitum excitat, vomitum reprimit, dentes vacillantes firmat, gingivas flaccidas roborat, uvulas relaxatas contrahit, et earum compagem firmiorem reddit, in Gargariſmo cum Vino rubro. Doſis a ℈ſs. ad gr. xv. vel ʒſs. decoquatur in larga Aquæ quantitate; hoc Decoctum valde conveniens eſt in omnibus morbis ſupradictis, in Tonſillarum inflammationibus et tumoribus, etiam cum alia medicamenta deficiant.

Tincturam Japonicam nullas poſſidere vires agnoſco, quin etiam Terra Japonica habet in majori gradu per ſe, eſtque Succus inſpiſſatus, vel Extractum Fructus arboris Palmæ Arceæ, Fauſel ſive Pynang in India Orientali ſuccreſcentis. Exoticæ hujus arboris Succus Saporis eſt aſtringentis auſteri, falſo Terra Japonica dictus, qui in Aqua communi facile ſolvitur, eidem incorporatur, cui Tincturam rubram impertit (ut alii non pauci Succi vegetabiles inſpiſſati, et Extracta) a qua filtrando non ſeparatur ut Terræ aſſolent, ſed filtrum una tranſit quæ uſui extemporaneo inſervit; tutior copioſiorque ebibatur quam Tinctura Japonica ſupradicta cum Spiritu Vini tenuiori

tenuiori parata abſque ullo incommodo Spiritui Vini ſuccedente.

Tinctura Martis in Spiritu Salis. p. 90.

Olim Tinctura Martis aurea, a Pharmacopœia Bateana deſumpta. Omnes Tincturæ Martis nihil aliud ſunt quam ſolutiones revera Metalli factæ per acida cum ſpiritibus vinoſis combinata. Binæ Tincturæ Martis Pharmacopœiæ hujus, a ſe invicem differunt ſolum in robore, Menſtruum acidum quippe idem eſt in omnibus. Prima eſt debilis, p. 494, 495. Poſtrema fortior. Hæc Tinctura eximia eſt ad Obſtructiones Hepatis, Splenis, Uteri, et Ductus bilarii. Menſes movet, prævalet adverſus Icterum, Cachexiam, Hydropem, Chlorcſin, Hæmorrhagias omnes, Dyſenterias, Diarrhœas a laxitate Fibrarum inteſtinalium oriundas ſiſtit, rariſſime fallit; et ſummum eſt Medicamentum ad paſſionem Hypochondriacam, Fluxum hepaticum, et ſcorbutum. Tincturæ ambæ multo præferuntur Calcibus vel Crocis Ferri, utpote non tantum celerius, quinetiam certius operantur, dum Calces et Croci tubum inteſtinalem ſæpe pervadunt incaſſum. Doſis circiter gutt. XL. bis de die, ſeu Cochl. minim. i. vel ij. dentur bis terve de die, in vehiculo quovis proprio. Si ſumatur ad guttas paucas jejuno Stomacho ex hauſtu Vini Hiſpanici, plurimum

valet in Vermibus necandis viſcerum debilium; Stomachum et fibras relaxatas roborat; vias primas emundat, Meſenterium et lienem reſerat, Putredini reſiſtit, motum Sanguinis languidum ſtimulat; aperit et aſtringit ut Boerhaave inquit. Inſuper liquoribus, vel aquis chalybeatis extempore conficiendis inſervit, inſtillando unicuique hauſtui a gutt. iij. ad xxx. Menſtruum Salis Marini reddit Tincturam hanc magis ſtypticam. Vid. Vinum Chalybeatum.

Tinctura Melampodii. p. 90.

Menſtruum Spiritus Vini tenuioris hic adhibitum totas Hellebori nigri vires extrahit, et optimum fortaſſe eſt Melampodii præparatum, cum deſignetur pro alterativo, in exiguis valde doſibus frequenter exhibendo; Tinctura eſt egregia diuretica deobſtruens. Ab experientia conſtat, hanc eſſe ſpeciatim utilem in uterinis obſtructionibus, in Sanguineis conſtitutionibus, ubi Chalybeata inefficacia ſunt. et noceant, Hyſtericas commotiones, Convulſiones et furorem uterinum in habitibus plethoricis excitando, velocitatem Sanguinis augendo, et momentum majus dando Arteris uterinis; vix unquam fallit in Menſtruis evacuationibus excitandis, et malis conſequentiis illarum ſuppreſſionem amovendis. Tanta eſt hujus Medicamenti vis, quod ubicunque a mala partium conformatione, vel ab aliis

cauſis,

cauſis, exitus expectatus non ſuccedat, ab exhibitione hujus, Sanguis, ut Dr. Mead obſervavit, adeo potenter propellitur, ut per alios meatus exitum aperiat. In Arthritide, podagra, rheumatiſmo, Convulſionibus, Chloroſi, Ictero, Hydrope, Paralyſi, et ſingulis morbis chronicis obſtinatis, ſub extracto Melampodii memoratis, detur pro doſi Tincturæ hujus Cochl. minim. i. bis de die in Aqua tepida, vel quovis alio vehiculo. Tincturæ ℥i. continet Melampodii ʒi. Si conjungatur cum Diaphoreticis multum materiæ peccantis eliquando educitur.

In Chloroſi, ſeu morbo virgineo, et Lumbricis, aliquando conjungitur cum Elixir Aloes, interdum cum æquali quantitate Elixir Vitrioli.

Ab unica exhibitione tempeſtive, et methodice adminiſtrata Quartanarii percurati ſunt. Fred. Dekk. Exercitat. Practic. p. 192.

Tincturæ hujus ʒiij. vel ℥ſs. cum Syr. de Spin. Cervin. ʒvi. vel ℥i. ut ſub Tinctur. Jalap. inſignis fit Potio Cathartica hydragoga, quæ potenter Lympham in Hydrope, vel conſtitutione frigida et Leucophlegmatica amandat, proprio regimine, et obſervationibus ibi dictis diligenter obſervatis.

Hoffman conſulit Melampodium in Hyſtericis et Hypochondriacis conditionibus, quando miſcetur cum Aſa fœtida, Sagapeno, Opopanace, et Caſtoreo.

Tinctura Myrrhæ. p. 90.

Commendatur interne pro habitu calefaciendo, Succis viſcidis attenuandis, ſolidis roborandis, obſtructionibus aperiendis, ſpeciatim vaſorum uterinorum, et putredine reſiſtenda. Boerhaave magni hanc æſtimat in omnibus languidis caſibus, a ſimplici inactivitate prodeuntibus, in fœmineis iſtis morbis, qui oriuntur ab aquea, mucoſa, inerti diatheſi humorum, et vaſorum relaxatione; ſpeciatim eximium eſt Medicamentum in fluore albo, morbis omnibus uterinis a ſimili cauſa, et proculdubio hiſce conditionibus dari poſſit eventu proſpero; licet inter noſtrates vulgo externe uſurpatur, pro ulceribus detergendis, et oſſibus carioſis exfoliandis; detergente antiſeptica virtute curat ulcera Oris, Gingivarum, Narium, et aliarum corporis partium, ſi ibidem applicetur. Interne dat vigorem iis, qui ſegnes ſunt, torpidi et triſtes; Fluxum Hæmorrhoidum promovet, puerperium expedit, Fœtum mortuum expellit, prodeſt Aſthmati, pulmonum et inteſtinorum mucilagini, Raucedini, Anginæ, Pleuritidi, Colicæ, Ictero, ét Cachexiæ. Myrrha aperit, et adſtringit, attenuat, emollit, maturat et diſcutit; emolumenti eſt in Tuſſi vetere, Orthopnœa, laterum et pectoris doloribus, alvi profluvio et Dyſenteria;

Ven-

Ventris Lumbricos et Tineas enecat, impetigineſque purgat ex Aceto. Dioſcor. per Ruell. lib. i. p. 53, 54.

Inſuper his, Vires ei ſunt Balſamicæ, vulnerariæ, et calefacientes, hinc in morbis omnibus ex lentore et languore oriundis, ubi motus ſanguinis excitandus, et viſcera roboranda, &c. ſummi eſt uſus; aperientes, exhilarantes, purgantes pariter in larga doſi ſumptæ, unde in Melancholia Hypochondriaca utilis eſt, et commodiſſime exhibeatur cum Vino Hiſpanico, vel hujuſmodi ſpirituoſo molli vehiculo, quoniam in aliis facile præcipitatur. Sudorifica eſt, aſtringit, abſtergit, conſolidat, putredinem arcet, et gangrænam præcavet. Medicamentum mirabile eſt, ubi primæ et ſecundæ viæ aperiendæ, humor corruptus aliquis detergendus, et Succi opus habent balſamo, ad præſervandos eos a putrefactione. Hinc plurimum ſuccurrit ulceribus Renum, Pulmonum, Uteri, &c. Mire efficax eſt in omnibus Mulierum morbis a cauſa aquea procedentibus; vel nimia vaſorum laxitate, uti ſpeciatim in illa exulceratione vaſorum, unde oritur Fluor albus. Valde efficax eſt in morbo venereo, egregie reſiſtendo, et detergendo putrefactionem illam, quam morbus hic inducit in fluida et ſolida, ſubvenit Tertianis, et quartanis, Hydropi, Apoplexiæ, Lethargo, Paralyſi, &c. Externe a Chirurgis multi æſtimatur, potenter detergit fiſtulas, ulcera venerea fœda, ſanioſa, ſinuoſa, Tendines

dines, Perioſteum, et oſſa carioſa exfoliat. Dentifricium eſt optimum, et nullum efficacius Medicamentum in Scorbuto cum corruptione ulceroſa gingivarum, et ſubſtantia earum exeſa: Malum hoc ſiſtit, et ab injuria ulteriori tuetur, quinetiam halitum tetrum ſublevat. Puerperium adjuvat, Menſes et Lochia provocat, Uterum detergit, et roborat. Myrrha ſumi poteſt in forma Boli, Pil. Pulv. vel Tinct. aliis formis non apte convenit. Ad ſummum, Virtutes medicinales ab omni antiquitate plurimum æſtimabantur, ſi in forma Pulveris aſſumatur; nonnulli aiunt quod a Stomacho non diſſolvitur neque digeritur, crude autem cum excrementis egeritur. At Myrrha diſſolvi poteſt in Aqua ebulliente ad $\frac{2}{3}$ et ultra. Tincturæ hujus doſis eſt a gutt. xv. ad xl. et ultra bis de die in vehiculo proprio, ſeu Vino Hiſpanico. In Tincturæ Succini defectu Tinctura Myrrhæ poteſt ſupplere ejus locum.

Tinctura Peruviani Corticis ſimplex. *p.* 88.

Febribus intermittentibus concedatur in Vino rubro a guttis xx. ad Centum cum guttis aliquot Spiritus Sulphuris, repetatur quarta quaque hora, ſæpiuſve inter Paroxyſmos. — Doſiſve ſit Cochl. larg. i. in Cyatho Vini generoſi, ſæpiuſque de die repetatur—vel dari poteſt a Cochl. minim. i. ad ℥ſs. vel ℥i. prout ad

ad propoſita diverſa quadret, toties in Vehiculo conveniente immediate poſt Paroxyſmum; abſtine autem ab ejus uſu Menſibus appropinquantibus. Vid. Schol. p. 16. Vires hujus eædem ſunt, quæ extract. Peruv. Schol. p. 171. 172. &c.

Tinctura Peruviani Corticis volatilis. p. 88.

Medicamentum hoc nonnullis conditionibus inſervit, ubi Tinctura fortior impropria ſit, ut in Spirandi difficultate, obſtructionibus, et Thoracis oppreſſionibus. Tinctura hujus generis fortior obtineri queat, per Spiritum Salis Ammoniaci dulcem. Hæc Tinctura adhibeatur, ubi magna Corticis quantitas non exigatur, ut ſub finem Curæ intermittentium, in digeſtionis debilitate, comitatæ cum frigida ſenſatione Stomachi; et nonnullis fluxibus, ſpeciatim illis ab Utero, ubi circulatio languida ſit, fibræ relaxæ, et ubi periodica recidiva levium quærelarum febrilium. In hiſce caſibus effecta ſalutaria a Tinctura in Spiritu Salis Ammoniaci dulcis ſæpe deprehenduntur data ad Cochl. minimum quinquies ſexieſve de die cum Vehiculo quovis appropriato, cum additione Aquæ alicujus ſimplicis gratæ, ad acrem pungentiam mitigandam. Doſis Sp. Salis Ammoniaci cum calce viva parati, ſecundum Wilſon et Geoffroy, eſt a gutt. vi. ad ʒi. In hac Tinctu-

ra

ra ſunt Cortic. gr. viiſs. ad Spiritus ʒi. Spiritus ipſe promovet Diaphoreſin, ſudorem et urinam, acidos ſuccos in corpore latitantes corrigit, circulationem Sanguinis juvat, Nervorum oſcillationem excitat, et obſtructiones aperit. Hinc liquet in quantum, et in quibus conditionibus vis unita Spiritus Salis Ammoniaci et Corticis Peruviani capaces ſint exercendi Virtutes ſuas.

Tinctura Rhabarbari ſpirituoſa. p. 91.

Inſtituitur potius ut Medicamentum Stomachicum, et roborans, quam ut purgans. Liquores ſpirituoſi eximie illas Rhabarbari partes extrahunt, in quibus duæ primæ qualites reſident, et additionalia ingredientia mediocriter eorum efficaciam promovent. Hoc frequenter utile eſt ad Stomachi debilitatem, indigeſtionem, inteſtinorum laxitatem, Diarrhœas, Colicas, et tormina; ad has Intentiones ſumatur cochl. i. vel ij. pro re nata repetatur. Materiem inteſtina laceſſentem evacuat; Tormina compeſcit; Flatus diſſipat; Viſcera roborat; eorum lubricitatem corrigit; Tonum ſtabilit; atque ita omnibus inſtruitur requiſitis ad Diarrhœam rite, et rationabiliter ſiſtendam, et curandam.

Rhabarbarum autem in ſubſtantia præſtantiores ederet effectus. Revera Tincturæ binæ Rhabarbari convenientiores eſſent Clyſteribus;

teribus; iiſque qui hauſtum potius quam bolum, vel pulverem eligerent; in tali autem conditione egomet anteponerem. 1. Infuſum in Aqua, et 2. in Vino quia intentioni laxativæ magis inſerviret, quam Tinctura cum Spiritu Vini tenuiori præparata, quæ magis aſtringit, et roborat quam Tinct. ſequens. Vid. Rhabarbari Vires, p. 309.

In Melancholicis et Phlegmaticis conſtitutionibus frequenter adhibetur Infuſum Rhabarbari et Gentianæ.

Rhabarbari Infuſum fiat hoc modo.

℞. Rhabarb. elect. ℥ij. iij. vel iv. in Aq. Cinnamom. ſimpl. vel Aniſ. pint. ij. Doſis cochl. v. vel vi. repetatur doſis ſecunda hor. i. vel ij. a prima doſi.

Exhibetur ſæpe gravidis, in dolore colico et torminibus, ſigna abortus habentibus, cum levamine ſubitaneo mirifico, et pluris valet hoc infuſum quam quævis Rhabarbari, Opiive Præparationes utcunque ſplendidæ. Harris Pharmacolog. Antiempiric. p. 208. 209.

Tinctura Rhabarbari vinoſa. p. 84.

Medicamentum eſt calidum, cardiacum, laxans; adhibetur præſertim in Stomachi et Viſcerum debilitate, et in Diarrhœis nonnullis; pro evacuanda materie peccante; corri-

gendo

gendo viſcerum tono, ubi corpus aperiendum et ſimul aſtringendum. Doſis a Cochl. ſs. ad Cochl. iii. iv. vel ultra, ſecundum vires ægri, et propoſita obvianda. Cum aſtrictione levi bilioſos humores evacuat, et acrimoniam eorum tollit. Uſus eſt pro Pueris, Adultis, et delicatulis, pro vermibus deſtruendis. Doſis ab ℥ſs. ad ℥i. ij. vel iij. Reſolutas inteſtinorum vires recreando; lubricitatem modice corrigendo; et materiem acrem leniter ſubducendo, alvi profluvio medetur. Hæc Tinctura plus purgat quam Tinctura Rhabarbari ſpirituoſa. p. 508. 509.

Tinctura Roſarum. p. 80.

Hæc Tinctura eſt elegantis rubri coloris, et Julepum valde gratum conficit ad omnes caſus ubi mitia refrigerantia et ſub-aſtringentia exigantur: bene adaptatur ad ſuperbibendum a Bolis vel Electariis Corticis Peruviani; cujus efficaciæ magnopere auxiliatur in febribus intermittentibus. Roſæ rubræ aſtringunt, detergunt, Stomachum roborant, Vomitus, Diarrhœas, et Hæmorrhagias profuſas ſæpe recurrentes ſiſtunt; cum acidulæ reddantur, ut in hac Tinctura, conficiunt liquorem refrigerantem, Febribus, Variolis, et morbillis commodum, qui reprimit fluxus cum Morbi tempus concedat. Malignis et Peſtilentibus Febribus etiamnum inſervit emendando Pu-

tridum

tridum Statum, porro digeſtionem adjuvat et Fluxum Menſtruum enormem reſtringit.

Hæc Tinctura aqua ſervente extrahitur; inſuper adduntur aliquot guttæ cujuſdam Olei acidi, ut Olei Vitrioli; jam nomen adeptum eſt Spiritus fortioris Vitrioli, &c. Tinctura refrigerata coletur.

N. Quippe ejuſmodi Tincturæ facile cito corrumpantur ſitumque contrahunt, debent idcirco recentes ſemper parari; loco tamen frigido, ſi iis in Vitro anguſtioris colli nonnihil olei ſuperfundatur, per aliquot hebdomadas reſervari poſſunt.

Dyſenteriam, Vomitum cruentum, picam, abortus periculum Patientibus ſuccurrit. Doſis ℥i. ij. iij. vel ℥iv. bis in die prout Patiens ferre queat. Sanguinem æſtuantem cohibet, acrem corrigit, attenuatum incraſſat: Bilem acrem temperat, ſitim explet, Ventriculum reficit, Appetitum reſtaurat, et modice aſtringit; ſed quoniam damnoſe ab imperitis, aut incognitantibus uſurpari poterit, duas hic obſervatu dignas lubens adjiciam cautiones. Primo, in Alvi fluxu ſymptomatico, ſi Febris acuta morbus ſit primarius; tutius eſt exquiſitis Alexipharmacis arduum hoc negotium aggredi, quam perperam adhibitis aſtringentibus, et opiatis, humores malignos concentrare, ſanguinis depurationem inhibere, ſpirituſque vacillantes dejicere; ſecundo, in Hæmoptoſi, poſtquam jam actu ſiſtitur Sanguinis eruptio; dum cruor grumoſus, aut Sanguis

Sanguis extravaſatus pulmonibus reſtat, peſſime audiunt aſtringentia; quatenus nempe excreationes impediunt, ſuffocationes, anhelitus interceptionem. Febres vehementiſſimas, Inflammationem partis, et ſubinde mortem accerſant. Tincturæ huic Roſarum ne immiſceatur Sal Tartari, vel quidquam naturæ alkalinæ, quoniam immutabit Tincturam in colorem viridem deformem, vel turpiter nigrum.

Flores Roſarum rubrarum commiſcentur acido, ſub finem decocti Corticis Peruviani, vel addi poteſt Tinctura Roſarum ipſi decocto Corticis Peruviani. Qui tale decoctum experiuntur, non toties Recidivam paſſi ſunt. Pulvis enim Corticis Peruviani ſtimulando, aliquoties Diarrhœam producit, Decoctum autem contractionem magis uniformem et generalem, fibris debilitatis et relaxatis concedit.

Tinctura Roſarum adhibetur ad gargariſmum auſterum et acidum; ſin gargariſma lubricans mavis, parari poteſt cum Aq. Hordeat; in qua coquuntur Ficus, Malva et ſimilia; vel ambas qualitates participat, ubi requiritur detergens; ulcera autem oris non admittunt acria, niſi in vehiculis viſcidis.

Tinctura

Tinctura Sacra. p. 84.

Olim Tinctura Hieræ, vel Tinctura Hieræ picræ. De hac Tinctura Aloetica, longa experientia conſtat eam eſſe Tincturam Stomachicam Catharticam, eximii emolumenti in habitibus languidis, phlegmaticis, non ſolum ad primas vias detergendas, quinimo ſuccos viſcidos in partibus remotioribus attenuandos et ſolvendos; ad ſolida ſtimulanda, habitum calefaciendum; purgationes uterinas, et Hæmorrhoidum fluxus promovendos, vel excitandos. Doſ. Cochl. i. ij. iij. ante paſtum, in Stomachi cruditatibus aut dolore. Doſis ut purgativum eſt ab ℥i.. ad ℥ij. vel ultra, cujus ſumat æger dimidiam ſub noctem, et reliquias mane. Si exhibeatur ad ℥iij. ſemihora, vel hora una ante paroxyſmi acceſſum, per iij. vel iv. vices efficaciſſime curat Tertianam, interdum et Quartanam; valet in cachexia, ructibus, vermibus necandis, &c. Doſis ab ℥ij. ad ℥iij. ſub lecti ingreſſum, vel ſummo mane, repetenda alternis diebus, ter quaterve, vel ſæpius, quoniam operatio ejus adeo mitis eſt ut Doſ. i. vel ij. nihil momenti efficient. Hoc Medicamentum bonum eſt Catharticum in humidis, frigidis, corpulentis conſtitutionibus, quoniam valde calfacit, et attenuat; nocet autem macilentis et hecticis, ob Aloen hujus Tincturæ baſin.

Emmenagogum eſt, et valde efficax in Scorbuto et Paralyſi; humores viſcidos detergit, et in curſibus Chalybeatis interponi debet. Ulterius in habitum corporis introduci poteſt, ita ut egregios producat effectus, faciliuſque operatur cum Menſtruo vinoſo, ut hic, quam cum Menſtruo ſpirituoſo, quo diutius rigidiuſque eſt, antequam operatur, unde tormina Ventris et Hæmorrhoides excitare ſolet. Le Mort. Collect. Chem. Leydens. p. 18.

Multo meliores effectus in obſtinatis Chronicis morbis edat, ſi in exiguis valde doſibus concedatur, propriis intervallis repetendis, ut Alterativum, quam in magna quantitate: quæ brevi per ſedem non notabiliter operabitur: tandem autem purgat, et inducit laxum habitum, multo longioris durationis, quam a quovis alio Cathartico produci queat. Hoc modo tractatum vel ſumptum, E. gr. Cochl. ſs. vel Cochl. i. ſub lecti ingreſſum efficaciſſimum eſt ad Appetitum augendum, multumque valet in Chloroſi, Cachexia, et Menſium ſuppreſſione. Præclarum enim eſt alterans et præparativum in caſibus alterativis, quoniam emundat primas vias, et Stomachum confortat ad digerenda aſſumpta, quo melius edulia in nutrimentum convertuntur idoneum.

Aloe Socotorina raro in liquida forma adhibetur, ob amaritudinem ejus ſummam; generaliter in Pilulas formatur, quarum ℈ſs.

Doſis

Doſis eſt media. Corrigatur Sale Tartari, adeo ut vim purgatricem omnino perdat. et Diureticum ſummum evadat. Vid. Extract. Aloes. Schol. p. 159. 160.

Tinctura Aloes et Myrrhæ porriguntur ad præveniendam Vulnerum Mortificationem.

Tinctura Saturnina. p. 91.

Olim vocabatur Tinctura Antiphthiſica. Hæc Tinctura interdum in uſum accerſitur, et datur a gutt. v. ad xx. vel xxx. ſemel biſve de die, pro ſecretionibus profuſis reſtringendis, ſpeciatim ſudoribus colliquativis, Febres hecticas, et Morbos phthiſicos ſtipantibus, unde nominatur Tinctura Antiphthiſica. Proculdubio Medicamentum eſt magnæ efficaciæ in hiſce caſibus, nimis autem periculoſum temere id aggredi. Omnia enim Saturni Præparata intus ſumpta juſte ſuſpiciuntur. Hæc Tinctura calculatur adverſus morbos Pulmonum, Febres Hecticas, Febres ephemeras, Hæmoptoſin, &c. Vereor autem ne Vitriolum Martis non integre Saturni effectus pernicioſos præveniet; ſæpe enim tormina acciet horrenda, aſtrictionem alvi obſtinatam, urinæ ſuppreſſionem, artuum tremorem, unde multi queritantur de pondere ejus in Stomacho, appetitus diminutione, impotentia; et cum interne adhibeatur tormina inducit impendio immodica, debilitatem, Syncopen, &c.

quæ omnia effectus ſunt Saturni intus aſſumpti.

Nihilominus a nonnullis interne datur, et laudatur. Venerem ſeu Veſtalem ignem extinguit, quare laſcivis luxurioſiſque caſtitatis conſervandæ ergo porrigitur: Remedium eſt internum Priapiſmi, Furoris uterini, Satyriaſis, et datur a gutt. v. ad ʒſs. diluta cum aqua appropriata, vel Aq. Roſarum, Plantaginis, Flor. Sambuc. Aſtringit, Sanguinem coagulat et incraſſat; depurat, exiccat, et ulcera conglutinat; anodyna et ſarcotica eſt. Præmiſſis præmittendis, Diarrhœæ peſſimo ſymptomati auxiliatur, Gonorrhææ ſimplici, et Fluori albo. Stypticum eſt neceſſarium, inſtanter conſtringit ora vaſorum Sanguinem fundentium in omni corporis parte, Vaſis diſſectis vel ruptis applicando Plumaceola, vel Splenia in ea intincta: in Narium hæmorrhagia, Turundis ingeſtis applicatur cavo narium. Externus potiſſimum hujus uſus ad plurima vulnera, ulceraque inveterata, per acidi inverſionem curanda. Opitulatur Ophthalmiæ, oculis rubris inflammatis Rheumaticis, lippitudini oculorum, ulceribus ſordidis, membris ambuſtis, imo ſingulis prope cutis vitiis, et fœditatibus. In affectibus Oculorum diluitur cum Aq. Roſarum, parſque affecta, pluma, vel linteolo madido hac Tinctura, intingitur et inungitur, ita brevi temporis ſpatio magna hæc oculorum moleſtia ſedatur. Exterius commiſcetur menſtruis convenientibus,

venientibus, et injicitur per Siphonem in vulnera, quorum hæmorrhagias curat, acreſque catarrhos ad vulnera delabentes obtundit, et mitigat. Fæliciſſime ſanat Dyſenterias, Hæmorrhagias, fluxus Menſium nimios, Hepaticos, Cæliacos, &c. Le Mort. Collect. Chem. Leyd. p. 171. &c. Externe porro valet in putredine oris, ulceribus malignis, cancroſis, Lupo, fiſtula, puſtulis faciei roſaceis, &c. Phar. Bateana per Fuller. p. 38. in Impetigine, Lichene, Serpigine. Tinctura Saturnina magis Styptica eſt ob Vitriolum viride in ipſa contentum, et Spiritum Vinoſum rectificatum, ideo præſtat Saccharo Saturni ſub hoc proſpectu.

Tinctura Senæ. p. 91.

Medicamentum eſt multum iſtiuſmodi ac Elixir Daffii. Doſis circiter ℥i. vel ℥iſs. edulcorand. cum Syr. Roſ. ſolutivo. vel Doſis Cochl. i. vel ij. nocte, et Cochl. ij. vel iij. mane; Carminativum et Catharticum eſt, ſæpe flatibus, et Colicæ ſuccurrit: ad augendam vim purgatricem, Scammonii, Jalapii, vel Rhabarbari gr. aliquot ſingulis doſibus diſſolvi poſſunt. Vid Infuſum Senæ comm. Schol. p. 203, 204. Hæc Tinctura prope æque fortis ac Infuſum Senæ commune, et quantitas Senæ fere eadem eſt in doſin.

Tinctura Serpentariæ. p. 92.

Tinctura hæc cum hoc Menſtruo parata, totas Radicis virtutes extrahit. Alexeteria eſt, cardiaca in febre nimis vigente, ſudorifica, ſcorbutica, Diuretica; putredini reſiſtit. Febribus intermittentibus, ac morbis Hyſtericis, æque ac febribus malignis, variolis, morbillis ſuccurrit. Doſis Tincturæ a ʒiſs. ad ℥ſs. et ultra, diluta in ullo vehiculo idoneo aquoſo. Conveniens eſt iis, qui Radicem in ſubſtantia ſumere nequeant.

Radix Serpentariæ Virginianæ datur in Infuſo aquoſo ut medicamentum Alexipharmacum, et Diaphoreticum in Variolis et Morbillis, &c. Vermes necat, Emmenagogum et Diureticum eſt, in ſubſtantia Doſis eſt a gr. x. ad ʒi. Geoffroy. Radix Serpentariæ Virginianæ ob calorem ejus adhibetur frequenter in Caſibus Paralyticis et Nervoſis, a Rheumate nimio et humiditate ortum ducentibus. Verminoſam putredinem omnem expellit; ſæpe præſcribitur adverſus febres malignas et epidemicas, in ſubſtantia a ℈ſs. ad ℈i. vel ℈iſs. pro doſi vulgari.

Radix Serpentariæ Virginianæ ingreditur Cataplaſma e Cymino, p. 85.

Tinctura

Tinctura Stomachica. p. 92.

Hæc mediocriter calida eſt Tinctura Stomachica gratior Uſquebaugh priorum Pharmacopœiarum. Prodeſt flatulentiis Stomachi, et Arthritidi; in quo Cyathus hujus parvulus ſumatur pro vice, vel concedatur ab ℥ſs. ad ℥i. ſine quovis vehiculo, ſeu Doſis Cochl. i. ij. iij. ante et poſt paſtum, ad Stomachi cruditates, flatus, dolores colicæ, Ructus, appetitus imbecillitatem et proſtrationem, coctionis vitium, et quoſcunque frigidos Ventriculi affectus. Coccinella animal iiſdem intentionibus uſurpatur in hac Tinctura, quibus grana Kermes animal in confectione Alkermes. Verum hæc Tinctura Aromatica Cardiaca minimi uſus eſt in praxi. Huic multum præſtat Tinctura amara, vel Tinctura aromatica in parva doſi cum Vehiculo.

Tinctura Styptica. p. 92.

Hic Titulus exprimit medicinales ejus intentiones, Tinctura eſt levis Chàlybeata, bonum autem habetur remedium, ut et Tinctura Styptica Helvetii, ac Tinctura Styptica Etonei (quæ ambæ ſunt eædem) non alias diſcrepantes ab hac, quam in multo majori earum apparatu et in operoſiori proceſſu.

Tincturæ hæ trinæ ſimilaris ſunt qualitatis, quarum Vires non tantum conſtant a Marte, quantum a Menſtruo; multum commendantur tam pro interno, quam pro externo uſu ad Hæmorrhagias reſiſtendas. Doſis interna hujus Tincturæ Stypticæ eſt a gutt. v. ad xij. bis terve de die et ultra, in vehiculo convenienti. Si ſpongiam ea madefactam ramis majoribus Arteriarum vel Venarum vulneratis, diſſectis, vel ſolutis applicueris, brevi temporis ſpatio aſtringit, et hæmorrhagias ſiſtit. Fluxum muliebrem immodicum, Diarrhœam, et Gonorrhœam ſimplicem multum retardat, juvatque; ſi Stypticum fortius volueris, hujus uſum optime ſuppleat Pulvis ſtypticus aluminoſus ſequens.

℞. Aluminis liquefacti in crucibulo, cui adde Sanguinis Draconis ana q. v. pulverizentur ſimul.

Hoc Stypticum rariſſime, vel nunquam fallit in uterinis hæmorrhagiis; Menſium recurſum frequentiorem, vel eorum ſuperabundantiam, corrigit; Prægnantium profluvium ab abortu cohibet; Lochiorum fluxum temperat. Doſis hujus pro rei exigentia, ℈ſs. omni hora vel ſemihora in hæmorrhagiis profuſis, quas amovet antequam ʒiij. vel ℥ſs. hujus aſſumatur. In Fluore albo etiam mira effecta edit; Venæ Sectio et Catharticum ex Rhabarbaro, vel Sale Cathartico præmitti debent ante uſum pulveris Styptici. Vid. Tentamina Medic. contract. Societatis Edinburgi,

burgi, Vol. I. p. 172, 173. et James Pharmac. Lond. p. 310.

Tinctura Thebaica. p. 84.

Olim Laudanum liquidum Sydenhami nominabatur, ob laudandas hujus vires ſic vocatum. Hæc Tinctura multo fortior eſt quam Elixir Paregoricum. Aromatum additio corrigit Opii graveolentiam. Doſis a gutt. x. ad xx. vel xxx. in Vino vel Aqua diſtillata quavis.

Tinctura Thebaica eadem effecta producit, quæ Extractum Thebaicum, citiuſque virtutes ſuas exerit, et minus apta nauſeam Stomachi poſt ejus uſum relinquere.

Hujus Vires ſunt paregoricæ, ſomniferæ, hypnoticæ, narcoticæ, ſtypticæ vel aſtringentes, et ſudoriferæ cum aliis medicamentis. Infinitis Morbis conducit, ut Diarrhœis, Hypercatharſi ſive ſuperpurgationi, Hæmoptoſi, Dyſenteriis, Menſium et Hæmorrhoidum nimio fluxui, ſingultui, vomitui compeſcendo, Choleræ, dolori Colico, Phrenetico, Nephritico, Pleuritico, Calculoſo, Podagrico, Nimiis vigiliis, Tuſſi ſingultuoſæ Infantum, Convulſionibus, Vertigini, Epilepſiæ, Verrucarum dolori, Membrorum Atrophiæ confortandæ. Teneſmum amovet in Momento ad guttas paucas. Ardorem mitigat, Spiritus irrequi-

irrequietos compeſcit, temperat acrimoniam Sanguinis, pacat febrilem paroxyſmum.

Externe in vigiliis pellendis valet, ſi linteum duplicatum in ea madefiat, atque fronti et temporibus applicetur. Ad dolores poſt partum expertum eſt Remedium. Detur bis in die, ſi caſus repetitionem poſtulaverit, cum Aq. Cinnam. ſimpl. Aq. Hordeat. Aq. Puleg. ſimpl. et Tinct. Caſtorei, edulc. cum Confect. Alkerm. Vid. Schol. p. 185.

Opium crudum, ſine ulla prævia præparatione, ſingulis intentionibus multo melius ſubvenit, quam omnes Tincturæ Opii, et Laudana, atque doſis ejus facilius determinari poſſit.

Boerhaave aſſerit Opium in Aqua ſolutum eſſe optimum, ſecundo in Vino, tertio in Spiritu Vini. Semper autem eo pejus, quo Spiritus dephlegmatior.

Tinctura Valerianæ ſimplex. p. 93.

Hæc Tinctura Alexipharmaca, febrifuga, ſudorifera, Aromatica, Amara, Hyſterica, Expectorans, ſtimulans, diuretica, anthelminthica eſt, &c. non tam penitus curaſſe Morbos Epilepticos deprchenditur, quam Radix ipſa in ſubſtantia exhibita, in forma Pulveris ſubtiliſſimi, vel Boli; Doſis Tincturæ a ʒi. ad ʒiij. vel a cochl. ſs. ad cochl. ij.

vel

vel ab ℥ſs. ad ℥i. in vehiculo idoneo. Radicis eſt ʒi. ad Spiritus ℥i. Si Radix ſicca detur in potu, urinam movet, &c. Decoctum præſtare poteſt eadem; etiam efficax eſt ad dolorem pleuriticum; Menſes ciet. Dioſcor. per Ruellium. p. 14.

Radix ipſa Tincturæ æquivalet, cujus pulveris Cochl. ſs. in Vino aut quovis liquore idoneo exhibiti, certum eſt Remedium contra inveteratam Epilepſiam: Pueris tamen et Adoleſcentibus in minori doſi ut ʒſs. porrigitur in Lacte; Ruptis, Convulſis, contuſis, et ex alto præcipitatis, utilis. Ad Oris et gingivarum inflammationes, exulcerationes, aphthas, et contra febres tertianas valet. Dalei Pharmacologia. p. 188. et Supplement. p. 90.

Hyſtericis affectibus mire ſuccurrit, præſertim ubi fœtida proſunt, et ſpiritus nimis impetuoſe commoti convulſiones inducunt. Doſis vulgaris eſt a ℈i. ad ʒi. indies: in Infuſo a ʒi. ad ʒij. Valde efficax eſt in caſibus Nervorum a debilitate ſyſtematis nervoſi, doloribus Capitis, Convulſionibus, Epilepſia, Peſte, Tuſſi, Pleuritide, Aſthmate, Dyſpnea, Stranguria, Ictero, Menſtruis ſuppreſſis, Lochiiſque puerperarum, vermibus, &c. præmiſſo Cathartico: Junctim cum Camphora, et aliis hujuſcemodi, quæ potenter perrumpunt obſtructiones in vaſis minutiſſimis, febres intermittentes obſtinatas curaſſe fertur. Odor hujus inamænus, nonnullis ingratus, efficaciſſime

ficaciſſime celatur per additionem Mucilaginis congruam.

Tinctura Valerianæ ſimplex, et Tinctura Valerianæ volatilis ſequens ſuppleant locum Pulveris de Gutteta Pharmacopœiæ veteris. Vid. Pulverem Epilepticum Schol. p. 342.

Tinctura Valerianæ volatilis, p. 93.

Virtus hujus promovetur a Spiritu volatili aromatico. Vires eædem ac ſupra deſcriptæ, aſt potentiores; viſciditates humorum magis incidit, attenuat, magiſque Cephalica eſt. In morbis Nervorum, ſpeciatim in temperie laxa, glutinoſo humore, et acido abundante Medicamentum valde bonum habetur hæc Tinctura Valerianæ volatilis. Doſis a ʒſs. ad ʒi. ſeu Cochl. min. i. vel ij. in Vehiculo. Proſpero eventu adhibetur in Apoplexia, Lethargo, morbis ſoporoſis, pleuritide, &c.

Tinctura Veratri. p. 93.

Hoc præclarum eſt Medicamentum ad Cathartica acuenda, cum agiliter et efficaciter operandi intentio ſit, ceu in Mania, Melancholia, morbis ſoporoſis, Lethargo, Apoplexia, &c. Ubi ſtimulans forte exigatur, Vomitorium et Purgatorium eſt efficaciſſimum,

mum; cum ſævis autem torminibus operatur. Celſus, in caſu poſtremo, Hellebori albi uſum commendat, vel in Stomachum ingeſti, vel per Clyſterem in Anum. Ita tractari queat, ut potens alterativum, et deobſtruens evadat Medicamentum, in caſibus ubi remedia mitiora parvum edunt effectum. Summa autem cautela opus eſt in ejus uſu. Dari in initio debet ad guttas pauculas; ſi copioſe exhibeatur, fit violens Emeticum, vel Catharticum. Doſis Tincturæ a gutt. vi. ad ℈i. vel ij. et ultra. In hac Tinctura eſt Radicis ʒi. ad Spiritus ℥ſs. quam nonnulli aiunt eſſe doſin. Quandoquidem hæc Tinctura adjudicatur neceſſaria, pro mea ſententia experimentum ejus fieri debet in multo minori doſi, atqui ſi ad propoſitum inſufficiens ſit, augeri poſtea queat. Radix Veratri, ob violentiam purgationis, quam per ſuperiora et inferiora exercet, uſum purgandi internum ſoli fere Helleboro nigro reliquit. In ſubſtantia non adhibetur niſi ab audaculis, nam ℈ſs. nonnunquam inducit ſpaſmos violentiſſimos. Boerh. de Poteſtatibus Medicament. ideo optimum eſt integre omitti, vel coerceri tantum ad robuſtiſſimos vel furioſiſſimos.

Extrinſecus Sternutationem movet; ſub forma lotionis, Scabies, Impetigines, et Serpigines, ſanat. Dalei Pharmac. p. 138. Errhina, ptarmica, et vomitoria eſt, ob ſal volatile inibi deliteſcens. Hoc Decoctum interne ſumptum miros edit effectus in Quartanis,

Dyſpnœa,

Dyſpnœa, &c. inſervit lotionibus, Eruptionibus cutaneis, et ſucceſſu detergit ulcuſcula, quæ cutim, et faciem intumeſcunt, deformant et defœdant. Radix Vomitum ciet, ſuperiora corporis purgat, mentem et ingenium acuit. Bunonis Notæ in Cluver. introduct. Geograph. p. 339.

Porro Radix Veratri Collyriis admiſcetur, quæ caliginem oculorum diſcutiunt; Menſes pellit, Sternutamenta excitat, Mures interficit cum Melle et polenta ſubacta. Nonnulli dant in Ptiſanæ, aut Pultis ſorbitione, aut paulum antea cibum dari præcipientes, nihil periculi minatur, quod cibo munitis non intempeſtive medicamentum offeratur. Dioſcord. per Ruellium libr. 4. p. 369, 370.

Trochiſci Bechici albi. p. 115.

Bechicus a βὴξ βηχὸς tuſſis, parantur ad tuſſim, et uſus ſunt in Pulmonum morbis, in raucedine, et ad pituitam facilius ex Pulmonibus exantlandam. Tuſſim ſedant, ſiquando Trochiſcus manducetur. Gratiores ſunt Trochiſcis Bechicis nigris, et doſis amborum Trochiſcorum q. l. eſt ſæpiuſcule in die, in ore tenendo, ſenſimque deglutiendo. Radix Iridis florentinæ albæ, ingrediens horum Trochiſcorum, incidit, attenuat, expectorat, digerit, abſtergit, emollit; uſus præcipuus eſt in obſtructionibus, et infarctionibus mucilagi-

noſis

noſis Pulmonum, Tuſſi, Aſthmate, obſtructione Menſium, et torminibus Infantum ventris ab acido. Extrinſecus coſmetica eſt, abſtergit cutis maculas et lentigines, eam nitidat, oris fœtorem emendat, et halitum ſuavem reddit. Dalei Pharmacolog. p. 359. Hi Trochiſci ex uſu ſunt, quoties ſerum acre et tenue e Glandulis extillans, Laryngem continuo titillat, et tuſſi perpetim recurrente crudeliter fatigat; oblinunt, lubricant, incraſſant, maturant, acorem obtundunt, et irritationem ſedant.

Trochiſci Bechici nigri. p. 115.

Hi etiam ad Tuſſim inſtituuntur, magnæ autem non ſunt conſequentiæ. Doſis q. l. frequenter.

Trochiſci e Nitro. p. 116.

Hæc eſt forma valde grata Nitrum exhibendi, licet non immunis ſit ab inconvenientiis; quando enim Sal hic ita ſumitur ſine liquido (ſi quantitas ſit ampla) magnas concitationes excitat circa Stomachum, quæ tantummodo præveniri poſſunt diluendo copioſe cum liquoribus aqueis; refrigerant.

Æſtum, fervorem, ardorem, ſitim in febribus ſedant, et compeſcunt. Sæpe teneantur in ore

ore ſenſimque deglûtiantur. Si æger improbet Trochiſcos, ſumat Nitri pulveriſati ℈i. vel ʒſs. ex Vehiculo grato, quoties opus fuerit. Nitrum valde bonum eſt ingrediens, hæc autem forma parandi non eſt optima. Melior eſſet forma decocti, ut decocti Coccinei Fuller. Schol. p. 240. Ex Nitro vim diureticam obtinent, Bilem temperant, dolores mitigant, malignas ſanguinis phlogoſes ſupprimunt, putredini reſiſtunt, coagulum Sanguinis reſolvunt, Saburram gutturis incidunt et detergunt. Ad choleram, colicam, urinam ſtranguriæ ferventem, ad inflammationem uvulæ, et guttur ulceroſum proſunt. In hoc compoſito ſunt Nitri gr. x. ad Sacchar. ʒſs.

Trochiſci e Scilla. p. 116.

Fere inutiles ſunt. Parantur pro Theriaca Andromachi, nec alias exhibentur quod ſcio; niſi in pulveris forma, nunquam præſcribuntur, et Pulpa Trochiſcis præfertur hiſce.

Trochiſci e Sulphure. p. 116.

Non major hujus formæ utilitas eſt, quam Florum Sulphuris per ſe; alioquin formam hanc nonnulli magis approbent. In Hæmorrhoidibus curandis ſunt Arcanum. Valent præterea in Aſthmate, Dyſpnœa, Scorbu-

to,

to, Scabie, Ulcere oris, Angina, Aphthis, Vermibus Infantum; Doſis No. iij. vel iv. bis vel ter in die, etiamque ad tabem et tuſſim, ſumendi longo intervallo a paſtu. Pharmacop. Batean. per Fuller. et Geoffroy.

Trochiſci e Terra Japonica. p. 116.

Trochiſci ultimi valde ſunt elegantes, ſat grati palato, leniter reſtringunt, et nonnullius emolumenti ſunt in aliquibus Tuſſium ſpeciebus, a tenui acre defluxione, Diarrhœa, et morbis a laxitate inteſtinorum oriundis. Catarrhum exſiccant, Caput roborant, tuſſim ſedant, et titillationem mitigant; optimi ſunt Trochiſci, et hiſce morbis eminenter ſubveniunt, cum gradatim ore diſſolvantur, et ſenſim deglutiantur; aliquot hos commendant adverſus fluorem album. Terra autem Japonica per ſe, ſi eodem modo ſumeretur, multo melior eſſet iis, qui ſaporem ejus ferre queant. Vid. Tincturam Japonicam Schol. p. 499.

Tutia Præparata. p. 23.

Flores Tutiæ impuræ ſublimantur a Zinco. Tutia præparata in uſum ducitur præſertim ad externas applicationes ut Ophthalmica.

Cujus Flores in pulverem impalpabilem lævigati, cum Oleoſis ſubſtantiis formant illud utile Unguentum Tutiæ; cum Aqua Roſarum et ſimilibus, concinna collyria, ad defluxiones tenues acres in oculos; mediocriter aſtringunt, et levigatione debite peracta, ſine acrimonia vel irritatione agunt; leniter abſtergunt, deſiccant, abſorbent, et conſolidant. Ulceribus humidis conferunt, eademque ad cicatricem producunt; Oculorum affectibus medentur; adhibentur in lotionibus ad eorum inflammationes; ſine acrimonia operantur, intus autem ſumpti evadunt Emetici, præſcribuntur cum ſucceſſu ad Ulcera Corneæ, adnatæ, palpebrarum, ad uredinem, pruriginem Oculorum, Ophthalmias inveteratas, atque ad Lachrymarum fluxum involuntarium ſiſtendum. Raro uſurpantur ſine præparatione, quæ fit excandefaciendo, et extinguendo eos bis terve in Aqua Roſarum recenti S. A. ſuper Marmor terſum vel porphyriten, et poſtea exſiccando eos ad uſum, ſub nomine Tutiæ præparatæ cujus ʒi. et Aq. Roſar. ℥i. efficiunt Aquam Ophthalmicam ad prædicta ſymptomata.

Vinum Aloeticum Alkalinum. p. 82.

Olim Elixir proprietatis Helmontii, vel Elixir Proprietatis Tartariſatum nuncupabatur. Vires hujus equidem mirabiles ſunt, ubi aperiens,

aperiens, penetrans, ſtimulans, attenuans, reſolvens, relaxans, purgans, ſudorifera, diuretica, ſiccans, calefaciens, vulneraria, et antacida virtus ſimul requiritur. Boerh. Chem. M. S. p. 85. Hoc Medicamentum proculdubio eſt valde efficax et utile ad multa propoſita: ita tractari poteſt ut viſcidos ſuccos attenuet, obſtructiones in partibus remotioribus aperiat, ut evacuatio materiæ morbificæ promoveatur fere per Emunctoria corporis omnia. Doſis ʒi. ij. vel iij. Urinariam ſecretionem auget, atque ſi æger moderate calidus ſervetur, generatim diaphoreticum vel ſudoriferum evadit; Doſis major leniter alvum ſubducit. Bonum eſt in omnibus frigidis, aqueis, acidis, et pituitoſis morbis; Renes detergit, et in tali conſtitutione Sabulum abducit. Magni uſus eſt in Febribus intermittentibus. Nervis Amicum eſt, et Spiritus exhilarat; Menſes promovet, lac auget, vermes necat, et abducit viſcidos glutinoſos humores, indigeſtionis et cruditatis effectus, ubi nidificant; appetitum creat, et defectum Bilis ſupplet. Summatim eximium eſt Medicamentum. Alkalini Salis eſt ʒi. qui eſt prævalens ingrediens, ad Vini ℥ſs. Sal datur a ℈i. ad ʒſs. unde conveniens erit bis terve de die doſin repetere.

Leniter evacuat humores noxios in primis viis, et bonum eſt alterativum in omnibus cachexiis ab acida cauſa, ubi conceditur in doſi exigua, et uſus ejus diu continuatur bis terve

de die, per hebdomadas iij. vel vi. prodeſt præſertim pallidis conſtitutionibus, non autem convenit temperamentis calidis, floridis, et ſabulo obnoxiis, ob ejus calorem. Multiplicis eſt virtutis, prout determinetur e Menſtruo, vel per ſudorem, vel per urinam, vel per alvum ubi evacuatio talis exigatur. Tute dari poteſt cum Vehiculo, ut Aquis diſtillatis idoneis, vel aliis medicamentis hujuſmodi virtutibus mutuo præditis. Convenit iis morbis, Balſamis alkalinis ingredientibus ad eorum medelam, ut Scorbuto muriatico, Scorbuto lento, Chloroſi vel Febri albæ, Cacochymiæ, Hydropi univerſali, &c. Præcipui uſus eſt in Melancholia, Affectione Hypochondriaca vel Hyſterica, in Ictero ubi Bilis craſſa diluenda, vel ubi textura ejus aperienda, cæteriſque morbis ab acida cauſa, habitu frigido, phlegmatico, Cachectico, Auſtero peccante humore; Menſtruis obſtructis, et Hydropi univerſali a tali cauſa multum prodeſt aſſumptum in doſi propria. Exhibetur a ℈i. ad ʒſs. ʒiſs. vel ℥ſs. in Syrupo idoneo ut Syrupo ſimplici, veluti ſub Tinctura Jalapii, et ubi evacuatio exigatur. Vid. Schol. p. 497. Nocet Peſtibus, Febribus malignis, et ubi humores corporis jamjam ſolvuntur; eorum Textura diffringitur ab Alkalina indole, ideo ſumi non debet, quoniam perniciosum eſt.

Vinum Aloeticum Alkalinum hoc commodi habet, quod non turbidum evadit, neque præcipitatur ab aquoſis, ob ſalem alkalinum

in

in ejus præparatione. Generaliter laudatur ad vetera ulcera externa depuranda et ſananda, abſque ope Emplaſtrorum, præſertim quando liquor mucoſus, vel ichoroſus a vaſis Lymphaticis ruptis extillat; verum quoniam potenter detergit, quamprimum ulcus depuratur penitus, tum poſtea Aqua dilui debet, qua ratione ſanat, conſolidat et cicatrizat; cum antea Eſcharoticum et detergens fuerit; hinc etiam Fiſtulæ ſanantur, ſi ulceri adhibeatur, et fundo ejus imo applicetur. Oſſibus carioſis inſervit eximie, ſiſtit malum accreſcens, et putredini ulteriori reſiſtit. Interna Ulcera purulenta curantur interno hujus uſu, quare plurimi æſtimatur tam a Chirurgis, quam a Medicis, adeo ut in praxi, melius eſſet orbari quovis fere Medicamento, quam hoc.

Vinum Amarum. p. 82.

Hoc eſt valde elegans amarum, utpote calidius quam Infuſum amarum ſimplex. Gentiana et Limonum cortex conficiunt amarum valde grati flavoris.

Aroma hic additum, poſt materialium aliorum plurimorum experimentum factum, ſelectum erat. Hoc Vinum habet virtutes Tincturæ amaræ. Doſis a Cochl. i. ad ij.

Stomachicum eſt, in Fibris laxis, indigeſtione, cruditatibus, et flatibus, ſumendum ad Cochl. i. ij. iij. ante paſtum. Ut

Anthelminthicum exhibetur ad ℥iij. bis in die.

Amara optime maritantur Chalybeatis, uti ℞. Vin. Amari, Vin. Chalybeat. ana. q. v. ad imbecillitatem Stomachi, Ructus, appetitus proſtrationem, coctionis vitium frigidum; detur ante et poſt paſtus.

Vid. Infuſum Amarum ſimplex, p. 202. et Tincturam Amaram, 488.

Vinum Antimoniale. p. 82.

Poſſidet totas hujus mineralis virtutes; ita præſcribi et tractari queat, ut præſtet omne, quod ab ulla Antimoniali præparatione effici poſſit; cum hoc commodo, quod, ut activa Antimonii pars hic jam ſolvitur et redditur miſcibilis cum animalibus fluidis, ejus operatio eſt magis conſtans et certa. Datum a gutt. x. ad L. vel LX. agit ut alterativum, et diaphoreticum, in doſibus majoribus ut diureticum et catharticum, dum ʒi. ij. iij. vel iv. virulentum evadunt Emeticum. Olim Vinum benedictum vel Vinum Emeticum nominabatur. Doſis Infanti 6 Ann. ʒi. Adoleſcenti 16 Ann. ℥ſs. Juveni 30 Ann. ℥iſs.

Sydenhamus, ſingulis doſibus per triduum, exhibuit Infuſionis, vel Vini Antimonialis hujus ℥iſs. pro doſ. i. unde per vomitum ſolvuntur cuncta tenacia, concutiuntur obſtructa, expelluntur ſtagnantia, et mirabiliter

in

in principio Hydropis prodeſt. Hydragoga enim in hydrope fortia dari, ſæpe repeti, et ſine longa mora intermedia, debent. Vires hujus vini notiſſimæ ſunt. Doſis a ʒi. ad ℥ij. etiam in Alvo obſtructa ſub Clyſteribus ad uncias aliquot uſurpatur. Barchuſen Pyroſoph. p. 230, 231. Ad nonnullos maniacos et apoplecticos caſus ſummi eſt uſus, ubi impetu et violento ictu opus eſt, hinc nomen obtinuit Vini Emetici, quod habetur eximium, jucundum, et ut plurimum tutum Emeticum ad doſin ſupra præſcriptam. Ophthalmiis et ſimilibus Oculorum vitiis, inæqualitatibus, Membranulis, Maculis, albuginibus, &c. prodeſt. In præparatione Croci antimonii relinquitur Metallum viribus emeticis validis præditum, ſola Infuſione in Vino communicandis, ſenſim tamen pereuntibus. Iterata ter Infuſione, vis vomitiva fere perit, uti per experimenta accurate capta evictum. Boerh.. Chem. M. S. p. 186. 190.

Prima enim Infuſio eſt fortiſſima, ſecunda debilior et tertia parciſſime operatur. Vinum Antimoniale hoc mitigari poſſit abluendo Crocum Antimonii, unde non aſperum adeo Emeticum evadit ac olim; neque hoc modo tractatum rigide operatur. Boerhaave dedit hujus Vini Emetici ℥ijſs. Oxymell. Scillitic. ℥i. m. f. Vomitorium in Apoplexia, pro doſi una, lentorem attenuans. In Febri intermittente præſcribit Vin. Emetic. ℥ij. Oxym.

Scill. ʒvi. m. f. Hauſtus. In Hydrope Vin. Emetic. ℥ijſs. pro una doſi.

℞. Vin. Emetic. a gutt. xx. qualem doſin Infantulo præſcriptam novi, inquit Fullerus, ad ʒvi. ℥i. vel ʒx.

Antimonialium Medicamentorum, quando nimis fortiter operantur, violentia imminui queat Sulphuris exhibitione. Atque ſi Vomitiones enormes oriantur, ex nimia Antimoniorum quantitate, puta Croci Antimonii, Hepatis Antimonii, &c. optime tolluntur et præveniuntur mali effectus per Vomitum ſiſtentia quæ Vid. Schol. p. 123.

Vinum Chalybeatum. p. 83.

Vinum eſt elegans, et optima Chalybis Præparatio in forma liquida. Menſtruum hic adhibitum ſuperaddit ferro virtutes detergentes et aperientes. Boerhaave hoc commendat ut nobiliſſimum Medicamentum ipſi notum ad Hæmatopœiam promovendam, vel facultatem, iſtamve poteſtatem in corpore, per quam Sanguis elaboratur, quando infirmatur per meram debilitatem nimis relaxatorum ſolidorum, et indolem frigidam, Aqueamve indiſpoſitionem ſuccorum: nam in hoc caſu, inquit ille, nulla virtus cujuſvis vegetabilis vel animalis ſubſtantiæ, nullus victus, vel regimen illud præſtare queat, quod ab ipſo Marte

te efficitur: Nocet autem, ubi Vires vitales jamjam nimis fortes et rigidæ ſunt, Utrum hæ procedant a fluidis vel ſolidis. Menſes promovet, aperit obſtructiones Splenis, Pancreatis, Meſenterii, prævalet in Ictero, et Chloroſi. Doſis eſt a ʒi. ad ℥ſs. quæ bis de die repetatur. Viſcerum primorum fibras roborat, in Menſibus obſtructis ex pituita inerti, vel acido Muco. Vacuo Stomacho ſumatur etiam ter de die, hor. i. ante paſtum, in Cachexia, Ictero, Scorbuto, Hydrope, Quartana, Fluore Muliebri a Vaſorum debilitate, &c. Omni mane per longum tempus, vel ad dies 20, 30, &c. ad Cachexiam, et Inteſtinorum laxitatem propinetur omni mane. Exhibeatur per ſe bis indies, vel a Cochl. i. ſingulis hauſtibus Apozematis vel ptiſanæ commiſceatur.

Efficax eſt ad Palpitationem Cordis, Melancholiam, morbum hypochondriacum, Cardialgiam, ſi detur ad Cochl. i. mane et veſperi in Vino albo, Canarino, vel Cereviſia, per 40 vel plures dies. Aliquando in Ventriculi, Lienis, et Uteri affectibus inveteratis, et pertinacibus, Vinum Chalybeatum exhiberi debet per Annum integrum.

Quicquid virtutis Chalybs poteſt Vino impertire, hoc integre poſſidet. Aliqui quoniam Chalybis uſum volunt eſſe primarium, ut acida deſtruat, vehementer nolunt eum cum acido præparari. Si vero Hypotheſi ſuæ minus inſervirent, et Experientiam magis conſulerent,

ſulerent, certo diſcerent, quod Clavis acida, præ aliis omnibus, Ferrum reſerat. Hoc tamen adjiciam, quod ſi Fermentum Ventriculi depravatum corrigere prima eſſet mihi intentio, Electario, vel Pulvere uterer, ſin vero Sanguinem ipſum, et Corporis habitum præcipue reſpicerem, tunc Vinum libentius eligerem. Vinum Chalybeatum hoc, vel Solutio, vel Tinctura nigra Ferri in Vino Rhenano, laudibus ad Cœlum uſque evehitur ab Hermanno Boerhaave, qui inquit quemvis ex hoc ſingulari Medicamento victum modicum obtinere poſſe, ſi fucaretur uti hoc cum Aromaticis propriis, colorem amœnum præbentibus, et ſubſtantia ſaccharina quavis edulcoraretur, quo jucundius fuerit, gratiuſque Stomacho et Palato. Medicamentum optimum eſt et efficaciſſimum ex Ferro paratum, pene infallibile in morbis omnibus a laxitate fibrarum et inteſtinorum flacciditate, frigore, torpedine, et ſuccorum deſidia, prodeuntibus. Sumatur eo tempore, quo Stomachus eſt magis vacuus; ab hoc autem cavendum in vaſis nimis compactis, conſtrictis, extenſis, in Tumoribus duris, ſchirrhoſis, acido prædominante, ni plus damni quam commodi ſibi acceſſeret Medicus, et Scirrhum immedicabilem, vel mortem ipſam in Scenam produceret. Vinum hoc omnes morbos ſanat, ad quos ſanandos Chalybs utilis eſt; Mirabilis eſt in Rachitide, contra phlegma viſcidum, et vermes Infantum, ſi prius purgentur cum Scammonio

nio et Mercurio; ad hoc propoſitum excoquatur in Syrupum cum Saccharo, optimum dat et blandiſſimum ex Marte, aperiens et ſimul roborans Medicamentum, quo vix aliud melius eſt in Infantibus a Lumbricis vel pituita laborantibus, illiſque prodeſt emaciatis, pallidis, debilibus; recuperando floridum colorem, Artuumque robur. Doſis Infanti 6 Ann. ʒi. vel ij. jejuno. Doſis hujus Syrupi ab ℥ſs. ad ℥iſs. Adulto, in obſtructionibus, et omnibus fluxibus (præſertim Hepaticis) uſus eſt inſignis, aſtringit, et roborat. Boerh. Chem. M. S. p. 158. et Chem. impreſſ.

Medicamentum eſt laudatiſſimum in Chloroſi, ubi Chalybeata conveniant; et nil magis proficuum eſt in habitibus malis a viſcerum obſtructione, et in Ictero cum Amaris conjunctum; ut ℞. Vin. Amar. Chalybeat. ana ℔i. doſis ab ℥ſs. ad ℥i. ſemel biſve de die, Stomacho jejuno, et quo majus exercitium, eo majus emolumentum. Inſuper Vinum Chalybeatum liquoribus Chalybeatis conficiendis inſervit; Meſenterium, et lienem reſerat. Le Mort. Chem. Medic. Phyſ. p. 224. 225. Vid. Salem Martis Schol. p. 377, 378.

Ad Cachexiam, Chloroſin, Obſtructiones, Icterum, Hydropem et quoſcunque id genus morbos, qui a Sanguinis cruditate, et pauperie proſapiam ducunt, Chalybeata ſunt inſtar omnium; eorum enim eſt, nova fermentatione accenſa, adeo Maſſam ſanguine-

am

am agitare, conquaſſare, commiſcere, depurare et exaltare, ut quæ (globulorum rubrorum ob penuriam) fere pallebat, ſenſim fiat coccinea, rutilans, ſpirituoſa et ſpumans. Inſuper quæ (ob ſemicoctam pituitam ubique obſtructiones figentem) inequaliter, hic raptim, illic ægre circulabat; jam libere, et vivide per minimos uſquequaque canaliculos fluens refluenſque, omnibus Corporis particulis nutrimentum, calorem, et vigorem benigne impertiat. At vero ea ſi ſit Sanguinis conditio, ut juvenilis iſtius fermentationis omnino ſit incapax, ob principia ſcilicet ejus inveterata, fibras attritas, tonum laxatum, meatus collapſos, et Machinæ corporeæ ſtatum ruinoſum; fruſtra tunc a Remedio (licet tam generoſo, et præpotenti) multum adjumenti expectandum: Idem quippe eſſet, ac ſiquis Acetum vapidum in Vinum dulce; aut Roſam marcidam in florentem reducere conaretur. Atque quoad me, ingenue profiteor, quod paraxeos meæ ſeriem attente retroſpiciens, raro aut nunquam obſervavi inſignem aliquam commoditatem ex Chalybeatorum uſu ſenibus uſpiam obtigiſſe. Fuller. Pharmac. Extemp. p. 245, 246.

Vinum Croceum. p. 83.

Olim Tinctura Croci cum Vino Canarino parata ad Syrupum Croci. Hujus Vini doſis eſt

eſt gutt. XL. bis terve de die. In hoc ſunt Croci gr. viiſs. ad Vini ℥ij. ideo regulari et augeri poteſt ſecundum hanc præparationem: Crocus in ſubſtantia tute dari queat a gr. x. ad ℈i. Ideo doſis Vini hujus ſit a ʒi. ad ʒiij. et ultra. Febribus nonnullis interdum præſcribitur ut Cardiacum etiamque alexipharmacum; perſpirationem cutaneam auget, et ſudorem excitat. Cephalicum eſt egregium, Stomachicum, uterinum, et lene anodynum Medicamentum, plurimas tenues obtinet particulas ſale volatili imbutas; a defectu Spirituum, et eorum humorumve fixatione, vel ad acredinem nimiam vergente, multi morbi, dolores, &c. oriuntur, atque volatilitate Croci ſanantur. Melius adaptatur frigidis et leucophlegmaticis, quam calidis et bilioſis temperamentis. Sumatur in Cyatho Vini unctuoſi, Hiſpanici vel Canarini, febre non nimis urgente; vel Aquæ fontanæ, vel Aquæ diſtillatæ appropriatæ a febricitantibus.

Specificum eſt Diureticum; Ictero, et Hydropi medetur, prægreſſo emetico, et cathartico idoneo; totoque operationis ejus decurſu ſæpe ebibendo infuſi Croci in aqua parati ℥iv. in vaſe clauſo, uſque dum purgatio ceſſaverit. Sanguinis maſſam, velut fermento novo (ſed miti) inſtaurat, Salis volatilis depreſſi reſtitutionem promovet; Glandulas Hepaticas luſtrat, Bilis in Hepate aggeſtæ, et ſtagnantis motum ſtimulat; meatus renales, et biliarios ſpecifice idem deobſtruit. Eximium

mium eſt cum Linteis duplicatis applicatum digitis manuum pedumque a frigore adeo læſis, ut Gangræna minetur. Diſpellit materiem ſeroſam Eryſipelatis et tumoris inflammatorii, doloreſque allevat qui ea concomitantur.

Sin imprudenter adhibeatur, venenum fiat, et loco roborandi et refocillandi ægrum, textura Sanguinis ejus integre perrumpetur et ſolvetur exinde; ideo ne in nimis magna doſi concedatur, potius autem ſæpe repetatur: Hac ratione ab abuſu hujus tam potentis Remedii, Claſſi Venenorum Narcoticorum annumeratur a Boerhaave, ejuſque antidota ſunt aquoſa, oleoſa, acidulata Vomitoria, et quæ mel habent pro ingrediente.

Cl. Boerhaave, dignum, Leydæ, profeſſorem novit Hypochondriacum, Melancholicum, et magna Spirituum dejectione, triſtitia, mærore laborantem, qui ab uſu continuo Tincturæ croci a Medico ejus præſcriptæ reddebatur exinde puerilis, abſolute fatuus, et ægre ab orci faucibus evaſit.

Vires Croci. Sanguinem animat et obſtructiones Viſcerum amovet. Commendatur in morbis Thoracis et Cerebri, atque in expellendis humoribus morbidis Febris Malignæ. Somnum inducit, dolores acerbos mitigat, et vulgo ingreditur Cataplaſmata reſolventia. Si ſumatur in nimis magna quantitate, Cephalalgiam, ebrietatem, Convulſiones, Deliria, Riſum ſardonicum, aliaque accidentia funeſta,

ni

ni cito remedium iis applicetur, inducit. Doſis a gr. iij. ad ℈i.

Tinctura Croci ſaturatior extrahatur tam Aqua, quam Spiritu Vini; unde demonſtratur Crocum continere ſalinam æque ac partem gummoſam. Geoffroy. Vid. Croci vires cæteras ſub Syrupo Croci. Vid. Schol. p. 461, 462, 463.

Vinum Ipecacoanhæ. p. 83.

Eſt valde tutum et mite Emeticum, et æque inſervit Dyſenteriis etiam cum Ipecacoanha in ſubſtantia, Doſis ℥ſs. plus vel minus pro ætate et viribus, ut ℥i. vel ℥iſs.

Si Vinum hoc ad Emeticum inſtituatur, ne hili, quidem magis valeret ob flavedinem aurantiorum ſiccatam, ſin alterativum pro Diarrhœa, vel Dyſenteria, magis congruum erit. Hoc Vinum non ſociatur cum illis incommodis, quæ a Radice pulveriſata aliquot conſtitutionibus accidere dicuntur, ubi thoracis oppreſſionem, Aſthma, et Hæmoptyſin induxerit.

Radix Ipecacoanhæ optime præparetur ad Emeticum infundendo in Aqua tepida, ut ab analyſi ejus lucide deducatur multiſque experimentis probetur.

Geoffroy, ab ipſius experientia, nos informat, et aſſerit, quod doſis gr. x. Ipecacoanhæ pulveriſatæ æque efficaciter agit ac ℈i. vel ij.

ideo

ideo doſin hujus coercet inter gr. vi. et gr. x. Secundum alios Doſis Rad. Ipec. pulv. eſt Infanti 6 Ann. gr. vij. Adoleſcenti 16 Ann. ℈i. Juveni 30 Ann. ℈ij. Rad. Ipecac. datur Infanti a gr. vi. ad x. Adulto a gr. xv. ad ʒſs. et ad ſummum ʒi.

Operatione ejus raro Stomachus laceſſitur, hinc optimum ſuccedaneum pro Tartaro Emetico habetur. Et optimum Specificum adhuc notum in Dyſenteriis vetuſtis (Fluore albo) corpore prius debite præparato; in talibus caſibus non tantum agendo ut Emeticum, ſed etiam detergendo inteſtinorum ulcera, illinendoque ea mucilaginoſa ejus qualitate, inſtar Altheæ mucilaginis, qua aliquo modo villoſam inteſtinorum Tunicam lenit obducitque, quando a morbo corroduntur et corrumpuntur, Glandulas hujus viſceris potenter agitando et evacuando. Prima, vel ſecunda doſis plerunque eventus proſperos producit; ſin fruſtrentur, continuari debet quotidie ad gr. iij. vel iv. cum Diacodio. Agendo ut Opiatum, et alterativum, emundando et exſiccando Ulcera Inteſtinorum ſanantur. Sumi etiam queat in Infuſo, vel Decocto, vel commiſceatur idoneo liquido (ut Vino rubro, &c.) ſeu f. Bolus, incorporando cum Syrupo quovis convenienti. Geoffroy.

Nonnullis Mos eſt, vel per ſe, vel junctim cum Salis Vitrioli gr. iij. vel iv. hoc Emeticum ſumi.

Vinum

Vinum Viperinum. p. 83.

Viperæ longe abhinc adhibebantur ut Reſtaurativum, ad Lepram, &c. ex Sententia autem Hoffmanni cenſentur penitus inſignificantes. Carnis eſt ʒi. ad Vini ℥iij. ergo ſumi poteſt a Cochl. i. ad iv. repetendo bis terve de die diutine. Vid. Juſ. Viper. p. 194.

Vitriolum Calcinatum. p. 40.

Eſcharoticum eſt, externe detergit, et mundificat. In Sanguinis effuſione vulneri applicetur ut Stypticum, ad Sanguinem ſiſtendum et cruorem coagulandum. Inſervit diſtillationi Spiritus fortis et tenuis Vitrioli. Le Mort. collect. Chem. Leyd. p. 214.

Unguentum Ægyptiacum. Vid. Schol. p. 228. 229.

Unguentum vel Mel Ægyptiacum inſervit Carni fungoſæ depaſcendæ, et Ulceribus ſordidis detergendis; emolumenti eſt in ulcerationibus Venereis Oris et Tonſillarum. Si propoſitis ſpecialibus acrius deſideretur, pro occaſione ita reddatur. Sc. vas agitando, adeo ut craſſa materies, in fundo ſubſidens (quæ

continet maximam viridis æris portiunculam) tenuiori commiſceatur ſuperius innatanti.

Unguentum Album. p. 142.

Refrigerat, emollit, utile eſt contuſionibus et inflammationibus. Hæmorrhoides internas, intertrigines, excoriationes, et eroſiones cutaneas Infantum lenit, ſanat, &c. ejuſdem eſt virtutis cum Cerato albo. Schol. p. 90. et Linimento albo. p. 217. hæc tria conficiuntur iiſdem ingredientibus, et inter ſe invicem ſolum in conſiſtentia differunt, ab ingredientium diverſa proportione.

Unguentum Album Camphoratum. p. 143.

Hoc habetur magis diſcutiens quam præcedens, emollit Tumores duros, utile eſt ad Inflammationes pellendas, uredines, prurigines, ſerpigines, ambuſta, et Eryſipelata; viribus iiſdem pollet ac Unguentum album, aſt penetrantioribus; particulas acres ſtagnantes vel obtundit, vel diſſipat volatilium ope, et extravaſatas maſſæ ſanguineæ circulanti reſtituit, vel per poros cutaneos foras protrudit; ab Unguento albo ſaltem differt addendo Camphoræ ʒiſs. prævie contritæ cum guttis aliquot Amygdalarum.

Un-

Unguentum ex Althæa. p. 143.

Olim Unguentum ex Dialthea. Radix Altheæ ingreditur Oleum e Mucilaginibus, cum quo Unguentum ex Althæa conficitur. Hoc plurimi uſus eſt ut emolliens, et relaxans; lenit, emollit, lubricat, attenuat, aperit, relaxat fibras contractas nimis tenſas et rigidas pro actione naturali, proficuum eſt membris ſtrigoſis dolentibus, et Nervorum puncturis; Tumores duros diſcutit, affricando hoc in partes contuſas humoribus obſtructis induratas; materies ſtagnans perſpiratur per poros cutaneos, abſorbetur a Sanguine circulante, et alibi exoneratur, digeritur, maturatur, et ſuppuratur. Mitigat dolores acres Hæmorrhoidum, Pectoris et laterum in Pleuritide, inungendo partes affectas, præſertim ſi immiſceatur modo ſequenti. Unguent. Pleuritic. primum. ℞. Ung. ex Alth. ℥i. Ol. Lini. ℥ſs. Ol. Cymin. ʒſs. Camph. ℈ſs. m. f. Ung. In Tumoribus inflammatoriis datur congeſtio Lymphæ gelatinoſæ, quæ vaſcula comprimendo, ſanguini a tergo appellenti obſtructiones ponit, eumque extravaſari cogit: exindeque fibræ carneæ (quaſi cuneis adactis) e loco invicem detruſæ confuſo ordine intricatæ, et ſupra tonum tenſæ, doloris ſenſum pariunt: jam vero ad hujus mali amolitionem, duo veniunt præcipue agenda. 1.

Gelatinoſa iſta concretio (volatilium ope) adeo diſſolvenda et eliquanda, ut facile in venas denuo remandetur. 2. Fibræ ipſæ ſunt (oleoſorum ope) demulcendæ et glabræ reddendæ. Ita enim ſanguinis motu pulſifico jugiter protrudente, facillime in naturales et directas acies iterum explicentur; circulatio per partem debita redintigretur; Humor congeſtus abſorbeatur, et affectus conſequenter ſolvatur. Unguentum Pleuriticum ſecundum.

℞. Ung. ex Alth. ℥i. Ol. Amyg. dulc. ʒiij. Camph. ℈i. Sp. Sal. Ammon. ʒi. m. f. Ung. Dolores pleuriticos et podagricos placat et tollit, ſi inungatur partibus dolore afflictis, quoniam poros valde penetrat, et particulas acres ſtagnantes vel obtundit, vel diſſipat; et extravaſatas Maſſæ Sanguineæ circulanti reſtituit. per Experientiam didici, quod Spirituoſa, cum unctuoſis mixta, doloribus optime medeantur, non ita ſola ſpirituoſa, inquit Fuller.

Unguentum Baſilicon Flavum. p. 143.

Hoc Unguentum adhibetur ut digeſtivum, detergens, et incarnans vulnera et ulcera; parum vel nil omnino differt ab Unguento e Gummi Elemi, vel Linimento Arcæi, in ipſius effectis; Unguentum hocce magis attrahit quam ſequens; omnia Apoſtemata, Ulcera, et Vulnera ad maturitatis ſtatum perducit, dolores ſedat, pus promovet, digerit, detergit,

tergit, incarnat et ſanat. Omnes Feſtucas Spinas, ſpicula cuti infixa extrahit. Ex eo fiunt Linteola et Turundæ ulceribus intrudendæ ſequenti modo.

℞. Filamenta Lintei vetuſta hoc Unguento illita; cavitati ulceris apponantur. Cum Vehiculo calido interne etiam ſumatur ad ʒſs. ad Apoſtemata interna, optimo cum eventu. Le Mort. Chem. Medicophyſica. p. 164.

Unguentum Baſilicum Nigrum. p. 144.

Vel Tetrapharmacum, olim non parvi æſtimabatur pro ſanandis et incarnandis vulneribus, &c. fertur autem inconvenientiam habere fœdandi ea, et producendi Carnem fungoſam.

Huic generatim præferuntur Unguentum Baſilicon flavum et Unguentum e Gummi Elemi. Aliquot dicunt, quod Unguentum hoc nigrum, minus attrahens, modice digerit in Herpete ulcerato.

Unguentum Baſilicon viride. p. 144.

Unguentum hoc viride detergens ſuppleat locum Unguenti Ægyptiaci veteris Pharmacopœiæ. Externe adhibetur ad detergenda et deſiccanda ulcera fœda, vetuſta, ſinuoſa, ſanioſa; ad abſumendam carnem fungoſam

Vulnerum crudorum recentium, etiamque ad ulcera calloſa ; præſertim ſi commiſceatur Mercurio corroſivo rubro. Hoc Unguentum digitos ulceroſos, clavos pedum, &c. ſanat. Noſocomia noſtra ſolent præparare Unguentum, hujus magnopere æmulum, ſub titulo Unguenti Viridis detergentis.

Unguentum Cæruleum fortius. p. 144.

Balſamum Sulphuris hic præſcriptum fortaſſe parumper cohibeat Salivationem præproperam, quinetiam Mercurium citius meliuſque quam Terebinthina dividere fertur. Hoc Unguentum continet prope Mercurii $\frac{1}{3}$ totius. Mercurius externe adhibetur in Unctionibus ad Morbos venereos, ad humores per ſedem, ſudorem, et perſpirationem inſenſibilem, evacuandos ; et vulgatiſſima ejus Methodus operandi eſt per Salivæ mucoſæ excretionem, unde nominatur Salivatio. Ad Salivationem Unctu excitandam. Ægro probe, debiteque præparato et amicto, prope ignem locato, primo perfricantur partes inungendæ uſquedum rubeant, caleantque ; dein Unguentum hoc Mercuriale applicatur primo die ad Pedes, Genua, et Inguina. Poſtero die ad clunes, carpos, Brachia, et humeros. Methodus hæc repetitur quotidie, vel alternis diebus, pro viribus Patientis, uſquequo copioſe exſpuat, i. e. ad quantitatem Pintarum iij. vel iv. de die.

Ungi

Ungi debet in loco calido, parvo ab igne intervallo, ne ardor Unguentum citius quam par eſt, liquefiat. Unguenti Mercurialis circiter ℥ij. ſufficiunt unicuique unctioni, atque nonnulli unica frictione ubertim ſalivabuntur. Alii tres unctiones exigunt, raroque plures.

Ægri guttur ante ſingulas frictiones accurate, cauteque examinandum, num ſalivandi ulla ſigna appareant; cujus ſigna ſunt ardor, ſiccitas oris et Gingivarum: Glandularum ſalivalium Tumor, exſpuitio frequens, orificiorum ductuum ſalivalium inflammatio, Ulcera gingivarum gradatim augentia, et tandem excretio copioſa materiæ laudabilis. Cavendum eſt a nimis copioſa ſalivatione, præſertim ſi nimis feſtinanter excitetur; quod ſi accidat, illico ad cathartica confugiendum, quæ pro re nata repetenda, amotis pannis Unguento delibutis. Confitendum eſt, quod inunctiones, et fumigationes, ancipites ſunt et periculoſæ; Fumigationes enim aliquando Caput afficiunt, diraque ſymptomata producunt; et Inunctiones interdum plus juſto uberiorem excitant Salivationem, alias nihil prorſus agunt; quoniam major vel minor Mercurii quantitas Sanguinem intrat, prout pori Cutis pateant vel anguſtentur; quod dignoſci poſſit ſolo eventu.

N. B. Salivandum eſt unctione fortiſſimos.

Lues venerea aliquando ſalivationi, cum Medicamentis per os aſſumptis non cedat,

 ex-

externis unctionibus cedit. Nonnulli hoc modo adeo emaciati fuerunt, ut videbantur nihil eſſe præter cutim et oſſa, veruntamen Unctura blande ſalivati, Carnoſi et Præpingues evaſere ; Tales autem habitus incipiunt cum Medicamenti hujus valde paucillo; vel Merc. ℈i. ſufficiet pro una vice; atque fortiter alternis noctibus infricetur; neceſſe erit, ante inunctionem, ejuſmodi ægros Diæta lactea et Juſculis enutrire.

In Noſocomiis Lock, et Kingſland Ward, generaliter per unctionem ſalivant; ad quam quantitas Unguenti erat, ut puta, ℥iv. in partes æquales 4. diviſa, quarum parte i. affricanda ſunt Manus, brachia, crura et femora, quavis nocte, coram foco luculento, dein patiens inter ſtragula ad ſudandum cubat, ebibendo Vinum aduſtum. Inunctiones 3. vel 4. interdum ſalivationem movebant, aliquando pauciores. In quibuſdam conſtitutionibus Unguenti ℔ſs. imo Unguenti ℔ i. illita fuit abſque ſalivatione apparente. Cujus quantitatis Wiſeman dat Exemp. 2. vel 3. et quamvis ægroti non ſputabant, nihilominus curabantur.

Si Ulceribus laborent, conveniens erit Unguentum hoc apponere ad Ulcera corrigenda, et ſalivationem augendam; quod ſi inter ungendum ad ſalivandum, Dyſenteria accidit (quæ frequens eſt) vel Teneſmus, Diarrhœa, Dyſuria, tormina violenta, evomitiones, &c. ab inungendo deſiſte, et injice enema hocce

hocce, poſt uſum aſtringentium, ut Boli ad Diarrhœam, Decocti albi, Electarii aſtringentis.

Enema Sanans.

℞. Brodii ſebacei ℔ſs. Ol. Lini. vel Hyperic. ℥ij. Vitell. Ovor. No. ij. Cataplaſm. e Cymin. ʒiij. Extract. Thebaic. gr. i. vel ij. Balſ. Sulph. terebinth. ℥ſs. m. f. Enema, in Dyſenteria, pro re nata repetendum; et ſumatur Mixtura Cardiaca anodyna ſequens ad Dyſenteriam, Diarrhœam, &c.

℞. Aq. Alexiter. ſpirituoſ. Aq. Men. vulg. ſpirituoſ. ana. ℔ſs. Philon. Lond. ʒij. Syr. Caryoph. q. ſ. m. capiat cochl. ij. poſt ſingulas ſedes cruentas; valet etiam in Teneſmo, Syncope, et Torminibus, a ſalivatione promovenda ortis. Si Sanguis in ſedibus adhuc conſpiciatur, utere Enemate ſanante ſupra præſcripto. Ab hac methodo, et Juſcula hauriendo, Symptomata evaneſcent.

Si ſputamen non tempeſtive excitetur, Mercurius Emeticus flavus datus ad gr. vij. vel viij. expuitionem et ſalivationem movebit. Aliquando alvus nimis ſtricta ſalivationem impedit, quæ promoveatur laxante miti.

Enema

Enema Dyſentericum.

℞. Decoct. alb. ℥vi. Electar. e Scord. ℥ſs. Bol. Arm. pulv. ʒij. m. f. Enema, quod contra fluxus injici debet in parva quantitate, quo longius immoretur in inteſtinis. Uſus eſt ſingularis, cum nihil valeat Bolus ad Diarrhœam ſequens, vel Julepum Scordiatum.

Bolus ad Diarrhœam.

℞. Rhabarb. pulv. ʒſs. Elect. e Scord. q. ſ. f. Bolus; generaliter nocte ſumitur ſub lecti ingreſſum, in fluxibus omnigenis neceſſario ſiſtendis; pro ſymptomatum indicatione frequenter conceditur a Catharticis fortioribus ad inteſtina placanda et reſtauranda.

Julepum Scordiatum.

℞. Aq. Hordeat. ℥x. Cinn. Hord. ℥iv. Aq. Piperis Jamaicens. ℥ij. Elect. e Scord. ℥ſs. Sacch. alb. ℥i. vel q. ſ. calculatur ad omnigenos ventris fluxus. Doſ. cochl. iv. vel v. poſt ſingulas ſedes, vel ſæpius pro ratione Symptomatum. Omnes liquores ex Braſio denegentur, uſquedum Diarrhœa integre ſiſtatur. Vel,

Ju-

Julepum Mithridaticum.

℞. Aq. Hordeat. ℥xij. Aq. Menth. vulg. ſpirit. ℥ij. Aq. Alexit. ſp. ℥vi. Mithrid. ʒij. Sacch. alb. ℥iſs. Doſ. Cochl. iv. intervallo hor. vi. præſcribitur ad eundem ſcopum ac Mixtura Cardiaca anodyna, ſed non æque grata eſt.

Electarium Aſtringens.

℞. Conſ. Roſ. rub. ℥iſs. Terr. Japon. ſelect. pulv. ℥ſs. Alum. plumoſ. Elixir. Vitriol. ana. ʒi. Syr. Cydon. q. ſ. f. Electar. ſumatur ʒi. vel Q. N. M. bis, ter, ſæpiuſve de die, pro re nata, in fluxibus ventris obſtinatis.

Pulvis Aſtringens in Diarrhœa.

℞. Bol. Armen. pulv. ℥iſs. Rhei. elect. torrefact. pulv. ʒiij. doſ. a ʒſs. ad ʒi. in vehiculo convenienti pro ratione ſymptomatum repetenda.

Hauſtus Dyſentericus.

℞. Aq. Cinn. ſp. Menth. ſp. ana. ℥i. Rhei. pulv. ℈ſs. Syr. e Mecon. ℥i. m. f. Hauſtus; aſtringit et pacat, Rhab. ejicit humores et mucos

mucos vellicantes, unde capillaria vellicantur, aperiuntur, et Sanguinem effundunt. Inunctiones e Mercurio adhibentur ad Luem veneream, Gonorrhœam virulentam, Fluorem muliebrem virulentum, &c. &c.

Unguentum Cœruleum mitius. p. 145.

Axungiæ proportio ad Mercurium eſt nimis magna in Unguentis Cœruleis ambobus, unde difficulter et cum moleſtia affricantur. Ad eoſdem fere uſus eſt ac ultimum, adverſus ſcabiem veneream omnemque ſcabiem, dolores nocturnos vagos, nodos, ulcera cutis, affectus ſubcutaneos ex acriori ſale oriundos, Elephantiaſin, Lepram, Tineam, Phthiriaſin; enecat pediculos capitis, inguinis, ricinos, &c. continet Mercurii prope $\frac{1}{5}$ totius.

Modus utendi eſt, ut inungantur partes affectæ, vel veſtimenta. In Scabie unguentum hocce, articulis inungendum, præcipue carpis; eo modo ut carpus carpum fricet, donec unguentum penitus imbibatur. Modice uſurpari poſſit ad pruritum, turpitudines cutaneas, et rariſſime fallit, ſi aliquandiu cum prudentia continuetur; per noctes aliquot inungantur partes affectæ, et linteamina eodem terantur: cui addi poſſiſint Ol. Rhod. gutt. aliquot, et Flores Sulphuris ſi voluerit Medicus.

Mercu-

Mercurialia Unguenta habent effecta eadem cum præparationibus hujus mineralis interne aſſumptis, et impræſentiarum adhibentur, non tantum adverſus morbos cutaneos, quemadmodum alterantia; quinetiam in venereis, et aliis morbis obſtinatis, pro Salivatione excitanda. Ptyaliſmus, qui evenit per unctionem, concomitantia fertur habere pauciſſima incommoda, et perficere curam maxime completam. In nonnullis conſtitutionibus, Mercurialia intus adhibita, per inteſtina dilabuntur, nec os afficiunt; in aliis, Glandulas ſalivales adeo confeſtim afficiunt, ut Ptyaliſmum copioſum excitant, dum non extendunt ipſorum actionem ad partes remotiores, et conſequenter non amoliuntur, vel amovent cauſam morbi.

Unguentum e Gummi Elemi. p. 145.

Olim Unguentum, Linimentum, vel Balſamum Arcæi. Hoc jamdudum in uſu fuit, pro digerendo, detergendo et incarnando; atque ad hæc propoſita præfertur, a nonnullis, omnibus aliis compoſitionibus hujus generis; ab authore multum extollitur, ſpeciatim in Capitis, et Calvariæ vulneribus; Ulcera maturat, digerit, detergit, incarnat, cicatrizat, et ſanat etiam in quavis corporis parte, ſummeque fungoſitatibus obeſt; ejuſdem eſt intentionis ac Unguentum Baſilicum flavum.

Gummi

Gummi Elemi advehitur nave ex Braſilia; Reſina hujus eſt ſolubilis in Sp. Vin. ſaporis amari, acris, et odoris fortis parum incongrui. Eximie emolliens, detergens, vulnerarium eſt, et nervos multum roborans. Geoffroy.

Unguentum e Mercurio præcipitato. p. 145.

Unguenti hujus ʒij. continent Mercurii gr. v. Hoc eſt valde elegans unguentum mercuriale, et frequenter adhibetur ad omnes morbos cutaneos. Præparationes Mercurii præcipitati, et Sulphuris præcipitati, hic præſcriptæ, ſeliguntur ob rationem ipſorum colorum. Adhibetur in pruritu, Scabie, Lepra, et talibus Cutis inquinamentis, deformitatibus, ulceribus, &c. Boerhaave recipit Unguent. Pomat. vel Ung. Roſacei. ℥i. Mer. præcipit. ʒi. m. f. Ung. quod ad omnes morbos cutaneos ſtrenue commendat, in quibus caſibus revera valde eximium eſt. Vid. Vires Merc. præcip. alb. p. 258.

Unguentum e Pice liquida. p. 146.

Calfacit, emollit, digerit, diſcutit, anodynum eſt, &c. Digeſtivum eſt, præcipue in Herpete ulceroſo; valet ad ambuſta, inflammationes, cutis affectus etiam impetiginoſos, Tineam, Achores, Favum, ulcera Capitis

fœ-

fœtentia, Caput depile ſquamis obductum, meliceriam, ſteatoma, atheroma, &c. Unguentum hoc cum ſemipondere ejus Reſinæ, diu in uſu fuit ut ſubſtitutum vile Unguenti Baſilici nigri vel Tetrapharmaci, in Noſocomiis nonnullis.

Pix liquida, i. e. Tar, ab antiquis multi æſtimabatur, per os ſumitur ad Stomachi, vel per anum ad inteſtinorum ulcera: conducit Phthiſicis, aſthmaticis, &c.

Aqua Picis liquidæ ab Epiſcopo de Cloyne claruit, atque multi emolumenti eſſe fertur ut pectorale, Balſamicum; Stomachicum, alterans, reſtaurans, &c. modo ſequenti fiat. ℞. Picis liquidæ ℔i. cui affunde Aquæ frigidæ Cong. i. probe agitando ſpatula, baculove complanato per momenta 3. vel 4. poſtea ſubſideat hor. 48. et aqua limpida effundatur. In uſum ſervetur, nec plus aquæ fiat ex eadem pice liquida, quæ adhuc uſui vulgari inſerviet.

Unguentum Sambucinum. p. 146.

Hoc Unguentum non videtur ſuperius nonnullis aliis, quæ multo nitidiora, et minori ſumptu parabilia ſunt; vix ullam virtutem exiſtimatur recipere ab ingrediente unde denominatur. Refrigerat, emollit, relaxat, diſcutit, reſolvit, et anodynum eſt; conducit Eryſipelati, Arthriticis tumoribus, et eximie valet

valet ad ambuſta. Unguentum album ſuppleat hujus locum ad omnia propoſita. Vid. Ol. Sambucinum hujus, p. 303.

Unguentum Saturninum. p. 146.

Eximie refrigerat et deſiccat; multo ſuperius eſt, tam elegantia quam efficacia, Unguento Tripharmaco vel Nutrito. Omnia Saturnina detergunt, et abſorbent. Hoc adverſus Cancrum, Lupum, Ambuſta, Eryſipelas, Calculum potens eſt, et blandum in Scirrho non movendo, in Lepra, Elephantiaſi, Scabie, Tinea, et Roſa; Fiſtulis, Alpho, vitiligini, vel morphææ, &c. ſuccurrit. Summum eſt Medicamentum, quod externe litu inflammata vaſa laxat; atqui ſi diutius adhibeatur quam par eſt, cutis poros occludere queat; ergo caute utendum, ne nimis refrigerando mortificationem induceret. Vid. Saccharum Saturni, p. 354.

Unguentum ſimplex. p. 142.

Olim Unguentum Pomatum; refrigerat, dolorem mitigat, emollit, lævigat Cutim ejuſque aſperitates, puſtulas, papulas lenit, explanat, et perpolit; utile eſt ad rimas, fiſſuras manuum, faciei, labiorum, et Papillarum, quas ſanat. Odorem, et halitum ſuavem ſpar-

ſpargit, ſi Oleo quovis aromatico grato, et odorifero commiſceatur.

Unguentum e Sulphure. p. 147.

Inſervit Cutaneis morbis, ſcorbuticis eruptionibus, pruritui, pſoræ, ſcabiei, &c. ex Sale acriori oriundis, raroque fallit, ſi per hebdomadas 2, 3, 4, vel 5. continuetur, quaque nocte inungendo partes eruptione affectas, et linteamina eadem toto hoc tempore gerendo, quoniam æger fœtide ab hoc olet. Condylomatibus, Ficis, Elephantiaſi, Lepræ, Tineæ, Scabiei, &c. ſuccurrit. E re non eſſet, ſi inter utendum hoc medicamento, vena ſecetur, æger aliquoties purgetur, et hauriat ſæpe Aquam Pedemontii.

Unguentum Tetrapharmacon. p. 144.

Vide Unguentum Baſilicon Nigrum, Schol. p. 549.

Unguentum Tripharmacon. p. 147.

Hæc eſt methodus nova præparandi Unguentum Nutritum, olim vocatum Unguentum Tripharmacum; et abſque dubio modus eſt magis eligibilis parandi hoc Unguentum,

quam vetuſtus. Compoſitum evadit etiam læviusi et uniformius, nec adeo obnoxium eſt areſcere ſervando. Hoc Unguentum veruntamen inferius eſt tam elegantia, quam efficacia, Unguento Saturnino ante præſcripto. Multum commendatur uſus hujus externus ad obſtinatas inflammationes compeſcendas et refrigerandas, inveterata ulcera, phlegmonem, Eryſipelas, et ambuſta. Fucus autem eſt valde noxius, inducendo phthiſin, aſthma, tabem pulmoniale; pulchre albificat, ſed mortem adfert. Tres Sorores, Hagæ comitis, fatis ceſſerunt denigrando Capillos earum rubeos hocce Unguento; hinc plures mortem obiere ab uſu hujus ſoluti pro lotione, atque qua mares qua fœminæ, rariſſime longævi ſunt, qui multum habent negotium cum Saturno, vim enim habet mirifice coagulantem ſubito liquida Animalium. Vid. Liniment. Tripharmacum. Schol. hujus, p. 220.

Unguentum Tutiæ. p. 147.

Hoc Unguentum inſtituitur pro Ophthalmico, ad deſiccandos oculos madentes, Ulceroſos inflammatos, præſertim defluxiones et Oculorum Rheumata. Quænam virtus peculiaris recipitur ab axungia Viperarum determinare non audeo. Si hoc conficeretur cum Oleo dulci Florentino, ut Unguentum

entum Tripharmacum, ad uſum officinarum, æque efficax eſſet innocuumque Oculis, ac alterum. Lapis Calaminaris fortaſſe non neceſſario ingreditur alterutrum; quandoquidem crudum hoc minerale cenſetur vix ullam virtutem continere, quam Tutia ipſa non poſſidet in gradu æquali ad minimum. Vid. Tutiam præparatam, Schol. p. 529.

Unguentum ad Veſicatoria. p. 147.

Vel Unguentum Epiſpaſticum, cujus vires vide ad Schol. p. 152, &c. ſub Emplaſtro Veſicatorio.

Unguentum hoc perpetuum eſt, ut vocatur, quo Ulcera et Veſicatoria excitata madefiant, ſtillent et profluant aliquandiu, quæ intentiones in multis chronicis, et in nonnullis morbis acutis aliquoties exiguntur.

Unguentum Viride. p. 148.

Olim vocabatur Unguentum Martiatum; non videtur recipere ullam peculiarem virtutem ab ingredientibus, quibus color ejus debetur. Topicum eſt calidum et vegetum; bono effectu uti licet ad Nervos nimis languidos excitandos. Efficax eſt in quibuſcunque morbis externis a frigore, et obſtructionibus oriundis, et in Nervorum affectibus;

penetrat, attenuat, emollit, et diſcutit tumores duros. Contuſionibus, Paralyſi, Membris ſtupidis et torpidis ſuccurrit; Sciaticos juvat, Arthritim vagam, dolores vetuſtos, ſpaſmos, membra contracta, laxata, luxata, Tendines et Nervos contortos refocillat, mitigat, lenit; Coli et Inteſtinorum doloribus auxiliatur Clyſteribus additum.

Hoc commiſtum Oleo Petræ vel Petroleo, Oleo Spicæ, Spiritui Lavendulæ compoſito, Spiritui Volatili aromatico, vel Spiritui Terebinthinæ, præcellit in doloribus a cauſa frigida, &c. Oleum Petræ nativum, tenuium eſt partium, calfacit, ſiccat, digerit, et reſolvit; uſui eſt circa nervoſum et tendinoſum genus, Nervorum puncturas, Membra paralytica, relaxata, contracta, ſtrigoſa, &c. Vide Oleum Viride ad Schol. p. 311.

BE-

ERRATA.

Pag. 151. reſovit pro reſolvit.

BENEVOLE LECTOR.

SCholium hocce reviſu, et Caſtigatione ulteriori indiget, quo mendis repurgetur; huic autem, valetudo adverſa, Dolor, Ægritudo, Arthritis, Aſthma, et Caterva Morborum ingruentium inſimul repugnant. Humanum eſt errare, Vitiis ſine nemo naſcitur; utinam hallucinationum immunius prodiiſſet in publicum; Mehercule! in hac anguſtia amabo, vos, evolvente manu, emendate errata, quæ occurrunt, et me lætiſſimum delinquentem devinctiſſimumque Veſtratium habebitis. Hinc ſummatim (ne diutius quam par eſt huic immorer) neutiquam faſtidium peperiſſe habear. Egomet prout hoc opuſculum inchoavi, itidem verbis Lyrici Poetæ abſolvam.

> Vive, Vale, Siquid noviſti rectius iſtis,
> Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.
>
> HOR.

Index

INDEX Morborum et Remediorum præcipuorum in hoc Opuſculo occurrentium.

A

ABortum prohibentia 118, 150, 151, 329, 511.
a Tuſſi moleſta 329.
Promoventia 180, 199, 395.
Abſceſſus aperientia 86, 87, 88.
Achores 73, 558.
Aciditates in primis Viis corrigentia 84, 117, 124, 126, 208, 228, 338, 387.
Acidos Succos ſeroſos abſorbentia 84, 118, 338.
Acres Humores et ſubtiles incraſſantia 50, 108.
Obtundentia 50, 108, 114, 118, 208.
Externe 336.
Agonizantibus inſigne excitativum 412.
Opium non dandum 187.
Alphi 222, 560.
Alvus aſtricta 120, 125, 126, 129, 201, 234, 469.
Laxa. Vid. Dyſenteriam.
Ambuſta 43, 72, 91, 208, 220, 355, 363, 432, 546, 559, 560.
Anaſarca 169, 314.
Angina 266, 270, 277, 363, 467, 504.
inflammatoria 268.
Scirrhoſa 225.
Anhelitus fœtidus 212.
Ani prolapſus 115.
Animi deliquium. Vid. Spirituum Languor.

Anxietates

Anxietates febriles 184.
Aphthæ 229, 429, 500, 529.
Apoplectica 19, 47, 110, 144, 235, 283, 290, 291, 293, 296, 301, 307, 318, 322, 341, 368, 376, 385, 393, 408, 411, 412, 441, 478, 490, 495, 524, 535.
Apoſtemata aperiens. Vid. Abſceſſus.
detergens 549.
maturans 150, 295.
Appetitus abolitus 92, 116, 143, 202, 316, 408, 425, 439, 467, 488, 500, 511, 519, 531, 534.
Caninus 94.
Ardorem Stomachi mitigantia 121, 208, 527.
Arenulæ Renum 50, 262, 278, 385, 480, 491.
Arthritis 29, 42, 71, 73, 76, 101, 133, 153, 165, 182, 198, 208, 214, 219, 250, 286, 290, 303, 306, 307, 308, 315, 319, 328, 393, 432, 457, 491, 497, 503.
ab acida cauſa 224, 359, 411, 441.
Externe 149, 398, 420, 463, 564.
Aſcites 27, 127.
Aſthma 57, 76, 101, 126, 162, 164, 190, 191, 195, 218, 276, 292, 305, 329, 471, 527, 528.
Aſthma frigidum 39, 70, 76, 262, 280, 304, 523.
Humidum 23, 76, 162, 187, 200, 214, 313, 333, 457.
Siccum 280.
Atheroma 559.
Atrophia 162, 190, 521.
Aurium Cerumina indurata 277.
Dolor 308.

B

BILIOSI affectus 129, 131, 133, 414, 477, 528.
Bilis defectum ſupplens 531.
Coagulum reſolvens 387.
Effervefcentiam compeſcens 20, 265, 417.
Bubones 61.
maturantia 191, 197.
Bulimia 94.

C

CACHEXIA 54, 76, 93, 138, 141, 166, 190, 199, 304, 320, 333, 353, 368, 377, 406, 411, 421, 453, 471, 480, 501, 504, 513, 537.

Ca-

INDEX.

Cacochymia 532.
Calculus 54, 72, 113, 120, 157, 183, 261, 266, 270, 292, 296, 313, 385, 399, 416, 417, 436, 449, 457, 460, 466, 482, 521.
Callos abſumentia 86, 87, 88, 244.
Calvities 491.
Cancer et Carcinoma 56, 86, 245, 253, 262, 560.
Mammarum 220.
Naſi, Oculorum, Labiorum 89.
Capitis dolores 99, 103, 296, 302, 317, 346, 369, 385, 408, 444, 523.
Caput et Stomachum roborans 316, 408.
Depile ſquamis obductum. 73.
Carbunculi et Bubones peſtilentiales 197.
Cardialgia 121, 208, 338.
Caries Oſſium 199, 281, 283.
Carnem fungoſam depaſcens 25, 30, 56, 86, 87, 89, 242, 243, 389, 545, 549.
Catalepſis 441.
Cataracta 256.
Catarrhus 71, 143, 164, 188, 191, 218, 264, 322, 328, 329, 348, 354, 385, 438, 447, 453, 460, 463, 499, 529.
Suffocativus 23, 164.
Cephalæa immanis 152.
Cephalalgia 47, 116, 146, 153, 200, 282, 318, 328. 343, 346, 412, 420, 421, 433.
Chalybeata modus ſumendi, et eorum Vires 94, 96.
Quando proſunt nocentve 94, 95, 96, 97, 380.
Chloroſis 76, 138, 141, 320, 377, 488, 493, 501, 503, 514, 532, 537.
Cholera Morbus 76.
Clavi Pedum, vel Verrucæ 303, 550.
Colica Silioſa 50, 70, 112, 117, 194, 284, 304, 308, 416, 424, 504.
Flatulenta 37, 48, 51, 129, 180, 196, 279, 280, 282, 313, 368, 414, 441. 457, 482, 495, 519.
Frigida 37, 38, 51, 129, 280, 282, 315, 490.
Hyſterica 47, 51, 129, 212, 302, 521.
Laxa 38, 315.
a Nervorum imbecilitate 47, 117, 212, 322, 490, 493.
Spaſmodica 47, 493, 521.
Colicæ omnes 40, 50, 51, 112, 125, 288.
Columella laxata 38, 406.
Coma 341, 385, 441.
Conceptionem promovens. Vid. Sterilitatem.

O o   Con-

Condylomata 561.
Conſumptio Pulmonum. Vid. Phthiſin.
Contractura Tendinum 432.
Contuſiones externæ 150, 151, 219, 420, 432.
Internæ 72.
Convulſiones 47, 99, 183, 205, 212, 291, 322, 343, 385, 412, 441, 493, 503.
Infantum 47, 142, 342, 521, 523.
Hæreditariæ 47, 342.
Cordis Palpitatio et Tremor 114, 282, 300, 341, 368.
Coryza 187, 304, 329, 420.
Coſmetica exſiccantia 90.
Crapula 143, 328.
ad Chronicos Morbos 34, 62, 70, 93, 138, 178, 189, 195, 248, 252, 271, 319, 321, 325, 362, 396.
Cruditates in primis Viis 29, 117, 137, 482.
Cutaneæ Eruptiones Chronici generis 38, 101, 192.
Cuticula Oculorum. Vid. Ocul. morbi.
Cutis affectus 43, 227.
Defædatio quævis 38, 92, 101, 222, 224, 325, 497, 556.
Eruptiones Chronici generis 237, 517.

D

DElirium 157, 206.
Dentes a Carie non exeſos albificantia 281, 360, 389, 482, 485.
Conſumens 439.
Evulſi cum fluxu Sanguinis 59.
Figens 59.
poliens 389.
Vacillantes firmans 500.
Dentium dolor. Vid. Odontaligia.
Dentrifricum optimum 506.
Diabetes 41, 42, 406, 499.
Diarrhœa 22, 39, 52, 93, 115, 117, 119, 124, 136, 160, 208, 272, 280. 328, 334, 352, 463, 476, 494, 499, 508, 509, 510, 520, 521, 529, 543.
Bilioſa 60, 113, 115, 144, 209, 438.
a cathartico 39, 52, 111, 182, 494, 499.
a Salivatione 553.
Symptomatica 39.
Digeſtionem promoventia 20, 38, 46, 145, 201, 285, 296, 320, 408, 483, 488, 492, 507, 508, 533.

Dolores ſedantia 73, 85, 182, 293, 432, 465, 487.
a frigore 73, 85, 152, 221, 487.
Coli et Inteſtinorum 85.
Dorſi obſtinati 77, 85, 151.
Nocturnus vagus, et venereus 325, 556.
Dyſenteria 32, 52, 71, 72, 77, 92, 105, 115, 124, 136, 160, 182, 272, 328, 334, 348, 352, 424, 450, 462, 500, 511, 517, 521, 543.
epidemica 341.
a fortiori Cathartico 182.
a Salivatione 552.
Dyſpnœa 57, 126, 143, 164, 195, 214, 292, 329, 523, 528.
Dyſuria 72, 84, 113, 266, 286, 296, 398.

E

EBrius Vino 19.
Ecchymomata 151.
Elephantiaſis 70, 245, 556, 560, 561.
Emeticum citiſſimum in Veneno aſſumpto 26.
Empyema 42, 72, 192, 199, 214, 292.
Ephelides 222, 224, 259.
Epilepſia 47, 57, 99, 101, 141, 144, 152, 195, 200, 205, 212, 287, 291, 293, 296, 302, 307, 318, 322, 343, 368, 376, 385, 392, 393, 408, 412, 420, 441, 444, 446, 490, 493, 495, 496, 521, 523.
Epiphora 59.
Eroſiones 69, 157, 217.
Pulmonum 72.
Eryſipelas 22, 43, 59, 220, 303, 363, 433, 546, 559, 560, 562.
Eſcharam cito inducens 437. et cito decidens 241.
profundam 239.
Excoriatio 90, 91, 215, 546.

F

FAciei rubores 42, 272, 259, 260, 355.
Fames canina 94.
Favi 558.
Faucium aſperitas 264, 348.
Inflammatio 265.
Febris acuta 110, 124, 132, 206, 266, 270, 362, 415, 45[illegible]
Antipyretica 100.

Febris Ardens 20, 36, 50, 157, 264, 270, 417, 429, 477, 484.
Ardentis declinatio 368, 416, 438, 448.
Bilioſa vel Cholerica 415, 439.
Continua 99.
cum Delirio 306.
Hectica 50, 157, 348, 515.
Intermittens 23, 40, 99, 143, 162, 172, 275, 283, 287, 303, 359, 368, 394, 406, 429, 439, 459, 478, 482, 499, 506, 518, 523, 531.
Lenta 152, 340, 359.
Maligna 38, 81, 99, 191, 205, 212, 267, 270, 340, 414, 510, 518, 542.
Nervina cum delirio 183, 306.
Obſtinata 190.
Putrida 38, 81, 138, 191, 199, 205, 266, 429, 440, 510.
Quartana 23, 163, 189, 290, 309, 359, 454, 471, 478.
Remittens 40, 172.
Rheumatica 341.
Tertiana 138, 163, 267, 275, 302, 359, 406, 454, 478, 513.
Fici 561.
Fiſſuræ Papillarum 217, 310, 560.
Fiſtula 38, 78, 86, 89, 243.
Antiqua 243.
Carioſa 138, 243.
Fiſtulam detergens 78, 89, 243, 505.
Flatus diſcutiens 38, 50, 53, 70, 108, 112, 115, 199, 202, 263, 285, 294, 300, 315, 316, 322, 414, 475, 487, 490, 519, 533.
Fluor albus 31, 38, 70, 77, 150, 152, 154, 197, 206, 216, 302, 336, 367, 436, 450, 491, 499, 504, 520, 537, 544.
Virulentus 165, 246, 304, 516.
Fluxus Bilioſus 93, 116, 136, 464.
Hepaticus 335, 467.
Uterinus immodicus 165, 335, 406, 499.
Ventris. Vid. Diarrhœam.
Fœtum enecans 200.
Expellens 141, 180, 197, 198, 302, 303, 343, 495, 504.
Fontanellas aperiens 86, 87, 146, 163.
Fungoſitates 86, 87, 228.

Furfures

Furfures 227.
Furor Uterinus 205, 516.

G

GAnglion 61, 145, 148.
Gangrænam curans 176, 199, 390, 433.
Præcavens 138, 176, 228, 309, 425, 431, 505.
Gangrænæ progreſſum impediens 56, 86, 88, 176, 309, 416.
a Gelu Membra affecta 310.
Gingivæ laxæ 25, 32, 59, 115, 217, 500.
Glandulæ induratæ 61, 406, 471.
Obſtructæ 325.
Glareolæ Renum 400.
Gonorrhœa 29, 70, 157, 165, 197, 206, 247, 307, 336, 348, 450, 460, 490, 497, 516.
Virulenta 70, 73, 77, 246, 251, 304, 337, 490, 556.
Gravidis nocent Saponacea et Aloetica 140.
Gulæ ardor et ſiccitas 264.
Gutta Roſacea 259.
Gutta Serena. . . Vid. Opthalmiam.

H

HÆmoptoe 72, 77, 116, 216, 264, 292, 335, 348, 438, 450, 467, 499, 511, 515, 521.
Hæmorrhagiæ 31, 58, 72, 103, 105, 216, 222, 308, 334, 347, 429, 434, 436, 450, 495, 501, 510, 520.
Internæ 72, 500, 501, 520.
Narium 58, 59, 338, 356, 438, 516.
Profuſæ 58, 501.
Uteri et Profluvia 31, 93, 347, 500, 510.
Hæmorrhoides 29, 79, 92, 193, 217, 347, 355, 463, 528, 546, 547.
Halitum et tetros Corporis odores corrigens 414.
Tetrum ſublevans 108, 527.
Hectica in initio 112, 126.
Hemicrania inveterata 318.
Hepatis Morbi 61, 71, 93, 195.
Hernia 149, 150.
Herpes Miliaris 22, 222.
Ulceratus 91, 558.
Hydragoga 60, 244.

Hyro-

Hyrophobia a Morſu Canis rabidi 251, 343.
Hydropica alterantia 26, 42, 50, 54, 57, 70, 112, 133, 138, 190, 226, 246, 250, 262, 265, 285, 290, 313, 314, 333, 359, 366, 373, 375, 388, 396, 406, 421, 459, 471, 472, 477, 478, 483, 488, 491, 501, 503, 532, 537, 541.
Purgantia 168, 169, 238, 318, 319, 344, 497.
Emetica 476.
Externe 151.
Hydropicorum Urina promovenda 23, 50, 154, 424.
Hypercatharſis 335, 486, 487, 521.
Hyperſarcoſis 87; 225.
Hypochondriaca 20, 68, 93, 137, 141, 190, 195, 200, 235, 305, 320, 323, 366, 368, 376, 396, 421, 441, 444, 478, 488, 495, 501, 532, 537, 542.
Hyſterica 51, 54, 68, 93, 117, 128, 141, 190, 195, 196, 205, 210, 214, 283, 287, 288, 300. 307. 320. 323. 343. 376. 385. 412. 444. 450. 493. 495. 523. 532.
Paſſio 47. 99. 141. 196. 199. 210. 302. 368. 394. 421. 422. 441. 446. 488. 493. 495. 496.

I

ICterus 23. 29. 54. 70. 112. 138. 154. 190. 199. 225. 262. 290. 307. 314. 352. 353. 359. 368. 379. 388. 396. 398. 406. 421. 424. 425. 428. 471. 478. 480. 483. 495. 501. 503. 504. 523. 537. 541.
Emeticum 476.
Iliaca paſſio 424.
Impetigo 38. 222. 356. 517. 525.
Impotentia 212. 282. 460. 491.
Incubus 143. 187. 214.
Inflammatio 18. 69. 85. 217. 220. 266. 311. 546.
ab acida cauſa 356.
Externe 355.
Obſtinata 85. 220. 270. 562.
Faucium 265. 270. 467.
Sanguinis 265.
Uteri 205.
Uvulæ 153. 266.
Inſania 25. 168. 212.
Iſchias 71. 153. 165. 220. 420.
Iſchuria 266.

L

LAchrymæ involuntariæ 59.
juſto ſalſiores 59.
Languor. Vid. Spirituum Languor.
Lateris dolores. Vid. Pleuritidem.
Lema. 116.
Lentigines vel Nævi 222. 224. 259. 527.
Lepra 29. 154. 165. 238. 245. 251. 258. 324. 363. 491. 545. 556. 558. 560. 561.
Lethargus 19. 47. 128. 152. 235. 257. 290. 291. 302. 346. 368. 376. 385. 393. 411. 412. 420. 421. 441. 491. 493. 524.
Lichenes 38. 259. 363. 517.
Lienteria 499.
Linguæ ariditas 264.
Lipothymia 210. 282. 284. 392. 412. 441. 490. 494.
Lippitudo 116.
Lochia movens 141. 180. 196. 197. 198. 302. 303. 343. 385. 441. 444. 506. 523.
Siſtens 31. 520.
Lues venerea 29. 71. 99. 165. 237. 238. 246. 252. 258. 286. 290. 304. 324. 337. 454. 505. 552.
Lumbrici Vermes. 101. 119. 237. 313. 505.
Articulares 101. 237. 447.
Lupus, vel Cancer exulceratus 517. 560.
Luxationes 432.

M

MAcies Infantum 76. 538.
Maculæ 224. 227. 259. 389. 527.
Mania 152. 168. 206. 211. 235. 367. 524. 535.
Marcor 76.
Meconium Infantum 130.
Melancholia 24. 110. 168. 190. 212. 270. 368. 396. 478. 488. 495. 505. 524. 532. 537. 542.
Meliceria 559.
Memoria labefacta 212.
Menſes moventia 46. 53. 54. 70. 93. 95. 127. 128. 138. 141. 154. 159. 167. 180. 196. 198. 201. 206. 214. 282. 300. 303. 304. 320. 322. 327. 343. 368. 377. 385. 411. 422. 441. 444. 448. 455. 489. 495. 501. 506. 514. 523. 531. 537.

Menſes Obſtructi a debilitate Vaſorum 70. 200. 302. 303. 318. 413.
Menſium profluvium 31. 115. 347. 436. 450. 500. 511. 520. 521.
Morbilli 82. 99. 109. 124. 126. 192. 199. 341. 452. 462. 518.
Morphæa 225. 560.
Morſus animalium venenatorum. 19. 69. 297. 302.
Morſus. Canis rabidi 19. 212. 254. 302. 331. 343. 410. 446.

N

NÆvos auferens 89. 225.
Nauſea 37. 151. 408. 421. 441. 476. 490.
Nephritis 50. 54. 70. 76. 108. 120. 126. 206. 266. 276. 290. 405. 416. 459. 460. 469. 471. 481. 521.
Nervi contorti 71.
Nervorum et Tendinum lacerationes, punctura 73. 308. 428. 434. 564.
Imbecilitates 99. 113. 115. 117. 196. 212. 285. 290. 291. 302. 306. 307. 322. 342. 413. 420. 492. 493. 496. 523.
Nigredines Carnis 420.
Nodi externi 145. 148.
Venerei 145.

O

OBſtructiones Viſcerum omnes 114. 138. 195. 198. 200. 202. 290. 333. 352. 374. 377. 400. 477. 480. 492. 539.
Uteri. Vid. Menſes moventia
Oculorum Morbi.
Albugo 122. 338. 535.
Cancer 355.
Cataracta non inveterata 374.
Fluxiones 55. 103. 152. 216. 261. 337.
Inflammatio 55. 58. 103. 116. 215. 264. 336. 356. 516. 530.
Lippitudo 56. 59. 356.
Lachrymarum acrimonia 216. 356. 530.
Maculæ 55. 122. 374. 535.
Nubeculæ 338.
Ophthalmia 58. 116. 529. 535. 562.

Prurigines

Oculorum Prurigines 123.
Pterygium 56.
Rheumata 336, 562.
Ulcera 55, 56.
Oedema 406, 471.
Odontalgia 79, 146, 153, 281, 282, 299, 421, 432, 497.
Orthopnœa 76, 143, 187, 195, 214, 261, 504.
Oſſa carioſa exfolians. 504, 533.
Ozæna 89.

P

PAlpitatio Tremorve Cordis 110, 137, 212, 301, 421, 476, 493.
Paralyſis 47, 71, 73, 76, 99, 110, 133, 153, 165, 196, 200, 219, 235, 257, 290, 291, 299, 300, 301, 302, 306, 308, 322, 333, 346, 368, 376, 385, 393, 408, 411, 420, 422, 428, 431, 441, 493, 495, 503, 514, 518, 564.
Partum promoventia 109, 283, 284, 343.
a Partu dolores 47, 522.
Pediculos necantia 258, 556.
Inguinales 259, 556.
Pedum Clavi 145, 148.
Perioſtia et tendines mundificantia 106.
Peripneumonia 20, 72, 206, 214, 265, 292.
Peſtis 20, 36, 208, 302, 415, 425, 432, 458, 523.
Petechias promovens 177.
Phlegma acre 338.
Phrenitis 186, 206, 521.
Phthiriaſis 556.
Phthiſis 24, 72, 111, 113, 116, 126, 162, 182, 191, 262, 276, 348, 460.
Pleuritis 20, 54, 76, 81, 85, 126, 149, 157, 180, 206, 218, 265, 277, 292, 348, 362, 368, 415, 421, 441, 467, 469, 504. 521, 523, 548.
Notha 76, 85, 152.
Podagra 71, 99, 141, 159, 219, 238, 304, 317, 324, 346, 373, 396, 423, 495, 503, 521, 548.
Polypus 87.
Priapiſmus 516.
Pruritus 22, 29, 41, 61, 92, 192, 259, 488, 546, 556, 558, 560.
Pſora 61, 192, 363, 561.

Pulmonum mucilago, a lento craſſo viſcido phlegmate, vel pituita Bronchia opplente 54, 108, 116, 299, 313, 314, 322.
Obſtructio 24, 54, 162, 199, 314, 333.
Tubercula 162, 195, 460.
Punctura Nervorum et Tendinum 79, 106.
Puſtulæ 61, 225, 245, 303, 355, 517.
Roſaceæ 355, 517.
Putredini alkalinæ ſummum remedium 199.
Putredo reſiſtens 141, 270, 416, 504, 518, 528.

R

RAucedo 39, 72, 126, 162, 276, 305, 322, 329, 447, 465, 499, 504, 526.
Rachitis 92, 189, 261, 538.
Rhagadia 217.
Renum obſtructio. Vid. Sabulum.
Ulcera 77, 264.
Reſpiratio difficilis 143, 187, 214, 280, 457.
Rheumatiſmus 29, 70, 73, 76, 81, 133, 153, 157, 158, 165, 197, 219, 221, 237, 286, 304, 308, 317, 333, 393, 411, 422, 428, 432, 491, 497, 503.
Riſus Sardonicus 542.
Roſa 220. 259, 560.
Ructus 408, 476, 513, 519, 534.

S

SAbulum 72, 77, 126, 154, 183, 262, 286, 292, 296, 376, 385, 416, 449, 460, 480, 482, 490.
Salivationis ſigna 102.
Sanguinem coagulantia 437.
Depurantia 42, 304.
Edulcorantia 41, 157.
Exaltantia 50, 157.
Siſtentia 437, 546.
Satyriaſis, i. e. Salacitas 516.
Scabies 22, 29, 33, 59, 61, 192, 223, 225, 245, 258, 389, 525. 529, 556, 558. 560. 561.
Venerea 29. 238.
Sciatica 99, 290, 308, 564.
Scirrhus 61. 145. 195. 374.

Scorbutus

Scorbutus 20, 41, 54, 70, 78, 81, 270, 304. 353, 359, 375, 406, 414, 425, 439, 449, 478, 488, 514, 528.
Scorbuti dolores nocturni et vagi 70, 81, 166.
Eruptiones 81, 166, 561.
Scorbutus frigidus 54, 78, 166, 262, 333, 422.
Lentus 166, 315, 388, 532.
Muriaticus 34, 138, 532.
Scotomia 478.
Scrophula 29, 34, 41, 70, 248, 322, 325, 445.
Secundinas expellens 141, 196, 197, 198, 343.
Serpigo 225, 259, 389, 517, 525.
Singultus 39, 210, 279, 296, 464, 493.
a Vomitione 521.
Sitim extinguentia 20, 50, 114, 157, 265, 270, 348. 415, 466, 467, 470, 477, 527.
Soda vel Ardor ventriculi 114.
Somnum conciliantia 183, 329, 465.
Soporoſi affectus 153, 368, 421, 493, 524.
Spaſmi 99, 277, 284, 322, 412, 432, 444.
Sphacelus 86, 416, 432.
Spirituum languor 47, 71, 76, 205, 210, 408, 413, 421, 448, 490, 493.
Splen ſcirrhoſus 71.
Splenica 71, 112, 200, 537.
Steatoma 559.
Sterilitas 77, 108, 212, 304.
Sternutationem ciens 257.
Immodicam ſupprimens 19.
Stomachi dolor. Vid. Cardialgia.
Stomachum roborantia 52, 53, 108, 112, 115, 136, 137, 143, 145, 151, 160, 201, 282, 285, 295, 320, 327, 352, 408, 448, 464, 470, 475, 488, 490, 494, 499, 508, 509, 510, 514, 519, 534.
Stranguria 50, 84, 205, 264, 276, 348, 459, 523, 528.
Strigoſa Membra 547, 564.
Struma 42, 61, 325.
Stupor 153, 302, 564.
Surditas 346.
Syncope 19, 47, 110, 210, 285, 301, 368, 394.
a Salivatione 553.

T

TABES 113, 266, 348.
Tendines et Perioſtia mundificans 73, 106.
Tendinum vellicationes, contracturæ, puncturæ 71, 73, 309, 310.
Subſultus 153.
Teneſmum amovens 521.
Teſtacea pueris appropriantur, minime adultis 476, 477.
Thoracis morbi 162.
Oppreſſio 457.
Tinea Capitis 74, 227, 245, 389, 556, 560.
Ventris 199, 389, 447, 505.
Tonſillarum inflammatio 266, 466.
Tophi 145, 148, 195.
Tormina ab acido Infantibus 52, 110, 118, 218, 338, 527.
a Colica nervina 38, 112, 296, 492.
Ventris ſicca 39, 125, 509.
Torpor 393.
Tremores artuum 200, 413.
Tubercula aperiens 87, 164, 460.
Diſcutiens 164, 225.
Tumores diſcutiens ab acida cauſa 85.
Abdominis 145, 288.
Aperiens 87.
Aquoſi Scroti 42.
Arthritici 151, 186, 219, 304.
Canceroſi 419.
Duri 71, 145, 148, 151, 194, 287, 295, 546, 547, 564.
Frigidi 71, 76, 287, 308, 459.
Hepatis 145.
Hydropici 405, 471.
Hypochondriorum 145.
Lienis 145.
Mammarum a lacte concreto 90, 217, 304, 419.
Maturans 85.
Oedematoſi 56.
Scirrhoſi 86, 197, 375.
Strumoſi 61, 145, 262.
Tonſillarum et Uvulæ 362, 500.
Venerei 61, 145, 556.
Tuſſis 72, 73, 74, 76, 114, 126, 142, 162, 164, 188, 262, 264, 276, 280, 292, 296, 305, 313, 314, 328, 329, 348, 447, 457, 469, 473, 526.

Tuſſis Clangoſa 142, 164.
Convulſiva 142, 164, 183.
Fèrina 142, 164.
Humida 111, 164.
Inveterata 72, 76, 142, 164, 196, 200, 214, 322, 354.
Singultuoſa 142, 164, 521.

V

Vaginæ prolapſus 115
Variolæ 20, 81, 99, 109, 124, 176, 192, 199, 341, 452, 462, 518.
Confluentes 109, 176, 458.
Variolarum cruſtæ 217.
Foveæ, et Rubor 217.
ad Venena citum vomitorium 26, 60.
Venena expellens 60, 296, 341, 487.
ad Venena omnia interna et externa 410.
Venenati ab Aquæ fortis effluviis 49.
ab Arſenico 60, 192, 225.
a Croco Antimonii 60, 122, 192.
a Mercurio corroſivo rubro 60.
ſublimato vel albo 60, 241.
a Vitriolo 393.
Venerem excitans 108, 212, 309, 491, 492.
extinguens 516.
Venter conſtipatus 130, 131, 322.
Ventris dolores 37, 85, 263, 328, 408.
Ventriculi ardor 157, 208.
Frigitates 202, 284.
Ventriculum roborans 92, 115, 284, 300, 439, 493.
Vermes enecans 29, 57, 62, 112, 138, 141, 180, 192, 201, 202, 246, 303, 325, 344, 378, 446, 459, 495. 502, 510, 513, 518, 531.
Infantum 62, 92, 198, 276, 538.
Verrucas conſtipans 28, 56, 86, 87, 89, 148, 425.
Vertigo 24, 46, 47, 99, 116, 282, 291, 300, 302, 318, 322, 342, 346, 368, 385, 393, 412, 420, 441, 478, 490, 492, 521.
Vigiliæ 116, 143, 157, 521.
Virgineus morbus 320, 324, 396.
Viſciditates humorum attenuans 70.
Viſus debilitas 262.
Vitiligines 225, 560.
Ulcera abſtergens 55.

I N D E X.

Ulcera Antiqua deſiccans 71.
Cacoethea 449.
Calloſitates conſumens 26, 145, 389, 550.
Cancroſa 78, 355, 517.
Corrodens 355.
Cutis 91, 260, 556.
Fiſtuloſa 78, 163, 505.
Fœda 56, 215, 242, 243, 390, 480, 505, 549.
madida 89.
Fungoſa 89.
Gutturis 236, 528.
Humida 337, 355.
Interna et externa 78, 198, 199, 243, 286, 328.
Inteſtinorum 236.
Inveterata 107, 516.
Maligna 71, 86, 88, 228, 260, 355, 517.
Obſtinata 41, 56, 78, 91, 355.
Oculorum 116.
Oris 236, 500, 504, 529.
Phagedenica 88, 262, 389.
Pulmonum 184, 188, 191, 505.
Purulenta 533.
Putrida 88, 228, 434.
Renum 70, 191, 206, 218, 286, 348, 505.
Sanioſa 42, 57, 105, 228, 337, 355, 359, 480, 505, 549.
Scrophuloſa 145.
Serpentia 363.
Sordida 56, 138, 228, 389, 480, 545.
Strumoſi 146.
Tonſillarum 136.
Venerea 87, 101, 243, 247.
fœda 42, 243.
Veſicæ colli 154, 206, 286, 385, 428, 460, 490.
Vetuſta 42, 216, 549.
Ureterum et Urethræ 70, 154, 286.
Uteri, et Veſicæ 505.
Uvulæ 236.
Vomendi conatus continuus 144.
Nixus 115.
Vomitum ſiſtentia 2[illegible], 52, 115, 116, 152, 183, 208, 210, 296, 316, 421, 441, 464, 466, 470, 476, 490, 500, 510.
ex Vitriolo albo 59, 60.
Uredines 546.

Urina

Urina cruenta 113, 218, 264.
Hydropicorum promovenda 50, 313, 491.
Urinæ acrimonia vel ardor 114, 126, 157, 205, 270, 276, 305, 348, 459.
Fluxus promovens 141. 180. 225. 385. 415. 484. 531.
Suppreſſio 154. 266. 385.
Uteri prolapſus 115.
Uterinæ obſtructiones 138. 190. 196. 261. 302. 322. 377. 428. 459. 496. 502. 537.
Uterum roborans 43. 117. 284. 300. 307.
Vulnera Ulceraque 71. 72. 78. 138. 199. 548. 557.
Balſamum ſummum 72.
Cicatrizans 78.
Detergens 25.
Interna 72. 286.
Sanans 72. 78.
Nervorum et Tendinum 79. 309.
Vulnerum Sanguinem ſiſtens 105.

INDICIS FINIS.

45